



Franciscus Busser.



I. BAPTISTÆ

MANTVANI

CARMELITÆ, THEOLOGI, PHILOSOPHI,

Poëtæ & Oratoris clarissimi, Operum

TOMVS QVARTVS

SOLVTA ORATIONE

conſcriptus.

Cum Indice librorum, qui hoc Tomo comprehenduntur.

Eremi in Monte Regio.

Ex libris Luc... Busser... Archicon... Varsav...



Erem

ffe Varsaviam Camaldu...

ANTVERPIÆ

Apud Ioannem Bellerum, ſub inſigni Aquilæ aureæ.

1576.

Sum Petri ...

Index opuſculorum Tomi Quarti.

Laurentius Cupærus, Carmelitanus Montis Gerardi, Stephano Gilbadio Confessario sanctimonialium Cortenberganarum S. Theolo, Licenciato, S.P.D.

ANimaduertenti mihi sæpenumero, & cogitatione longa grauissimos iniquissimorum temporum nostrorum casus atque calamitates reuoluenti, perbeati nũc esse, Gilbadi suauissime, illi videntur qui perennis philosophiæ seu Christianæ theologiæ consolatione in tantis rerum asperitatibus sibimet mederi possunt. Nam in turbulentissimis istis tempestatibus, quibus passim affligitur Ecclesia Dei, quando ministri & Prophetæ eius immanissimè trucidantur, & plusquam Arriana, imò Getica, Scythica atque Turcica ferocitate templa, & aræ, atq; religiosæ domus compilantur, euertuntur, & flammis absumuntur; & quod manet æternum constanti pectore verbum annunciantes aut exulant, aut intercepti laqueo quidã strangulantur, pars submerguntur in vndis; nonnulli præscisis virilibus, & truncati membris alii affixis verubus torrentur igne; aliaq; sexcenta malorum genera perpetiuntur, vsqueadeo vt corruptius sæculum longo tempore (spero) posteritas visura nõ sit; quid quæso humanæ imbecillitati efficacioris adiumenti succurrere poßit, quàm armorũ hoc genus spiritualium, quæ sunt, gladius spiritus (quod est verbum Dei) scutum fidei, galea, spes salutis, lorica iustitiæ, celeresq; ardentis orationis sagittæ in cœlum eiaculatæ, et

baltheus mutuæ charitatis, quæ est vinculum perfectionis, quibus armata nec fortuitorum bonorum amißione deficiat, nec improborum insectatione ab suo instituto deficiat. Quæ sanè Christiani militis panoplia non aliunde melius quàm è promptuario ceu armario sacræ scripturæ peti potest. Quod sapientißimè Ionathas Iudæorum summus sacerdos perspexit, quom Spartiatis scriberet se externa amicorum ope non admodum indigere, quod pro solatio sanctos libros haberet, qui in manibus eius erant. Cui simile est quod Christus Iudæis propter Bethsedam: Scrutamini, inquit, scripturas, quia vos putatis in ipsis vitā habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Vnde concludit Paulus, dicens: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Ac plurima innumeraq; propemodū sunt, quæ Dei Opt. Max. bonitas, atq; immensa beneficentia (vt est nostræ salutis sitientißima) humano generi prouidit ad parandā vitam æternā charismata, sed nullum in his est magnificentius, nullum vsu copiosius, nullum deniq; necessarium magis quam pabulum verbi Dei ritè masticatum. Quocirca filium Dei, qui est æterna Patris sapientia, nullo præclariore nomine potuit exprimere Apostolus ille inter cæteros magis dilectus, quā verbum seu sermonem Dei ipsum nominando. Et quodnam (amâbo) præstantius elegium inuenias, quàm appellari lucem mundi; atqui Christus verbū & sermo Dei de se ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumē vitæ. Quin & discipulos suos quos misit prædicare verbū Dei huiusce cognominis honore dignatus est, dum ait: Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ. Sublimius quoque est appellari

Ange-

angelum Dei, sed & hoc excelso titulo Malachias ecclesiasten verbi Dei cohonestat, dum ait: Labia sacerdotis custodiũt scientiã, et legẽ requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Cæterùm et hoc elogio longe gloriosius est appellari filiũ Dei. Quãobrem Christus tametsi natura,] peculiari modo, ex Dei patris sui substantia sine initio Deus sit genitus, tamẽ et apostolos suos, omnesq́; pios verbi Dei concionatores audire voluit filios Dei, citans irrefutabile testimoniũ afflatu Spiritussancti per Dauidem prolatũ: Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.

Hoc igitur diuini verbi studiũ cæteris õnibus sciẽtiarũ generib⁹ anteponendum erit, quia dignissimũ est, quod vel ex causis eius euincere in procliui fuerit. Scire enim tunc nos rem quampiam existimamus, quando (vt auctor est Aristoteles, per causas eã cognoscimus. Iam quis Deo Opt. Max, præstantior est? sanè nemo; quod vel ij qui à limine (quod aiunt) philosophos et poetas, ethnicos etiã, salutarũt ignorare potest: quàm enim hi præclarè de Deo, de mundi administratione, et de iustitia Dei erga bonos et malos senserint et docuerint, in confesso est. Atqui Deus noster huius scientiæ auctor et causa efficiens est, iuxta Paulum qui, Fides, inquit, donum Dei est. Quod confirmat Petrus: Non voluntate, ait, humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritusancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. Audierat enim ipse à Christo quando eum confitebatur filium Dei viui: Beatus es Symon Bariona quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Quicunq; hanc apocalypsin nõ habet, is dicat, Ego sum Cephæ, ego sum Apollo, sed qui verum theologiæ auctorem nouit, dicit: Ego sũ Christi. Præterea si materiã consideremus, reliquæ artes eò sunt digniores quò reliquas

vel materia ex qua, vel in qua, vel circa quam versantur antecedunt. Si ergo materiam ex qua hæc ars conflata est, putà articulos fidei, et omne verbum quod procedit de ore Dei, tanquam primam siluam & materiem ex qua conciones, scriptiones, et disputationes fiunt, aspicias: siue etiam materiem in qua exerit vim suam qui est animus hominis vel contemplantis vel operantis verba Dei, & mores ad ea componentis: siue etiam consideres materiẽ circa quam hoc studium versatur, quæ est Dei omnipotentia, sapientia, bonitas, item angeli sancti, Christiq; incarnatio, mors, resurrectio, & nouæ legis sacramenta, atq; demum quatuor nouissima, aliaq; id genus plura, extra omnẽ controuersiã, vniuersis alijs theologia præstat. Iam forma, modus, atq; ratio studiosè perscrutandi scripturas, nõ ea quidem quæ suis viribus sit relicta mente, sed quæ cælitus illustrata sit, anne omnem humanam indaginem multis parasangis præcurrit? Scopus demũ & finis huius artis quũ sit vita nostra æterna, & indiuiduus, mutuus, atq; perfectus ab omni parte amor Dei in nobis, & amor nostri in Deo, ita vt Deus sit noster & nos vicißim Dei; nónne voluptatem terrenã omnem, nedum scientiam incomparabiliter antecedit, vincit, & exuperat, nam ambrosiam Deorum, nectarq; immortalitatis absolutè conferre singulariter potest.

Et quamquam inexplebiles voracißimorum nepotum gurgites, per luxum in culinam atque popinam multa nummûm milia congeßerint insumserintque, & scrinia conficiendis atque struendis opiparorum obsoniorum infinitis generibus exhauserint, atque etiamnum popinarij tam in vrbe quàm ruri, ganeones, Gnatones, scurræ, & voluptatum conquisitores non pauci in obsoniis componendis, in confundendo iure laborent, desudent, & tantum non nidore fatiscant, nihil tamen esculenti vel vtilius vel necessa-

tessarium magis quàm panem, nihil poculenti quàm fontem vinũ excogitare, ne dicam proferre, poterunt. Vtriusq; huius proprietatem, energiam, & nomen Christus verbo Dei tribuit, dũ ait: Nõ in solo pane viuit homo, sed in omni verbo q̃ procedit de ore Dei. Et alibi: Ego sũ fons vitæ, si quis sitit veniat ad me & bibat, qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quid quæso Apitius tale vnquã excogitauit? de quo Annæus Seneca, Fuit, inquit, nostra memoria Apitius qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores iuuentutis abire iußi sunt, scientiam popinæ professus disciplina sua sæculum infecit. Sed exitum eius nosse operæprecium est. Cùm sestertiũ millies in culinã congeßisset, cùm tot cõgiaria principum, & ingens Capitolij vectigal singulis comessationibus decoxisset, ære alieno oppressus rationes suas tunc primùm inspexit. Superfuturũ sibi sestertiũm centies cõputauit, & velut in vltima fame victurus si sestertio cẽties vixisset, veneno finiuit exitũ. Sũma, per luxũ insũpti sunt vicies quinquies cẽtena aureorũ milia. Quã verò luxuriæ sustentãdæ imparẽ existimauit ad ducẽta quinquaginta aureorũ milia euaserat, & tamẽ (ô prodigi animi fœdißimã ingluuiẽ) subtracta quasi vberioris materiæ luxuria, in miserã sese necẽ, pertæsus vitæ (quæ sine cõsuetis luxuriæ sustentamẽtis agẽda esset) præcipitauit. Nos igitur panẽ verbi Dei delectamentũ in se habentem, & fontẽ aquæ viuæ (quẽ qui biberit nõ sitiet in æternũ) cũ Samaritana omnib' votis appetamus. In hunc enim vsum sermo diuinus nobis traditur, vt sustẽtare poßimus eũ qui lassus est verbo. Quot verò nunc mortales delassantur, exanimantur, intermoriuntur, quom (vt Boetij interim verbis vtar) nefarias sceleratorum officinas gaudio, lætitiaque fluitantes, perditißimum quẽq; nouis delationũ fraudibus innitentẽ, iacere

 bonos

bonos nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quemq; ad audendũ facinus impunitate, ad efficiendũ verò præmiis incitari, insontes autẽ non modo securitate, verũ ipsa etiam defensione priuatos esse videamus? Ac sanè qui præsentẽ dũtaxat vitæ cursum, finis eius neglecto scopo, considerare velit, quid quã mundum temerarijs fortuitisq; casibus agi putabit, & nullam esse Dei in rebus humanis prouidentiam atq; æquitatem deierabit? Verbi gratia Dauidem ita fluctuantem audiamus, qui quanquam Dei bonitatem & benignitatem erga Israelem, & omnes qui recto sunt corde maximam esse certissimum haberet, tamen pacem peccatorum & prosperitatem videns, ait: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelatus & indignatus, inquit, sum pacem peccatorum videns; quam non sit videre frequentes aut acerbas eorum mortes, & si quæ contingat calamitas firmamentum habent & sustentaculum diuitiarum, quibus incommoda & plagas repellant. Itaq; in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellãtur, ideo tenet eos superbia, & operti sunt ac tuti in iniquitate & impietate sua; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, cogitauerunt & loquuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso & publicè loquuti sunt; efferunt in cœlum os suum, & lingua eorum peruagatur vniuersam terram. Idcirco populus meus fidelis, cui me ego Dauid annumero, auertitur, nutat, et declinat dicens; dies pleni omni felicitate et longæuitate inueniuntur in eis, proinde scandalizati dicunt: Quomodo scit Deus res humanas, an est scientia casuũ humanorũ in excelso? Non apparet id quidem, nam ecce ipsi peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias.

Sed

Sed, inquit propheta, quoties ad meipsum rediј, dico: Si nō curat Deus terrena, ergo sine causa & frustra iustificaui cor meum, et laui inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Cæterùm si dicebam in animo meo, narrabo & loquar ad istum modū, ecce iā ab altera parte incommodū, absurdumq́; maximum, nempe consequeretur enim quòd & meipsum & nationē filiorū tuorū reprobarem, arguerem q́; vanitatis quasi frustra iustitiæ studuissent. Vide obsecro titubantem cespitātemq́; prophetā in salebrosa peccatorum prosperitate, qui nisi diuini verbi adminiculo tanquam innixorio fuisset suffultus, quàm turpiter cecidisset. Vnde ait: Existimabam voluique hoc cognoscere humani ingenij viribus, sed hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, contemplerq́; in speculo sacræ scripturæ voluntatem Dei, intelligamq́; in nouissimis eorum, quem puta finem habituri sint impij qui hic felices videntur, & quem finem sortientur qui adhærent Deo, & in eo ponunt spem suam.

Exercuit etiam ac solicitauit Philosophos omnes veteres supra modum, maximè Ciceronem, in libris de natura Deorū, & aliis hæc quæstio, an sit prouidentia aliqua Dei in rebus humanis, quod vt concedatur, in ea necessitatem casibus & euentis omnibus ineuitabili ac fatali ordine imponat; quod quidem quanquam non admittatur (hoc enim Deum impium auctoremq́; peccati facit, ac contingentiam rerum, & vim liberi arbitrij in officiis, in delictis, in actionibus moralibus & politicis, & electionem in rebus mediis, in virtutibus & vitiis homini à Deo & natura integra nondumq́; vitiata datam euertit) quomodo tamen præscientia & prouidentia Dei, quæ certa est & immobilis, cum libertate voluntatis humanæ, quæ omni mobilior

aura, Proteo mutabilior, & Euripo inconstantior est, consistere posit. Epicuræi, qui in diem viuunt, etsi non verbis, animo tamen Deum negant, iuxta illud Psalmographi: Dixit insipiens in corde suo non est Deus; & consequenter nullam esse eius prouidentiam, multo minus fatum, insulsißimè credunt. Stoici vero in cõtrariam partem peccant, qui quom prouidentiæ Dei omnia rectè tribuunt, ita vt nihil inscio vel imprudente Deo, tamen in hoc peccant, quòd omnia fato eius tam pia quàm impia ineuitabili ordine fieri falsò asseuerent. Peripatetici verò atq; Academici, in his Plato & Aristoteles, rectè sentiũt õnia fieri prouidente Deo, & euenire quoq; multa necessitate fatali, pleraq; tamen alia in libero hominis arbitrio & electione voluntatis esse posita. Quæ quidem sententia veritati magis est consentanea, tamen quomodo præsciat & prouideat Deus certa & infallibili cognitione & dispositione vnã aliquam hanc aut illam actionẽ, quam tamen homo libera & dubia vel faciendi vel non faciendi electione voluntatis suæ aggreditur, ita vt ab ea præscientia & moderatione diuina non impellatur præsertim ad vitia atq; peccata, nõ satis perspicuè explicant. Neq; id mirum, caliginis enim huius, teste Boëtio, obscuritas causa est, quòd humanæ ratiocinationis motus ad diuinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoueri, quæ si vllo modo cogitari posset nihil relinqueretur ambigui. Sed omnia à Deo præsciri ac prouideri, neque tamen inde consequi necessitatem in rebus humanis, illustri exẽplo illic Boëtius perspicuum facit. Nam eandem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus cognoscit, ille eminus manens totum simul iactis radiis intuetur, hic verò contiguus orbi circa ipsum motus ambitum rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoq; hominem

nem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur; sensus enim figuram in subiecta materia constitutam; imaginatio autem solam sine materia figuram; ratio verò, hanc trãscendens speciẽ ipsam, quæ singularibus inest, vniuersali consideratione perpendit; intelligentiæ verò celsior est oculus supergressa namq; vniuersitatis ambitum ipsam illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. Sicut ergo nostra humana intelligentia sine inferioribus sensibus & aliter etiam quàm inferiores facultates optimè cognoscit & diiudicat, sic illa diuina intelligentia Opt. Max. in summo cacumine rerum omniũ existẽs (quamquã ratio nostra illud quomodo fiat nõ assequitur) ea quæ certos exitus in terra nõ habẽt, certa tamen videt ac definita prænotione. Neq; ea est opinio, sed summæ potius sciẽtiæ nullis terminis inclusa simplicitas, de qua Paulus: O altitudo, inquit, diuitiarũ sapiẽtiæ & scientiæ Dei quã incõprehẽsibilia sunt iudicia eius, et imperuestigabiles viæ eius, quis enim cognouit sensum domini? Si prauũ cor hominis est, & tamẽ idẽ inscrutabile est, quomodo profundissimas illas diuitias omnipotẽtiæ, omnisciẽtiæ, & oĩm amantissimæ bonitatis Dei quis assequatur. Vnde & nõ præuidẽtia sed prouidẽtia poti⁹ dei esse dicitur, quòd procul abs reb⁹ infimis cõstituta quasi ab editissimo rerũ oĩm fastigio cuncta prospiciat. Quid ergo postulamus vt necessaria fiãt quæ diuino lumine prouidentur, quũ ne homines quidẽ necessaria faciãt esse quæ videãt ipsi? Vt enim nos tẽporario intuitu, sic ille æterno oĩa cernit aspectu & prænotione diuina. quæ tamen rerum naturam proprietatemq; non mutat, nec rerum iudicia confundit, sed vno ac simplicissimo suæ mentis aspectu tam necessariè quàm non necessariè vẽtura dinoscit; sicut quom pariter in terra ambulare hominem, & oriri in cœlo Solẽ videmus; quanquã sit simul

vtrunque

vtrunq; conspectū, tamen discernimus, & hoc naturale ac necessarium, illud verò voluntarium iudicamus. Deus ergo præcognoscit omnia necessaria & non necessaria, contingentia, cōsulta, fortuita, & volūtaria. Nā Deus fato prouidet sua fatalia, naturæ sua naturalia, fortunæ sua fortuita, & voluntati sua voluntaria.

Si te vnus adhuc forsitan vrgeat scrupulus, & dicas: Quod Deus videt euenturum, non euenire nō potest, quod autem non potest non euenire, id ex necessitate contingit, ergo quæ Deus prouidet necessariò cōtingunt omnia. Fateor, inquit, Boetius, et respōdeo duas necessitates esse; vnā simplicē absolutamq;, alterā ex conditione. Absolutæ necessitatis exemplum esto, necesse est omnes homines esse ratione præditos & corpora viua. Cōditionatæ necessitatis exemplū sit hoc, vt si quispiam ambulet, pro tempore quo ambulat, eum ambulare necesse est, sed duntaxat ex conditione quantisper ambulat, nulla enim necessitas cogit incedere voluntate & sponte sua gradientē, quāuis eū tamen, quom graditur, incedere necessarium est. Sed tu ô homo quis is qui respondeas Deo, & vnde scis ô homo quanam prouidentia Deus euentura tibi præcognoscat, an necessitate absoluta an conditionata? rursumq; an aduersa an prospera tibi præcognoscat, neq; enim tu ex Dei prouidētia, sed ex tua cōscientia bene vel malè anteactæ vitæ iudicaberis. Sed malorum improbitatem hominū qui in Deum referūt & regerūt criminū suorū culpā quis coërceat? Queritur in principio primi Odyssææ apud Homerū Iuppiter his verbis.

O facinus, mortale genus nos Numina primum
Incusat, causamq; putat, fontemq; malorum
Quæ veniunt, sua sed pereant ob facta nefanda,
Quom præter fatum sibi sponte pericula quærunt.

Atq;

Atq; hoc idem exemplo Ægisthi adulteri comprobat, qui etiã à Mercurio Deo præmonitus, tamen ab adulterio sibi exitiali Clytemnestræ vxoris Agamemnonis non abstinuit. Sed finem facio. Hoc siquidem dumtaxat docere voluí Christianos è libris diuinis, longè melius quàm ethnici philosophi ex naturalis ingenij sui acrimonia hãc quæstionem disputasse, vt in omni re ambigua ad verbi Dei, sacræque theologiæ studium atque præsidium, tamquã ad sacram anchoram confugiamus.

Mantuanum siquidem nostrum plurimæ lectionis virũ hoc ipsum in his tribus de patiẽtia libris, & Dialogo de vita beata comperies factitasse, quos tibi mutuæ necessitudinis nostræ, ab ineũte vtriusque ætate, causa nuncupo. Quòd verò dedicandi horum Mantuani voluminum potestatem mihi sumo & vendico, fit quia apud omnes omnium gentiũ mortales lege receptũ est, vt filij qui legittimi hæredes scribuntur parentum hæreditatem adeant (vt in superiore quadam nuncupatoria memini) quamobrẽ Patris nostri operũ Tomum hũc Quartum tibi consecrare libuit. At si quis dicat plurimis alijs fratribus nostris mihi cùm dignitate tum doctrina præstantibus id iuris potius cedendum fuisse, respondeo ita tulisse fortunã, vt ad manũ typographus tunc fortè non alium quàm me habuerit, quocirca quom super me sors cecidit, κληρονομίας potestate hunc tibi Tomum inscribo. Cæterùm si quisquam mihi molestus adhuc detractione esse pergat sua, neq; hanc diligentiam nostrã aliud quã non ferendã temeritatẽ fuisse dicat, neq; mihi quidquam cum Mãtuano commune fuisse; is ita habeat, quòd veterũ authorũ castigata recognitio (per quã vulnera quæ vel à librariis imperitis, vel à grammatistis audaculis acceperunt obducuntur, & maculæ eluuntur) facit vt libri tales

rẽnas-

renaſcantur quodammodò; nam ſexcentis ferè locis, nō quòd mihi Suffenus eſſe velim, partim melioribus adiutus exēplaribus antiquis, partim ingenio noſtro confirmatus reſtitui tomos hoſce, ita vt iureiurando aſſeuerare audeam quòd non maiore labore Mantuanus hæc ſcripſerit, quā ego reſtituere ſtudui, vt iam eius libri noſtri iā liberi iure adoptionis fiant. Quuòd ſi παλιγγενεσιά *quadā noſter iam factus eſt Mantuanus, quid ni fidiſsimorum mihi amicorum tutelæ committam eundem? Præterea ex vetuſto admodū libro manuſcripto, quē Canonicorū Regularium monaſterij Corſendoncani digniſsimus Dominus Prior Iacobus Vervliet è ſua Bibliotheca mihi dedit cōmmodato, deſcriptam à me Virginis Matris apud Lauretum cultæ hiſtoriolā à Mantuano noſtro compoſitam, hactenus arte impreſſoria, nunquam, ni fallor, euulgatā calcographiæ mandaui & tomo huic adiunxi. Adhæc & inuētu rariſsimū opus, duobus cōſtans libris de laudibus Carmelitarum à Ioanne Trithemio abbate Spanheimenſe cōpoſitum, quartæ huic Mantuani operum ſectioni adiectū curaui. Quom igitur nūc omnibus eatur ad aurum, accipe, conſuleq; boni hos aureos tres de Patientia præſertim, & vnum de vita beata, libros, à quibus, vt & ab aliis omnibus, ſcabritiē, ſitum, & mendas deterſi, eosq; ſuo nitori reddidi priſtino. Tandem quia cōtra Criticos defenſionē, quā ipſe ad Ptolomæū fratrem appellat contra Calumniatores epiſtolā, ſcripſit: in qua vocabulorū: quibus vſus eſt farraginē, latinā phraſim nō reſipientiū exponit; neq; Criticos antiquorū ſcriptorū mētē aſſequutos eſſe palàm declarat, libuit & eorum elenchū quendā facere quem & in fine inuenies, & Vocum ac rerum controuerſæ poſitionis indicē appellaui, Vale ſoſpes. Anno CIↃ. CI-LXXVI Ad Kaledas Martias.*

Eiusdem Laurentij Cuperii in laudem Mantuani carmen Elegiacum.

Castalides suauem solitæ quæ pangere Musam,
In prasino bijugi cespite montis erant.
Hoc duce Baptista meliori carmine scandunt
Dulcia Carmeli fonte liquente iuga.
Atq; choro auricomus medium se præbet Apollo
Vocali modulo plectra sonora mouens.
Aptus & hic nobis modus est Libethrides aiunt,
Hæc bene dulcisonis cantibus arua fauent,
Carmeli se attollit apex, vitreiq; redundant
Fontis aquæ, summo vertice & vsq; cadunt.
Quæ Tyrios rigant campos, & florida circum
Rura soporifero murmure prætereunt.
Et vicina breui labuntur in æquora cursu
Heic vbi mœnia sunt ô Ptolemæe tua.
Monte & in hoc Thasiæ vites, Mareotides albæ
Vitigenum & laticē limpida lenit aqua.
Hanc pater Elias, vatum qui maximus, ipse
Hausit, & hunc montem sæpius incoluit.
Impiger heic liquidos solitus fontes dare vatis
Eliæ manibus sæpe Eliseus erat.

Ne tamen erremus Carmelus visitur alter,
Quo iacet Australi limite durus Arabs.
Frugifer hic non est, neq; dulci commodus unda
Aonij fontis, velq; Heliconis aqua.
Hocce Caballini desunt in monte liquores,
Et procul à Tyrio dissidet ingenio.
Dauidem ferus hic spreuit Nabal officiosum,
Qui Orphea cantando vincere suetus erat.
Pastorem pastor quòd degener oderit almum,
Quid mirum? virtus displicet vsq; malis.
Heu quam pastori pecori quoq; noxius Auster
Morbidus, & multo semper humore grauis.
Nos igitur Tyrium Musæ selegimus aiunt
Carmelum dulci flumine conspicuum.
Huc huc arma ferenda, huc huc resonantia & Echo,
Testudo, citharæ, barbita, plectra, chelis.
Nec Rhodope tantum, nec dat Parnassia rupes,
Quantum Carmeli purior aura, melos.
Mons igitur nostros inter numerabere montes,
Et tua Parnassi gloria maior erit.
Heic doctam pariat seriem Baptista nepotum,
Inuidus interea crassa venena voret.

τελὸς.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI AD PTOLEMAEVM GONZAGAM, VIrum magnificum, Equitemque auratum contra detractores Dialogus.



Vm inductus calumnijs meorum criticorum magnifice Ptolemæe frater suauissime disputatiunculam quandam de vitijs linguæ, quam tibi dedicarem scribere statuissem, colloquutores feci Bartholomeum Brunatium, & Alexandrum fratrem nostrum, ambos præclaros iurisconsultos, & nostræ cathedralis ecclesiæ canonicos. Hi namque sunt vt scis viri integerrimi, & tali nequitia minime inquinati, quod multum ad propositum facere videbatur. Qui enim scelus aliquod volunt detestari, in primis oportet eos ab illo esse liberos ne peccatum condemnando videãtur semetipsos condemnare, & ne in eos dicatur illud Horatij.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis.
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Quod est simile illi euangelico. Festucam in oculo fratris tui vides: trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras. Addendum etiam, quod auditores in huiusmodi dialogis, disputantium maiestas reddit attentos, dum putatur id leue esse non posse, de quo ratiocinentur tales viri: adhibetur etiam eis fides maior, seruaturque illud quod, teste Cicerone, in libris de officijs à Græcis πρέπον, *Latinis decorum appellatur: cuius magna poëtis solet esse cura. Si Leander vel Paris, aut alius quispiam ex eorũ numero, qui Venereis deliramentis sunt famosi ad defensionem pudicitiæ induceretur, & ad perorandum contra lasciuiam, tota spectan-*

tium scæna rideret. & licet accommodate sciteq; diceret, nulla tamē verbis esset auctoritas. Nam vt Augustinus inquit, omni ornatu orationis maius pondus habet vita dicētis. Recte igitur su pradictis viris datur hoc munus vt de rebus grauibus viri graues loquantur. & veri philosophi pro virtute contra vitia bellū gerant. Ipsos igitur audies, & animum tuum dum principi tuo vigilanter inseruis multa negotiorum mole laborantē correspondētium vicißitudine, & multipliciū sentētiarum varietate tāquā cuiusdam viridarij vel picturæ amœnitate recreabis. Aliū quoq; prouentū ex hoc literario prædiolo potes percipere. Cū enim quænam sit detractionis natura perspexeris, & quantum veneni possit exspuere in eos præsertim, qui singulariter sicut tu apud reges & principes honorantur cognosces, ab ea tamquam a peste mortifera tibi cauendum, & semper ac vbiq; circunspiciendum, ne viuendo in securitate, quam iustitiæ conscientia parere consueuit, eius insidijs inuoluaris. & licet hoc munusculum tuis in me meritis, & meo in te amori non respondeat, benigne tamen debes accipere. Nam si quid minus habet, hic paruus effectus, supplere laborabit grandis affectus.

Quid agis ô Brunati? immo quid pateris? Videor enim videre, & vultus est index, te animo, vt solebas, non esse tranquillo: quo fit, vt existimem vel aduersi aliquid te incurrisse, vel sic tibi videri. Sæpe numero namq; vel influxu cæli, vt aiunt astronomi, vel atræ bilis redundantia vt medici prædicant: vel dæmonum opera, vt ferunt theologi, quædam nobis incūbit obscuritas animos ita grauās. vt causam nesciētes plurimū cōtristemur. Sæpe quoq; vigilātes somniamus dū quædā imaginamur dura et aspera, quæ curis importunißimis nos inuoluūt. quo fit vt credā eis quæ de insania Orestis, de illusione Aiacis, de furore Herculis memorātur à priscis BR. Ita est profecto, ita est AL. Et nautā maris, & animū corporis, & hominū mundi huius tædia sentire, inquietudinē ferre, perpeti onera ærūnasq; necesse est; nec Iudicio meo

senten-

sententiæ Stoicorum illa probanda est, quæ negat sapiētē perturbari. tanta enim beatitas, non est huius patriæ, non est huius vitæ: De constanti quidem viro dixit Horatius

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Dictu id facile: factū impoßibile. Peripatetici atq; Academici naturæ magis memores mihi videntur rectius sensisse: cōcedūt nāq; eos qui sunt in felicitate cōstituti, posse animo cōsternari de gradu deijci, in miserias pelli: posse etiā immo & debere, dū felices sunt, multa metuere, puta infamiā, dedecus, opprobria: quæ qui timet probus: qui nō timet impudēs, stupidus, & insanus. AL. Aiūt Stoici, Fortitudinē esse virtutē pro æquitate, & honestate decertātē: tu vero videris segnibus fauere, qui tam meticulosam facis virtutem. B R. Non faueo segnibus ô Alexander: sed nolo virtuti tantum tribuere, vt eam dicam posse nos innouare, & in aliam naturā transmutare. Omnium naturarū certi sunt limites quos præterire non difficile solū est, sed impoßibile. Admonent nos ita esse quæ Græci poetæ de Phaethontis curru, de Icari volatu, de Gigantū bello fabulātur: per hæc.n. datur intelligi verū illud esse, quod vulgo dicitur

Quod natura negat nemo feliciter audet.

Homo est animal rationale quidem: scilicet affectui perturbationiq; subiectū. hoc virtus non tollit: sed moderatur & corrigit. Similis est virtus natandi peritiæ, quæ facit non quidem si in aquam cecideris, ne balneeris: sed ne submergaris. Qui fortiter agendi consuetudinem habet, sic est per virtutem institutus, vt quāuis timeat, timori nō cedat: sed honestatē seruet, rationi pareat, & vitæ pietatē anteponat, &, vt quod sentio paucis aperiā, perturbatio cū rationē anteit, mala est: bona cū sequitur. Scis de Christo cū ad Lasari sepulcrū peruenisset eē scriptū, quod turbauit semetipsū: fuit ille motus quidē regularis quia nō rōem appetitus, sed ratio appetitū antevenit, et ad recte dolēdū prouocauit. Recte

inquam dolendum, nam calamitatibus amicorum ratio vult impendi querelas, mærorem, commiserationem. Cum vero nos turbamur, semper vel plerunque primus in appetitu tamquam in parte plebeia, & minus circumspecta fit tumultus, & inde in rationem deriuatus, facit & ipsam mentem ineptire. Perturbationem ergo non damnamus: sed hysteron proteron, hoc est, postremum, primum fieri vetamus. Quod vero de viris fortibus, vt de Hercule, de Theseo, de Achille, de AEnea solet vulgo dici, quod periculis non cedebant, & sine metu pugnam inuadebant: non sic accipiendum, vt credamus eos nihil intus passos. Inquit enim Hieronymus: Impossible est in sensum hominis non irruere motum medullarum: calorem non sentire. ille laudatur: ille prædicatur. beatus qui statim vt cœperit cogitare, interficit cogitatus. Vincendus ergo primum est affectus, qui est hostis intrinsecus, pauor infrenandus, sedandus appetitus, ratione mox libera contra hostem extrinsecum fortiter dimicandum: quo fit vt pugili recte legittimeque certanti, duplex, si vicerit, corona sit debita: vna de interiore, altera de exteriore hoste profligato. Vnde dicit scriptura: Meliorem esse patientem viro forti, & qui animo dominatur suo, expugnatore vrbium. Meministi ô Alexander, meministi viri eius de quo in vitis patrum toties legimus, quod cum esset matrem iam vetulam, & rugis aratam trans flumen laturus, ne corpus muliebre contrectaret, inuoluit manus pallio, & tali antidoto contra id venenum se muniuit. AL. Memini ô Brunati, & pro certo fatendum est, vim concupiscibilem semper metuendam. quippe quæ peruersæ sit naturæ, legum rationisque inimica, fomes intemperantiæ, fons omnis nequitiæ, & omnium denique malorum incentiuum. Id Iacobus apostolus luculenter ostendit cum inquit: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Audi etiam Paulum melius quam Stoici de homine sentientem. Video inquit aliam legem in membris meis, legi mentis meæ repugnantem,

tem.BR. Quod ergo ô Alexander de purgatorijs & de purgati animi virtutibus tradidere philosophi. Quod,scilicet illæ cum affectibus pugnent, & istæ victis perturbationibus sine molestia degāt simile deliramentis reputarim: audierant fortasse dum disciplinæ gratia vagarentur, & AEgyptum peragrarēt, vbi olim Moses & Abraam reliquerant veritatis quædam vestigia, nonnihil de statu innocentiæ, de vi naturæ integræ, nec dum per peccatum deprauatæ: & id male intellectum pigmento Græcitatis liniuerunt. Dum enim quæ Moses tradidit subfurati student. corticis nitore delectati quæ intus laterent non viderunt. De naturæ integritate dicebantur, quæ de omni statu dixit Zeno. Si Adam in innocentia perstitisset,nec persuasori malo consensisset, vt est theologorum communis opinio,ratio principatum tenuisset. principatum inquam non democraticum,qualis est Genuensium: nō aristocraticū,qualis est Venetorū: sed despoticū ac monarchicū qualis est regū ac Imperatorū. Imperasset ratio, paruisset appetitus. sempiterna seruitute cōpeditus. At natura vitiata per peccatū solutæ sunt induciæ, sensui tergiuersandi data licētia, viriū animæ regnū perturbatū, & æterna inter eas orta discordia. Putauerunt ergo philosophi rebellionis causam nescientes, posse nos in statum innocentiæ, si tamen debet status appellari, in quo tam paucis horis homo permanserit, virtutis beneficio reuocari: sed longe aliter sese res habet. Quid enim sibi vult ô Alexander paradisi portæ custos adhibitus, qui volentes ingredi submoueret? Heic nimirum datur intelligi, non posse in statum illum nos reuerti. Dominus noster Iesus Christus vir mente & corpore consummatissimus, cum mercantes in templo flagellauit, cum numulariorū æs euertit, ita commotus est: cum misertus legitur super turbam cum fleuit Lazarum quatriduanum, misericordiæ affectum ipse tulit. Quid dicendum est de illo loco: Cæpit contristari, & mæstus esse. Item de illo: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: et de illo item, vbi dicitur præ agonia sudasse sanguinem. Nōne videntur

hæc esse hominis signa perturbati? Quid cōsulimus igitur Stoicos? quid inter Peripateticos vestigantes. quid ab Academicis mendicamus quod exemplo Christi abunde perdocemus? Terentianus Chremes mihi semper visus est Zenone cordatior. is enim Menedemum suadere volentem ne se maceraret, sic alloquitur. Homo sum: humani a me nihil alienum puto. Phocylidis Græci viri sapientissimi verba sunt ista: κοινὰ πάθη πάντων, passiones sunt communes. Citetur mater Christi: citetur & Ioseph eius maritus, in quibus profligatus erat appetitus. Ipsa tamen dixit, teste euangelista, Fili quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. perturbationem confitetur, quæ dolore angi se testatur. Sed quid imputamus ista Zenoni, quid obijcimus hoc Chrysippo, qui fuerunt principes Stoicorum: non fuit eorum ista sententia: sed quorundā aliorum pseudostoicorum. Quid Aulus Gellius in Noctibus Atticis apte luculenterq; pertractat et in nono de Ciuitate Dei repetit Augustinus. Aiunt enim isti auctores præclarissimi exstare librum Stoici Epicteti, in quo scripta erant quæ Zenonis & Chrysippi decretis congruerent, &, vt aiunt, in eo legebātur animi visa, quæ phantasiæ appellantur, prohiberi nō posse, quī animis incidāt, et cū ex rebus fiūt terrificis, necessario percelli etiam sapientes. ex improuiso namq; irruunt, antequam ratio possit accurrere: sed in potestate hominis esse rationem exspectare, & inter stultum & sapientem hoc interesse, quod subito impetu stulti os fugetur: sapiens verò locum non deserat, ne opinione mali recipiat, nec philosophorum phantasijs accommodet mentis assensum: sed fortiter retineat propositum & veram inconcussa mente sententiam. A L. Postquam vt inquis & Stoicis placet, sapientiæ perturbatio non repugnat, si sit rationis lege coercita, te perturbatum possumus confiteri. Sed velim à te doceri qiud contigerit tibi aduersi: quomodo id feras non requiro. nam cum te sciam esse sapientem, quin decenter feras non diffido. B R. Liceat heic pauca præfari vt possim luculentius

lætius respondere. A Peripateticis definitur virtus, quod sit medio critas non indiuisibilis, sed spaciosa, & late porrecta, vt non sit necesse in puncto consistere, hoc est, vno tātum modo bene agere: Et mediocritati huic terminādæ præfecit Aristoteles sapientē: cuius sit definire vbi nam sit medium, & an actio moralis discedat ab eo. Sed tam varia sunt eorum iudicia qui sapientes & sunt & habentur, vt ab ipsis quoque de huiusmodi medio contendatur. Qui enim natura est seuerus vt Cato, in Coniuratione depræhensos vult occidi: qui vero humanior est, vt Cæsar dictator, vult relegari, & in statuendo medio discordatur: Et quidem vt Horatius inquit.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos vltra citraq́ nequit consistere rectum.

Fines istos esse facile cōcluditur: sed eos sine errore disquirere, verbis explicare, non plane est facile: facto autem consequi difficillimum. Quærunt pictores ac geometræ, vtrum difficilius manus ne dexteritate perfectum semel circulum describere, vel in circulo cētrum subito inuenire. sed id vt cūq́ sit, hoc certe confessum est, arduū rē esse medium in virtute conspicari. prope enim infinitorū habenda est ratio, puta personarum, rerum, temporum, locorum, casuum præsentium ac futurorum, habitudinis corporum, & consuetudinum, & ceterorum, quæ, quia connumerare nimis est longum, consulto prætereo, & ad interrogationem tuam me conuerto. Videor igitur, vt tibi respondeam, in perferēdis aduersitatibus vel mediocritatem seruare, vel certe ab ea non longe discedere. Hæc mea sententia, verùm, quia mea est, suspecta mihi est. Te autem modo nactus, de cuius sapientia certiores sumus, æque mihi gratulor, ac si de auri dubitans bonitate forte fortuna indicem reperissem. Narrabo igitur tibi vt æquissimo iudici aduersitatem meā, & quomodo eam ferā. In te namq́ tria illa conspicio, quæ Plato in Gorgia bonum obiurgatorē vult habere. scilicet, vt obiurgandū cognoscat, amet, & audiat.

Audies igitur me patienter, & vbi ex re esse iudicabis, arbitratu tuo me interpellabis. Perturbationis meæ causa est quædam calumnia grauis, & sontica contra vnum ex meis necessarijs sic fabrefacta, sic concinnata, vt accipi a plerisq; possit pro vera. Scis falsariorum mores. adulterinas merces sic expoliunt, ita interpolant & mangonisant, vt ipsi etiam in discernendis eis fallantur artifices. A L. Probe inquis ô Brunati. duæ namq; sunt, vt Augustinus inquit, matres erroris: coniunctio scilicet, & similitudo. vbi plura sic coniunguntur, vt non discernatur facile cõmissura, vnum pro alio sæpe se ingerit, & præstigium facit: deprehẽdimus id in Romanis structuris: vbi duo lapides sic copulãtur, vt quia iũctura visu nõ cernitur, sit opus sensu tactus. Hinc natũ vt scis, Quod ad vnguem dicitur, tractum a marmorarijs, qui vnguibus commissuram explorabant. hæc de coniunctione sic dixerim. De similitudine vero apud Tranquillũ legimus, iuuenẽ quendam Gallum oris lineamentis ac toto corporis filo fuisse Augusto vsque adeo similem, vt senatores quoq; deluserit. Transit & ad virtutes ista deceptio: habet enim, teste Platone in Gorgia, vitium æmulationem cum virtute. Imitatur audacia fortitudinem: crudelitas iustitiam: pusillanimitas modestiã: adulatio amicitiã: auaritia parcimoniam: calliditas prudentiam. Quo fit, vt qui ad iudicandum sunt procliues, facile prolabantur, sepius eludantur. Et hic principũ omnium cõmunis est morbus. nimis enim auide, nimis incaute audiunt delatores, & cum arces & castella diligenter custodiãt, aures incustoditas sẽper habẽt. Apelles ille pictor tã illustris falso accusatus est a discipulo Antiphilo apud Ptolemæũ regem AEgypti, quod Tyriæ defectionis conscius fuisset, eo enim tempore Tyrus defecerat. continuo rex credulus habens pro cõperta veritate mendacium, cepit altius furere, & minis ac contumelijs Apellem incessere, & nisi quidam ex coniuratis eum expurgasset, erat propediem capite plectendus. Postquam autem fraus innotuit, erubuisse rex dicitur, & pro illatis cõtumelijs cẽtũ talentis

Apelles calumn... [handwritten margin note]

Apellem

Apellem donauit, eiq; Antiphilum delatorem in perpetuum seruum mancipauit. B R. Ptolemæus in principio pueriliter, in fine vero se gessit regaliter, confessus ingenue culpam suam, & mærentem amicum benigne consolatus. sed plerique non ita agunt. nã si paulo post falsitatem deprehẽderint, credulitatis incautæ pudore confusi, nec intueri audent reum, nec affari. A L. Apelles imitatus suum periculum, vt tradidit Lucianus auctor perlepidus pinxit calumniam, pictura vero erat huiusmodi. Vir sedebat admodum auritus, Midæque persimilis: quem poetæ ferunt auriculas asininas habuisse. hic accedenti calumniæ porrigebat manũ, astabantque ei duæ mulieres, Ignorantia, & Suspicio: e regione vero ad iudicem stabat Calumnia forma peregregia, sed iram & indignationem præ se ferens, dexteraque iuuenem trahens manibus eleuatis eiulantem. Calumniam præcedebat Liuor pallidulus, de fecti senis gerẽs effigiem, similisque homini, qui fuisset longo morbo afflictatus. sequebãtur Calumniam duæ pedissequæ pulcritudine adulantes, & circa eius ornatum satagentes: vni nomen Fraus alteri Insidiæ. sequebatur & mulier veste impluuiata ac lacera, flens vbertim, & multum se macerans: & hanc esse volebat pœnitentiam: quæ venientem Veritatem prospiciens, pudore deperibat. & talis Apellis erat pictura: ex qua Lucianus Calumniæ diffinitionem sic colligit. Calumnia est reum absentem latens & sine contradictione credita accusatio. B R. Probè Lucianus, cuius cum essem iunior, & Græcæ litteraturæ operam impenderem, lectione perfruebar. A L. Putaui aliquando falsum esse quod legeram iuuenis apud Hieronymum. Impossibile scilicet esse sine morsu hominum vitæ præsentis transire curriculum: & ad bonam famam sufficere putabam innocentiam, securus viuebam, & testimonio conscientiæ ac præsidio iustitiæ fidens, nihil à male dictis metuebam. mirabar cum Hieronymum legebam appellare detractores canes suos, & eorũ latratibus per singula opascula reddere. At, vbi experimẽto didici verissimũ id esse quod sine ex

rimāto debebat persuadere eius authoritas, animaduerti Aristotelē recte dixisse in iuuene scientiam esse posse. prudentiā non posse. tradi enim à præceptoribus potest scientia : sed ex longo rerum vsu, qui non cadit in iuuenem, fit prudentia. quo fit, vt plurimum tempori debeamus, sine quo neque prudentia, neq; artium consummatio haberi possit. Sed contemplare ò Brunatti quod mihi modo venit in mentem, vt mundus hic quem inhabitamus plenus sit fraudum & insidiarum. Insidiari voco quidpiam nocumenti clam moliri. Audi Virgiliū, conterraneum nostrum.

Torua leæna lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cythisum sequitur lasciua Capella.

Sic poeta noster animantium naturam & affectum ostendit. At non solum in animātibus, sed in omni fere opere naturæ quod cæli ambitu cōtinetur, hoc infelicitatis genus inuenies. Nam si Eudoxo, Hipparcho, Petosiri, Necepso, Beroso, Epigeni, Firmico, Manilio, Ptolemæo, & cæteris astronomis fidē adhibemus, signa etiā cælestia sibi sunt contraria, adeoq; inimica, vt quod fit ab vno, destruatur ab alio. Omitto quod Saturnus sit malignus, Iupiter bēignus. Scorpius humidus siccus Sagittarius, et quod ab eis cōtrarū producantur effectus, hæc enim sunt vbiq; iam vulgata. Elemēta quoq; vt physici & Aristoteles prodiderunt, sibi insidiātur: ignis aerem, aer aquam, aqua terram non cessat erodere, & exercent assiduam cum perpetua simultate discordiam. Nec elementa solum : sed ea etiam quæ ex elementis natura composuit. rubigo segetes vrit: erugo ferrum consumit: tenia vestes: teredo lignum : campæ folia: bruchus olera : blattæ libros semper exulcerant. Herbæ etiam herbis infestæ sunt: vtilibus, inutiles, fecundis steriles. Dixit etiam AEsopus, vt in eius vita legisse me memini, terram malis herbis esse matrem : bonis nouercam. Est etiam apud Græcos illud adagium:

Est quandoq; dies mater quandoq; nouerca.

Videtur

Videtur ergo ex vniuersa natura lis hæc exorta. Si ergo à natura sic affecti sumus, vt semper disceptemus, nec remedium inueniri morbo isti, neque culpa imputari vlla potest. quod enim est a natura neque immutatur, neque imputatur. Nascitur & aliud ex hoc incommodum, quod videlicet natura rerũ omnium parens, & magistra, quasi cæcutiẽs, & quid agat ignara, videatur seipsam destructũ ire. nam si rebus a se progenitis indidit istud virus, vt inuicem digladiẽtur seseq; destruãt, quomodo non proprium quærit interitum? Nec persisterem in hac quæstione, si a proposito esset aliena: sed rei, de qua loquimur, sic est innexa, vt illam considerãti ista se offerat. Quis ergo non miretur in mutuũ interitũ nos esse ita pronos, itaq; præcipites, vt nũquã cessemus aut verbo aut facto colluctari? neque id diuersarũ gentiũ est vitiũ, vt longinquitatem in causa esse dicas. in eadẽ vrbe vel oppido, in eadẽ gente, in eisdẽ ædibus, intra eosdẽ parietes regnat hæc pestis. Taceo Syllas & Marios, Catilinas & Graccos; Cæsares et Pompeios, Cicerones & Antonios: quos, quod essent Allophyli, respõdere quis posset gratia destitutos. Venio ad sacras litteras: in eodem Rebeccæ vtero duo infantuli nondum in lucem editi decertasse leguntur, vt ad id, quod diximus, intra eosdem parietes, superaddi posit, & in eodem vtero regnare hanc belluam. Duo primi fratres tanto se odio persequebantur, tanto inuidiæ zelo laborabant, vt maior nequiuerit à minoris excidio temperare. Filij Iacob tanto in Ioseph stomacho exarserunt, vt omnes demto vno in eius mortem conspirarint, & ne sit inter eos quisquam innocens, ipse quoque qui dissensit in mortẽ, consiliũ dedit de venditione. Ambiuit Absalon regnũ paternũ, & vsq; adeo insaniuit, vt Dauid discedere, & salutem quærere fuga coactus sit. B R. Tu more oratorio sermonẽ ampliasti per naturas rerũ, per historias antiquorũ circũactus, & enthymematibus ac exemplis argumentans: me vero opus est loqui Laconice, & dialecticorum more paucis agere. Conditurus mundum

Deus,

Deus, vt varium & multiplex opus euaderet, quædã fecit incorporea, quædam corporea. Corporeorum quoq; quædam perpetua, vt cælestes orbes: quædã mortalia, vt inferiora. Mortalia quoq; diuisit in ea quæ sunt simplicia, & quæ composita. Simplicia philosophi dicunt elementa, quorum coitu procreãtur mixta: quæ bifariam sunt diuisa. Nonnulla enim fecit mox solubilia, vt grandines, rores, pluuiæ, pruinæ: quædam perdurantia, qualia sunt metalla. Perdurantium etiam genus est multiplex. nã pars eorum viuit, pars est sine vita. & quæ vitæ sunt capacia, non sunt vniformia. Sunt enim N. quæ sentiant: sunt & quæ sensu careãt, vt arbores. & herbæ: licet poetæ dixerint Dryades, & Napæas in eis viuere. Sẽtientia quoq; placuit partiri in ratione vtẽtia, qualis est homo: & in ea quæ pollẽt solo sensu, vt aues, & pecudes. Hæc naturarũmũdi breuis est sũma. Que Deus voluit sẽper permanere cõtrarietatis fecit expertia, vt cælestes orbes. & sidera. contrarietas enim semẽ est mortis: & quãquã cæli partes videantur contrariæ, quod hæc vt Saturnus frigescere, illa vt Mars dicatur calescere, non tamẽ sunt contrariæ: non enim sunt illic istæ qualitates, calor & frigiditas, siccitas, humiditas, accidẽtales formæ: sed solum virtutes earũ productiuæ. Saturnus ergo frigidus non est, quod ipse frigeat: sed quod frigus gignat: hoc est, quod philosophi clamant per scholas, quædam formis esse contraria, vt ignis & aqua: quædam virtutibus, vt piper & camphora, zingiber & rosa. Si dicas vlterius saltem cæli partes in hoc discordare. quia quod Mars construit, Saturnus dissoluit: respondetur paucis, quod niti in contrarium non sit discordare. Respice funarios, seu restiones, quos Græci vocant Schœnoplocos, quando funes contingunt, vnus dextrorsum, alter sinistrorsum filum torquent, & videntur in effectu discordare, & tamen sunt concordes. Audi & cantores, quando modulãtur: si qualitatem attẽderis vocum, hoc est, graue, & acutum tibi videbuntur sibi aduersari: contrariæ namq; sunt graue, & acutum. Contraria enim

vocant philosophi, quæ sub eodẽ genere maxime distant: vt dulce, & amarum sub sapore: album & nigrum sub colore: & similiter sub sono acutum & graue: concordes tamen canunt, quod Symphoniæ, hoc est, consonãtiæ nomẽ ostẽdit. Cæli ergo partes seu sint animatæ, sicut homo, seu habeant animas sibi assistẽtes, vt nauis habet nautas, nõ sibi aduersantur, sed vnanimi cõsensu cũcta pertractant. In inferioribus vero naturis in homine quoq; regnat discordia, in alijs sine culpa, in hoĩe cũ culpa quod illa naturæ necessitate ferantur: homo volũtatis libertate fungatur, Et ad id quod dicebas naturam esse cæcam, vt pote quæ per cõtrarietatẽ naturarum procurasse videatur suum interitum, responderi potest, rerum species à Deo procreatas accepisse, ab eo talem instinctum sibi controuersandi, seseq; corrumpendi, quia nolebat eas semper subsistere: cum vero subiungebas, quod si natura genuit nos tales, vt colluctari semper studeamus, non debere imputari ad peccatum, quod nobis naturaliter est insitum, sciebas credo posse responderi, duplicem in nobis esse naturam, vnam conmunem nobis & brutis: alteram quæ Dei gerat imaginẽ. De prima dixit Moses sensus & cogitatio cordis humani prona est ad malũ, & si sola esset, soluta lege essent, neq; peccaret. Ait enim Paulus se peccatum nescire, nisi per legem. sed quia est coniuncta, & sub secundæ potestate constituta, sicut Agar sub Sara, si quid ea suadente per nos peccatur, nobis imputatur. De Iacob & Esau quod in matris vtero colluctarint, hoc solum dicendum est colluctationem illam a natura non fluxisse: sed a Dei voluntate futuram discordiam sic significante. & de his pro captu meo satis multa. Sed caue mi Alexander, ne in tales Symplegades me deinceps mittas. breui cymba nauigo. tantillæ naniculæ habenda est ratio. AL. Apte in Christo venerande mi Brunati respondisti, nodos omnes luculenter exsoluisti, & nisi tua singularis prudentia fuisset antea satis mihi perspecta, tã perplexis questionibus te nõ vexassẽ. Procedamus ergo nisi molestum est. BR. Molestum ne dixeris, quod

ab adolescentia vsq; ad hos canos iucundissimi diuersorij loco habuerim, studia, scilicet litterarum: de quibus inquit noster Hieronymus: Ama scientiam scripturarũ, & carnis vicia non amabis. Quid magis suaue, quod magis cõueniens animo pabulũ, quã disciplina moralis, quæ continetur legibus tã sacris quã ciuilibus? Quid æquè amœnum, quam percurrere gesta tot sæculorum, quæ narrat historia: videre absc ondita naturarum, quæ docet philosophia: diuinarum rerum habere noticiam, quæ theologorũ libris est inclusa? Hoc est quodammodo esse Deum: omnia scire: omnia videre, omnia coram se habere, & animo complecti totum orbẽ. Pergamus igitur. Sed, quia peripatetici satis iam fuimus; sedeamus. AL. Bene monenti paretur vtiliter, sedeamus & ad detractionem nostrã reuertamur. BR. De calumnia dicere inceperamus: sed quia susurratio, contumelia, et detractio ei sunt affines, & quodammodo germanæ, de naturis earum mixtim disputemus. Susurrationis natura, sicut nomen indicat, est submisse loquendo discordiã inter amicos seminare: hic est eius finis, huc sagittã mittit. huc vires ingeniumq; conuertit, & semper pugnat contra concordiam. Contumelia vero à contemnendo dicta, bile amarissima concitata salit in faciem, pugnat conuicijs, & non submissa voce: sed increpitando iacit opprobria, & proximi honorẽ nititur conculcare. Studet detractor famam auferre, & eam, quoad potest diasyrticis cauillationibus laborat extinguere, vel obscurare. Calumniari vero est, falso criminari, sicut supra dixisti, cũ de Appellis pictura loquereris. Vennesa hæc flagitia ferarũ videntur naturã imitari. Feræ enim cũ pugnant, naturali sagacitate videtur cognoscere qua parte possint magis offendere. vulpes cor cõprimit, verticẽ accipiter rostro pertũdit: iugulũ lupus petit, contra quem mille canes armantur. AL. Horum quod grauius BR. Vide vnũquodq; boni quid auferat. AL. Contra amicitiam susuratio militat, contumelia honorem: detractio famam premit, & dissipat. Tria ergo hæc, amicicia, honor, & fama, quem

quem gradum habeant inter humana bona disquiramus. Et quidem dicunt philosophi triplex esse bonū, animi, corporis, atque fortunæ. Animi, vt virtus: corporis, vt sanitas: fortunæ, vt diuitiæ. Et ipsa hæc tria, de quibus est sermo. de amicitia tamen dubitatur, de quo mox infra: & hæc proculdubio tanti apud multos æstimantur, vt ea diuitijs, opibus, potentiæ, immo & ipsi vitæ sæpius anteponat. De Amicicia dicit Aristoteles, sine amicis nullus eligeret viuere, etiam si cuncta possideat bona. Idem dicit, Honorem optimum esse, quod Dis persoluatur. De fama circumfertur illa iam passim vulgata sententia, Melior est bonum nomen, quam diuitiæ multæ. Sunt qui inter hæc tria præferāt honorē: sunt qui famam: sunt qui amicitiam. Qui præferunt amicitiam, dicunt eā suo pulcherrimo sinu rōem omnē bonitatis amplecti. nam si voluptatem quæris, quid iucundius amicis? honestatem, quid diuinius? si vtilitatē, quid cōmodius? Tria enim genera sunt bonorū: honestum, vtile, & delectabile. Et extra hæc tria, nulla est bonitas, quæ omnia amicitia videtur includere. Nonne deserta est vita hominis: nullius amicitiæ fulta præsidio? Crispus Sallustius de ea sic inquit: Idem velle, & idem nolle ea demū firma est amicicia, vt Ciceroni placet, Est humanarum, diuinarumq́ rerum cum beniuolentia & charitate consensio. Pythagoras vero dixit eam esse vnam animam in duobus corporibus: Quo dicto vir sapiens innuere voluit Amiciciam esse mutuum amoris in vnius fidei integritate consensum. Scythæ populi natura immanes, vt refert Lucianus, Amiciciam cunctis bonis anteponunt, & qui duos tresue amicos fideles habuisset. pluris apud eos æstimabatur, quam qui immensas opes & regnum possedisset. Nullum certe est præsentius in aduersis auxilium: nullum dulcius in prosperis solatium: Nullum humanæ societatis fidelius vinculum. Quapropter non dubitant aliqui consanguinitati præferre amiciciam: quod consanguinitas casu contingit, & est fortuita, & ex ea tolli potest beniuolentia;

lentia: at amicitiam solido iudicio voluntas inchoat, & fœdus ac vinculum habet cum beniuolentia & caritate perpetuum. Propterea legimus Socratem dixisse, in amicitijs ineundis electionem necessitate meliorem: & Cicero in primo de Officijs sic præclare inquit: Omnium societatum nulla est præstantior, nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate cõiũcti. Sed quid plura prosequar, cũ nostri saluatoris habeamus exemplum documentis omnibus præferendum: ipse enim cum sibi esset dictum, quod a matre, & fratribus exspectaretur, Quæ inquit, est mater mea? & qui sunt fratres mei? Quicunq; Patris mei facit voluntatem, ipse mihi est frater, & soror, & mater. Quo responso, quid aliud nos docuit, quam coniunctioni carnis & pietati sanguinis, necessitudinem spiritus, & amoris vnitatem præferendam? Tantum ergo, ac tam diuinum bonum, cum abolere nitantur susurrones, quo queso supplicio sunt plectendi Aristoteles quoq; in octauo Ethicorum fert Amicitiæ grande testimonium. dicit enim eam vel virtutem esse, vel cum virtute. quod dictum declarantes pleriq; philosophi, dixerunt inter virtutes collocandam, quo fit, vt non inter externa, sed inter animi bona sit ponenda. Et idem philosophus libro supradicto sic eam commendat, & extollit, vt præferre iustitiæ non dubitet, nil veritus subinferre, non esse opus iusticia, vbi vera amicicia principetur. dicitq; amiciciã à beniuolentia & concordia sic differre quod beniuolẽtia sit quodã principiũ amicitiæ: cõcordia autẽ versetur inter eos qui tractant negotia, & in gerendis rebus fœderantur. & hæc de amicicia. Qui præferunt honorem, argumento hoc vtuntur: quod ea quæ prouehunt disponuntq; homines ad certum bonum, videntur inferiora tali bono, sicut virtus & probitas, quibus idonei simus ad gloriam & ad vitam æternam, tamquam ad summum bonum, comparandæ non videntur tali fini, sed longe ab eo bonitate præcelli. Fama autẽ ad amiciciam & ad honorẽ sicut diaconatus ad sacerdotium quodammodo nos inijciat, & ap-

tos reddit. Citant etiam Aristolem in libro Ethicorum sic dicentem. Honor est præmium virtutis. Et ibidem, Virtuti omnino perfectæ numquam satis dignus honos exhiberi posset: Veruntamen accipiet, quoniam meliora exhiberi non possunt. hoc profecto dicto visus est honorem cunctis fortunæ bonis prætulisse. cum dixit, virtuti nullum maius præmium dari posse, prætulit diuitijs, famæ anteposuit. dixit insuper ex omnibus humanis bonis hominis honorem prææelectum, tãquam quid præstãtissimum, quod Dis daretur. Semper etiam apud mortales vixit hæc opinio, quod omnium præmiorum honor sit maximum. Hinc orta sunt apud Græcos sacra certamina, Olympicum in Arcadia in honorem Pelopis ab Hercule institutum, quod erat gymnicum & equestre: Pythium Appollini sacrum, ob serpentem occisum: Isthmium Neptuno a Theseo dedicatum: Nemæeum ob Herculis memoriam, qui leonem illic interfecit. Hinc triumphandi mos est natus, & primum, vt aiunt, a Baccho inchoatus, & postmodum a Carthaginensibus & Romanis obseruatus: hinc processit ouatio, qui minor triumphus dici potest: hinc coronarum decus inuentum, triumphalis, muralis, castrensis, naualis: adde obsidionalem, quam Plinius cunctis anteponit, & dabatur ei duci, qui aliquos obsidione liberasset: adde & ciuicam militum virtutis insigne clarissimum, quæ erat ex quercu Ioui consecrata: his adiunge rostratas, vallares, gemmatas, & spiceas. Consuetudinem autem coronas donandi, ciuesq; coronandi, primi Athenienses inuenerũt Vberrimo hoc honore virtutis alimento. Periclem decorantes: hinc fluxerunt statuæ, & simulacra, quæ dicitur Prometheus inuenisse. Ferunt autem Athenienses primum statuas posuisse Harmodito, & Aristogito tyrannicidis. Taceo pyramides, memoriæ regum in AEgypto constructas apud Memphim, & in tantam porrectas altitudinem, vt mirarentur homines illuc vsque cæmenta subuehi potuisse. Taceo sepulcrorum miranda ornamenta, vt Mausoli in Caria, & Adriani Romæ. Taceo colossos, prætereo obeliscos, qui sunt trabes marmoreæ, in Heliopoli vrbe

li vrbe AEgypti primum excogitatæ. Possem Labyrinthos, & asyla numerare: quorum vnum erat apud ostium Canopicum in AEgypto Herculi sacrum: vnde serui confugientes reuocari non poterant. Recenseri etiam possent arcus triumphales, titulorum inscriptiones, & infinita monumenta virorum illustrium: altaria, delubra, templa, sacrificia. hæc nimirum omnia fuerunt a mortalibus adinuenta, ad honorandos eos, qui aliqua singulari virtute claruerant, vel qui eos aliquo grandi beneficio affecissent, & vt Virgilius inquit.

Quiq; sui memores alios fecere merendo,

Hæc de honore hactenus. Qui vero volunt famæ suffragari, eamq; honestare, dicunt eam, si bona est, magnum mortalibus esse præsidium. qui namq; honorem perdiderit fama seruata, reperire potest vbiq; refugium, & omnes ad commiserationem inclinabit, qui retenta opinione innocentiæ, de honorũ sublimitate sit deiectus. Demetrius Phalereus tot statuis equestribus ab Atheniensibus honoratus, postquam mutata fortuna capitali sententia fuit condemnatus, inuenit vbiq; vitæ subsidium: sic & Scipio Africanus: sic Camillus, sic Coriolanus. At Nero, & plures alij Romanorum imperatores tantæ maiestatis honore seruato, cum male viuendo famam amisissent, commune odium incurrerunt. & vitam cum imperio perdiderunt. Plato a Dionysio Siciliæ tyranno, Polidi Lacedæmonio traditus venditur in AEgina, priuatur honore, fit seruus ex libero, contumelijs afficitur: fama tamen virtutis incolumis mouit Anniceridem, erat hic Cyrenaicus, & viginti minis redemit Platonem, redemtumq; Athenas ad amicos misit, a quibus restituta mox pecunia maior, vt inquit Hyeronimus, emente se fuit. Concedamus etiam honorem nobilitate naturæ præferendum famæ, quid tum postea o mi Brunati? Nonne & passerculus est auro nobilior? Dicit enim Augustinus, inuisibilia visibilibus, incorporea corporeis, animata inanimatis, viuentia nõ viuentibus præferenda. Viuit passerculus, aurũ non viuit. Quod furtũ ergo grauius, passeris, an auri? & qui

dubitabit auri respondere? Aurum namque maiori est usui, ma
gisq́ necessarium, & in eius amißione maius infertur nobis detri
mentũ, Quanto autẽ proximus plus læditur, tanto peccatũ grauius
sequitur. Quando ergo de peccati grauitate disseritur, non quod
est nobilius, vel natura melius: sed, quod est utlius, aduertendum.
Hac igitur permotus ratione quidquid alij dixerint, iudico de-
tractionẽ contumeliæ in malicia præponendam, & peiorem cõ-
tumelioso detractorẽ. Accedit ad hoc, quod contumeliæ adhibetur
fides infirmior. Contumeliosus enim feruore iracũdiæ calefactus
(fit enim ab iracundia contumelia) nõ dißimulata pertubatione,
prorumpi in verba admodum atrocia, & quanto se inimicum
fatetur apertius, tanto minus infert nocumentum. occludit e-
nim credulitati viam. nã credi minus finitur quod ex impetu e-
rumpere, & non ex iudicio procedere iudicatur. At detractor et
susurro simulata amicitia, mentito supercilio, vultu cõposito, ge-
stu accõmodato, exspectata, & interdũ etiã facta occasione, capta
opportunitate, clã, & per insidias ad nocendũ venit: inuitũ se iu-
rat id munus assumere, se detractores exhorrere, nescire se maledi
cis credere: nec se vmquã crediturũ ea fuisse, nisi vidisset: temere
assentiri noluisse, bene de eo hoĩe semper sensisse, sæpius delatorem
increpasse: famã, quoad honeste potuerit, defendisse: diu ac multũ
se cogitasse ea ne diuulgare an occultare præstaret: cõsuluisse se reli
giosos viros, quos sciret cõsciẽtiæ esse mũdißimæ, fideiq́ perspectæ, et
demũ, postquã cõpererit id publico et priuato bono cõducere, vix ad
duci potuisse, ut cõtra cõsuetudinẽ ac naturã suã tã noxiũ, tã indi
gnũ, tã nefariũ scelus, tãquã serpẽtẽ tortuosũe suis latebris traxisse
in apertũ. adhibet suspiria, lacrymas adiũgit, cælũ suspicit, Deum
testatur, allegat cõsciẽtiam: suã accusat simplicitatem, quod ante
nõ aduerterit: tarditatẽ suã dãnat, quod monẽtibus nõ crediderit,
se nãq́ præmonitũ dicit à multis, interdũ indignabũdus in detesta
tionẽ sceleris ĩsurgit, detestatur, & ĩspuit: scelus se odisse nõ perso
nã iurat: mirari se dicit hoĩs astutiã quod culpã suã tã diu obtexe
rit: audaciã, quod tãtũ scelus ausus sit: demẽtiã, quod occultãdum

 sperarit, Cũ Christus

stus dicat: Nihil occultum quod non reueletur. His verbis, hac hyprocrisi circumuentus auditor cogitur assentiri, & fit quod Bernardus inquit, Detractorem scilicet vno ictu tres confodere: eum videlicet cui detrahit, auditorem, & seipsum. Et super his tribus ista sic dixerim: tuum est modo Brunati partibus auditis ferre sententiam. BR. Est iam dudum apud me ô Alexander mi suauissime super hoc negotio lata sententia, &, quid multis opus est, dictis ad stipulor, atque subscribo. De vna quaque re disputatio debet inuenta veritate cessare, sicut, vt inquit Aristoteles, acquisito termino cessat motus. AL. Vnde hæc oro te mi Brunati? vnde hæc vis dicendi detractori? vnde hæc suadela susuroni? verbis enim potentibus videntur auditorem mancipare, immo & fascinare, adeoque implicare, vt ex eius laqueis nequeat se exsoluere. BR. Arte & affectu id consequuntur. De Alcone sagittario, qui seruato filio iactu sagittæ serpentem occidit, dixit M. Manilius, Ars erat esse patrem. naturalis enim affectio paternaque pietas cum videret serpentem nato incumbentem sic sese acuit, sic excitauit, vt tota vis animæ illuc confluxerit. hinc processit illud poetæ dictum: Pedidus timor addidit alas. Et item illud, Facundum faciebat amor. Qui de dicendi arte præcipiunt, docent oratorem propositis casibus seipsum accendere. Hinc illud Horatij:

Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi. Et iterum.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram.

Nec odij & inuidiæ minus impetuosus est affectus: fertur enim detractor natura maleuolus odij furore, & ad gloriam labefactandam veneno atrocis flagrat inuidiæ, totasque animi vires in mucronem linguæ cogit, vt fulminet. AL. De detractoris auscultatore quid dicendum? BR. Apostoli est sententia: Non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt dignos esse morte. si tamen detrahenti non consentiat, si eum vel obiurget, vel præ se lata

tristitia

tristitia vultu redarguat, & se vitium illud fastidire significet, venenum non recipit, & a mortifero anhelitu se defendit. Modi aũt quibus calũniator, susurro, & detractor solẽt vti, sunt pæne infiniti: eos tamẽ theologi in cõpẽdiũ hoc adducunt. Aiunt namq; dupliciter ista exerceri: directe, & oblique: Directe quadrupliciter: cum falsum alicui crimen imponitur: cum verum est crimẽ, sed exaggeratur: cum boni quippiam, quia negari non potest, confirmatur. sed prauo id animo, ac peruersa intentione factum dicitur: cum occultum peccatum, verbo, scripto, nutibus, signis, cantilenis etiam astute compositis aperitur: vt de Dato Atellanarũ histrione refert Tranquillus: qui cum fabule Græcæ verba cantaret, vale pater, vale mater, in Neronem versus more actoris bibentem, & natantem repræsentauit: Neronem scilicet notans quod patrem Claudium veneno epoto, & matrem Agripinam machinoso nauigio perdidisset. propter quod histrionem submouit Italia. Si scriptis vtatur, libelli sunt famosi, contra quos leges acriter vt dicemus, inuehuntur. Oblique vero dupliciter: vel bonum quod inest inesse negando: vel silentio prætereundo, quando sese offert dicendi occasio. Sunt etiam quidam qui, ne inuidere videantur, laudant quidem proximum, sed exiliter ac frigide, & quæ in laudẽ dicãtur, vidẽtur mẽdicare. Laudis hæc tẽuitas eo magis nocet quanto ficta amicitia magis persuadet. est etiam in plerisq; Sinonis astutia: qui spargunt voces in vulgum ambiguas, et qui nõ accusant. sed suspectos. Sũt quoque qui clã vituperẽt, quos paulo ante palam laudauerant: hi similes sunt medicis qui medeni simulant & occidunt. Et hi sunt, vt arbitror, quos Iohannes Baptista genimina viperarum appellauit: & de quibus Christus dixit. Vos ex parte diabolo estis: & ad quos Paulus clamabat, Qui talia agunt, regnum Dei non poßidebunt. Venit ad hanc palæstrã etiam ironia, venit antiphrasis. Ironia cum a suo faciunt sensu in sensum contrarium torquetur oratio: vt apud Virgilium:

Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis:
Tuq; puerq; tuus, magnum & memorabile nomen.

Antiphrasis vero, cũ pro vno verbo ponitur in derisum eius oppositũ: vt pro Gigãte ponitur pumilio: candidus pro nigro: sapiẽs pro stulto. Venit & cauillatio, quam Iureconsulti solent pro calũnia vsurpare. Est autẽ cauillatio subdola ratio, quãdo scilicet cõscij falsitatis mendaciũ ad victoriã cõcinnamus. Sed Cicero in libro de officijs cauillationẽ videtur accipere pro specie quadã facetiarũ, non multũ a dicacitate dissidentium. Venit & scõma, quod tamen est cauillũ, & a Macrobio morsus appellatur. Venit & loedoria, quæ est conuicium, & nonnumquam vrbanitas irritante nequitia non conditur sale, sed exacerbatur veneno & felle. It enim aliquando sermo personatus, & sub canina pelle lupus abscondítur. Addamus hîs & fraudem pellacis Vlyssi, bello Troiano cum frumentandi gratia nauigasset in Thraciam, vacuusq; redijsset: mox Palamedes eodem profectus maximam annonæ copiam aduexit. hoc tanto successu contristatus Vlysses liuore contabuit, & gloriæ Palamedis tetendit insidias, Sed quid inquã gloriæ tetendit & vitæ: vt conatu vno cuncta dirueret. subornato enim Palamedis seruo, magnũ auri põdus sub eius tabernaculo sepeliuit: mox literas finxit, quibus scribebatur, Palamedẽ cũ Priamo de prodendis Græcis fœdus iniisse, eumq; à Priamo iam pecuniam ingentem recepisse. Quid plura? Procurante Vlysse scelerũ fabricatore, missi exploratores aurum inueniũt, & sic habetur fides delatori, fama in vulgus missa subito fit concursus, & innocens Palamedes a tumultuantibus turbis lapidatur. O infelix conditio vitæ mortalis, quando virtus & innocentia talibus figmentis est supposita. Iã pudet heic viuere vbi est calũniandi tanta licentia vbi tãtũ detractio exercet imperiũ, nulla sit probitas tã solida, vt nulla relligio tã sincera, quæ possit in terris habitare secura. Trahũt & prosopopœias in hanc militiã: trahũt & periphrases, cum videlicet suppressis personarũ nominibus eas circumscribũt. Sũt qui nomine alicuius quasi per linguæ lapsum expresso digito os cõprimant, & more pœnitentium pectus tundant. Adhibẽt & alias diasyrticas fraudes, vt ea fuit acclamatio cõtra Neronẽ a populo facta

lo facta. Tu facies Auguste: de qua legimus apud Tranquillũ. Nã cum legeretur in senatu eius oratio contra Iulium Vindicem, prouentum est ad particulã illã orationis in qua dicabatur daturos pœnas scelerato, ac breui dignum exitum facturos: acclamatum est ab vniuersis: Tu facies Auguste. Ipsi quidem acclamantes videbantur dicere, Tu facies Auguste, vt dignum exitum faciant scelerati: sed volebant intelligi, Tu facies Auguste tuis facinoribus exitũ cõdignũ. Non pigeat his addere, quod recitatur a Trãquillo de Augusto: nam cum in sacris Deæ Cybeles gallus quidam eius Deæ sacerdos euiratus aptè tympanizasset, versus ille galliambus ab incerto auctore fuit prolatus:

Vides ne, vt cinædus iste orbem digito temperat?

Visus est ille, qui protulit, de sacerdote loqui orbẽ, id est, tympanũ digito tẽperante: qui quod erat euiratus, & mollis, cinædus dici poterat: sed intelligi volebat de Augusto, quem cinædum vocabat orbem, id est, mundum digito, id est, arbitrio facile gubernantem. Addam & aliud chroma rhetoricum, quam occupationem dicunt grammatici, cum videlicet aiunt se tacere quod maximè audiri sciriq́ cupiunt: vt, Taceo eius auaritiam, ambitionem, superbiam: de gula & luxuria verba non facio. His & alijs modis prope infinitis, quos iam pridem excogitauit, & in dies excogitat ista peruersitas, maxima pars mortalium vulneratur. AL. Habet ergo detrahendi versutia, sicut & ars militaris stratagemata sua: quorum vnum, quia videtur insigne, nunc exponam. Quidam frugi homo nebulonis cuiusdam odium incurrerat, ea de causa solum, quod eius nequitiam sæpius obiurgabat: nam.

Obsequium amicos veritas odium parit,

Vt Comicus inquit, Indignatus ergo nebulo cum aliter ei nocere non posset, technam adinuenit, calumniam finxit, quæ facile credi suaderiq́ posset, & vt ipse in iudicio testis esse posset, dedit in manum alteri nebuloni sibi persimili, vt accusaret: tandem in iudicium deuenitur, & cum ad testificandũ nebulo peruenisset,

stratagemata stratagemata [handwritten marginal note, partly illegible]

set, primum finxit se mirari cur adscitus esset, & quasi noscitabundus quid id negotij esset perquirebat: vt explicata est causa contracto supercilio, & iunctis pectinatim manibus diu hæsitalut & subsistit: mox quasi inuitus loqueretur, dicam, inquit, quæ vt verum fatear, ne in rebus indignis animum occuparem, obliuiscide industria studueram: hac igitur præfatione facta, & purulenti cordis vomica iam aperta, saniem virosam cœpit euomere. Sed affectu linguam, vt fit, transportante, dum plus longe respondet quam requirebatur, & longe ac late culpam exagerat, se suspectũ fecit, de iudicio eijcitur, suaq; ipsius arte cõuictus est. Paucis post diebus ab immundo spiritu nebulo obsidetur, & exorcismis adhibitis cum quæreretur a dæmone, cur eum vexaret, calumniatorem torquere se respondit. Hoc responso exorcista redijt in memoriam fraudis supradictæ, & arbitratus se non solum frustra niti, sed etiam peccare, si iuste vltioni contra iret, confestim decessit, & diabolo cruciãdum dereliquit. Sunt alia quoq; apud detractores & pæne infinitæ schematũ species, tropologicæ locutiones, quæ a grãmaticis aliquãdo ad significationẽ, aliquãdo ad decorẽ, modo proprijs, modo translatis verbis vsurpantur. At susurrones naturæ humanæ hostes, pacis & quietis inuasores, gloriæ sicarij, famæ carnifices, hæc omnia in perniciem hominum cõuerterunt. ex horum numero videntur censendi Satyrici noui non illi antiqui: nam satyrarum genus est duplex. Antiquum parum a comœdia differebat, eo scilicet quod erat paulo lasciuius: nouum autem Cynicos imitatur, qui ab Antisthene progeßi vitia hominum palam insectari, taxare, ac suggillare consueuerant: quod officium si gratia correctionis assumatur, plane laudauerim sin autem quod mordere, ac stigmatizare cupiant, ex hominum collegio, tamquam rabidi canes, abigantur. BR. Teneo Alexãder quæ scite sapienterq; dixisti, & recolens ea quæ diu viuendo, multarum me rerum vsus edocuit. Non dubito affirmare calamitatum omnium, quæ homini ab homine domi ac foris vmquã sunt illatæ diram hanc pestem causam præstitisse: de quo qui ambigit

bigit ruinæ humanæ seriem decurrat. Nonne, vt Moses narrat, serpentis antiqui versuta calliditas cum vellet hominem paradiso priuare ab ipsa detractione sumsit exordium? Simulata enim amicitia dixit mulieri, quam habebat pro machina ad expugnandum virum. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno? Sternit sibi nequitia ad fallendum viam, & veneno instillando facit introitum: cum respondisset mulier: Deũ sic velle, & cum mortis interminatione præcepisse, nequaquam moriemini serpens subintulit. Ecce iam Deum fecit mendacem, & adiecit dicens, Scit enim Deus, quod quacumq; cõmederitis aperientur oculi vestri, & eritis sicut Di, bonum atq; malum cognoscentes. His verbis inuidum constituit Deum, quem paulo ante fecerat mendacem: quo fit vt calamitates, ne dum quæ homini ab homine, ve ante dixi, sed etiam quæ quouis alio modo hactenus euenerunt, & deinceps euenient, ex hoc nequitiæ fonte prolabantur. tam ferax & fœcunda malorum est lingua, tot peruersis vsibus accõmodata, vt vix possint hæc vitia infinitis appellationibus explicari: nã irridere, imprecari, carpere, mentiri. blasphemare, prodere, simulare, dissimulare, deuouere, detestari, deierare, adulari, peierare, assentari, iactare, gloriari, insultare, cominari, blacterare, cauillari, circũuenire, rixari, contẽdere, lacessere, mordere, irritare, vituperare, cõuiciari, cõdẽnare: crimiari, exprobrare, reprobrare, calũniari, improperare, cõtumeliari, ĩputare, susurrare, subsannare, linguæ sunt fructus. Potest etiam addi, seditiones parere, factiones suscitare, suscitatas conseruare, conseruatas propagare, honestatem impugnare, veritatem conculcare, sanctã fidem abnegare, bella & mortes suscitare. Sed quid per singula fertur oratio? dicam semel omnia. Bonum é mundo tollere linguæ semper fuit, nostris quoque diebus est officium. A L. Si omnia linguæ vitia vis complecti, cur non addis & blæsos, qui pronuntiando litteras prætermittunt? Adiungas & balbos, qui verbum aliquod proferre non possunt. Addas & Opicos, qui verba incultãt atque supplantant: traulos quoque, qui luctari videntur cum ser-

Linguæ fructus

mone. B R. Iocaris Alexander, an ineptias meas forte suggillas? A L. Non iocor, non subsanno: sed occasionē magis praebeo maioris doctrinae aliquid explicandi. B R. Melioris doctrinae quid habeam nescio, nisi vt ostendam non facere ad propositum quae dixisti: quod, vt armis dialecticorum me tuear, trimembri distinctione declarabo. Vitium ergo est triplex: in natura, in artibus, & in moribus. Vitia in natura nonnumquam ad materiam reducuntur, vt cum est superflua vel diminuta. si fetus habuerit mēbra superflua, puta sex digitos materiae superfluitas est in causa: si vero habuerit solito pauciora, diminutioni materiae imputato. Aliquando vitium prouenit ex agente, vt cum eius debilitas nequit incoeptum opus absoluere, sicut Sol in hieme nequit ad maturitatē fruges perducere. Solet etiam nonnumquam tanta in materia esse rebellio, vt ab agente etiā praeualido vinci non possit, sicut vsu euenit in cancro, in pestilentia, in quartana, quorū materia medico nō obedit: & ad hoc reduci possunt balbi, blaesi, opici, trauli, in quorum formatione natura impedita delirauit. Aliquando etiam foetus receptaculum, puta vterus sine vulua est in causa, vt si intergerini parietes sint diuulsi: tunc enim diffluente materia geminorū corpuscula cōnectūtur. In arte vitium est, cum opifex perperam operatur, & a regulis artis per ignorantiam vel incuriam declinarit. Sunt tamen quaedam in artibus vitia quae laudentur, vt metaphorae, figuraeq́ aliae grammaticorum, quae secūdū rationē vitia appellamus, & a regulis vidētur ita differre sicut quodāmodo aequitas ab iustitia, quia indulgentior: vel chromaticū musicae genus a diatonico, quia mollius, blandius, atq́ suauius. Vitiū in moribus cōmittitur, cū prudentiae leges nō seruātur. Prudentia enim quae est in intellectu, moderatur quae in appetitu sunt virtutes, fortitudinem, iustitiā, ac tēperantiā, & de his vitijs nobis est sermo. Linguae autē vitia quae attulisti, non morū vitia sunt, sed naturae: nisi quod Opicus interdum accipitur pro eo, qui ad libidinē verba frangit, & obscena loquitur: ideoq́ Oscus dicitur, quod Osci Cāpaniae populi solebant olim vti verbis infamibus

bus ac impudicis: et hoc pacto Opicus vitiũ erit moris nõ naturæ. Ad mores quoq; pertinent, linguax, bilinguis, locutuleius: quæ vocabula eos significant qui imprudẽter incõsideranterq; loquũtur, vt vituperones nostri Timoni persimiles, qui, sicut propheta inquit, acuũt linguas suas sicut serpẽtes. A L, Hæc sunt, quæ volebã ne supprimeres: nec enim vllo pacto prætermittenda erat hæc distinctio, & mentio de Timone, quæ obiter incidit, heic optime quadrat, quando detractores Timones dici possunt. BR. Timones duos legimus, si recte memini. Vnum Apolloniatem philosophum, Ptolemæo Philadelpho contemporaneum, qui apud Chalcedoniam docuit philosophiã & oratoriã. hic amarulentus & mordax ideo est appellatus quod Sillos scripserit, hoc est sales, & dicacitates. Aliũ Atheniensem qui ob naturæ asperitatem cum esset inhumanus & inhospitalis, misanthropos, hoc est, osor hominum dicebatur: fugiebat namq; hominum congressus præterquam vnius Alcibiadis. In eius vero sepulcro hoc erat epitaphium, quod ipse sibi dicitur fecisse.

Heic sum post vitam miserámque, inopemque sepultus.
Nomen non queras: Di lector te male perdant.

Abeant ergo in malam crucem maledicentissimi semperq; garriẽtes gerrones isti, & nugigeruli sycophantæq; detractores, qui nulla probitatis habita ratione conspuunt omnes, & linguis passim excreant purulentis, excrementisq; fœdissimis sicut Harpyiæ domos coinquinãt. A L. Cur oro te mi Brunati in deliciarum paradiso, loco tam amæno, tam tuto, tam tranquillo, tot mala dicuntur sumsisse principium? Forte ne vt ostenderetur opulentiam & otium, delicias & gaudium esse incitamentum vitiorum, radicem & fomitem: quæ solent oscitantium esse solatium. & profecto, vt mihi videtur, quædam sunt vitia, quæ excusari quamquam non debeant, generositatis tamẽ nescio quid habeant, & a virilitate ac fortitudine minus absint: vt irasci & insultare. Sed detractio, scelus est humile, abiectum, vile, sordidum, fugax, timidum, imbelle, femineum

Timo de tractor

Principium mali in paradiso

neum, seruile, olidum, despectum: Vulpinantur enim semper detractores, & decipulas tendunt, de quibus illud Psalmi dici potest. Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem, BR. Quam verum sit illud:

Commoditas omnis sua fert incommoda secum.

Hinc patere potest quod sermonis commoditati tantum detractionis hæsit incommodum, vt non facile sit discernere maiori ne emolumento, quam damno, sit sermo, Disserendiq; facultas, & inuenta ad explicandos conceptus oratio. Quod si in disceptationẽ veniat, magna vtrimq; argumenta nascentur, quæ faciant iudices hæsitare. Sed audiamus, si placet, Iacobi apostoli de lingua iudicium. Ecce, inquit, naues cum magnæ sint, & a uentis validis minentur, circumferuntur autem a modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum est, sed magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam siluam cõcendit? lingua ignis est, et vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, & maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata a Gehenna. Omnis enim natura bestiarum, volucrum, & serpentum etiam, & cæterorum domãtur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero, in ipsa benedicimus Deum patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt: sic Iacobus. Non est autem prætereundum gubernaculo & igni linguam comparari. Prius ergo de gubernaculo, mox de igne pauca subinferam. & primo notandum, quod quemadmodum naues clauo, sic homines eloquentia gubernantur. Suadela namque, hoc est, persuasio, vel vis suadendi, quam nonnulli antiquorum Deum crediderunt, nihil est aliud, quam linguæ strenuitas, acõmodata ad vsum concionum. Auctor est Cicero, cum initio rerum & gentium essent homines indisciplinati, qui palantes & vagi sine vlla lege, sedibus incertis ferebantur, fuisse quosdã viros ingenio & eloquentia præditos, qui linguæ dexteritate per

suaserint eis societatem. & conuictum: & sic cœtus hominum coactos, celebrata concilia, vrbes exstructas, leges conditas: nec refert an congregationem huiusmodi persuaserit vtilitas, vt vult Aristoteles: an, vt Ciceroni placet, natura coniunxerit. Vtrumque enim fuit in causa, & neutrum potuisset in effectum perduci, nisi copia dicendi, & commoditas orationis accessisset, hoc est quod antiqui poetæ fabulãtur Amphionẽt, hebanũ muros Thebarũ cithara exstruxisse: Orpheũ lyræ modulatione feras ac siluas, hoc est, homines feros ac siluestres emolliuisse & ad humanitatis studiũ mãsuetudinisque cultum mellifluis persuasionibus allexisse: & quoniã societas hisdem artibus seruatur, quibus ab initio parta est, eloquentia respublicæ constiterunt, bella suseperunt, hostes debellarunt. Demetrius Phalereus dicere solitus erat eloquentiam in vrbibus tantum valere, quantum in bellis ferrum. Exstant conciones Ducum ac Imperatorum, quibus milites animati pulchrum & optabile putauerunt mori: & quod est omni animantiũ generi natura terribile, lingua fecit suaue, Probant historiæ tum Græcæ, tum Latinæ. nam apud has duas nationes claruit in primis eloquentia. sed satis sit causa breuitatis Leonide meminisse: qui eo tempore, quo Xerxes descendit in Græciam cum trecentis Lacedæmonijs, viginti millia Barbarorum occidit. sic erant Ducis oratione persuasi. vt dulcius putarent mori, quam in patriam reuerti ad amicos, ad liberos, ad vxores. Pergite, dixit Leonidas, forti animo ô Lacedæmonij, hodie apud Inferos cenabimus. scribit etiam Cato legiones Romanorum verbis ducum inflammatas sæpe in eum locum alacriter profectas, vnde se credebant nũquam redituras. Aristidem legimus apud Athenienses innocentiæ raræ ac prudentiæ singularis exstitisse, & de tota republica meritum peroptime: tamen sic est Themistoclis lingua afflictatus vt contra ius & fas sit decem annorum multatus exsilio. De Cicerone Latinorum eloquentißimo sic scribit Silius.

Ille super Gangem super exauditus & Indos.
Implebit terras voce, & Furialia bella.

Fulmine

Fulmine compeſcet linguæ.

Eum vero Plinius in naturalis hiſtoriæ libro ſeptimo ſic allo quitur. Te dicente legem Agrariam, hoc eſt alimenta ſua abdicarunt tribus: te ſuadente Roſcio theatralis ſeditionis auctori leges ignouerunt, notataſq́ ſedes ignominiæ diſcrimine æquo animo tulerunt: te orante proſcriptorum liberos honores petere puduit: tuũ Catilina fuit ingeniũ, tu Marcũ Antoniũ proſcripſiſti: ſic Plinius ad verbum. Tanta quoque dicendi vis in Archilocho fuit, vt Lycambem & Neobulen iambicis verſibus ad ſuſpendium impulerit: tantæ indignationis cauſa fuit quod Lycambes filiam Neobulen ei in coniugem promiſſam alteri tradiderat. Moſes ad Pharaonem mittendus a Deo, cum ſciret quanti momenti ſit elocutio, legationem rennuit. Et obſecro inquit Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. reſpondit ei Deus: Aaron frater tuus ſcio quod eloquens ſit ipſe loquetur pro te ad populũ, & erit os tuũ. Propter eloquentiam ergo Moſis interpres & Dei nuntius Aaron eſt factus, Piſiſtrati oratione capti Athenieñſes, ei regiũ imperiũ cõtranitẽte Solone viro ſapiẽtiſsimo cõceſſerũt. Hegeſias Cyrenaicus ſic humanæ vitæ miſerias dicendo explicabat, vt homines ad conciſcẽdã ſibi mortem induceret: quapropter fuit a Ptolemæo rege AEgypti de hoc amplius diſputare prohibitus. Linguæ regnis fines imponũt, populos diſtinguũt, nationes terminãt. Nam dum omnes vna lingua loquebantur, & vnum erat omnibus labium, vnus quoque erat populus: Deus enim cum ad videndam ciuitatem, & turrim Babel deſcẽdiſſet, ecce, dixit, vnus eſt populus, &, cauſam ſubdidit inquiens, Vnum eſt labium omnibus. diuiſis ergo linguis diſperſi ſunt homines in vniuerſas terras, & facta pro diuerſitate linguarum regna diuerſa, regeſq́ diuerſi. Vides ergo, quam ſapienter linguam gubernaculo compararit: ſed clauo iam dimiſſo accedamus ad ignem. Ecce, inquit Iacobus, quantus ignis quam magnam ſiluam incendit. Siluæ quæ linguæ flamma ſuccenduntur, ſunt prouinciæ

regna,

regna, nationes. Cum Paris Helenam rapuit, lingua ex Spartanũ tium ardentem tulit ad Græcos: eos inflammauit, & conflagrare fecit: latebat Achilles in insula Scyro, & eius incendij flammam non senserat: missus est Vlysses ad animosum iuuenem, & ignitis verbis eum incendit. Lingua hunc ignem tulit in Asiam: cogũtur principatus, conspirant nationes, tumultus excitantur, & ex graui duarum orbis partium conflictione, tamquam ex duorum durissimorum silicum collisione, tantus ignis exsilijt, vt adhuc eius flamma perduret. Hinc ciuilia, hinc domestica, atq; intestina bella profluxerunt: lingua enim ciues in ciues, parentes in liberos, filios in parentes, fratres in fratres accendit & armat. Cæsar Augustus accusatorum suggestionibus irritatus, duarum Iuliarum neptis & filiæ probra & dedecora fecit in senatu recitari: mox pœnitentia ductus & ad sese reuersus, non egissem hoc, inquit, si Agrippa, & Mæcenas in vita essent. & summopere desiderare se dicebat Marci Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem. Sunt namque hæ virtutes in agendis rebus & in conseruanda societate necessariæ: sed nihil est quod eas sic dissipet, vt lingua fraudulenta detractoris. sed & aliud priuilegium habet lingua, quod irrisionis est nota, cum petulanter ex ore porrigit, iuxta illud Persij:

Nec linguæ tantum sitiat canis Apula quantum.

Refert A. Gellius, Q. Claudij verba de Gallo illo, qui pugnauit cum Torquato: deinde inquit, Gallus irridere cœpit, atq; linguam exsertare. Quod autem dicit Iacobus, linguam in membris nostris constitutam, cogit me mutuari quædam a medicis, & de ea loqui paulo diffusius. Linguã ergo aiũt, quia est mobilis alligari parti firmæ, & imobili: id enĩ mobiliũ naturæ cõmune est, vt innitãtur fixis: alligatur ergo ossi, quod ex figuræ similitudine dicitur lãbda sicut ea pars AEgypti, vbi Nilus diuiditur, dicitur delta. Sciendũ itẽ duas in gutture fistulas esse: cibalẽ scilicet, quæ a Lactãtio curculio, & a Cornelio Celso quod stomacho connectatur, stomachus dicitur: & vocalem, quæ Græce, τραχεῖα: Latine vero

aſpera eſt appellata: huius pars ſuperior dicitur epigloſſis, vel e-
piglottis nam t, & s, litteræ ſibi cedunt: vnde pulto & pulſo, teſte
Quinctiliano, dixit antiquitas. Inferior vero pars pulmonem in-
greſſa, reſpirandi aerem, & formandæ vocis ſumit officium. De
lingua ſimul & voce dicit Lactantius: Lingua intus protenſa vo
cem in verba diſtendit, & eſt interpres animi: nec tamen ſola po
teſt per ſe loquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illi-
ſerit, & niſi adiuta vel offenſione dentiū, vel cōpreſſione labiorū.
Auicēna in ſexta tertij dicit, linguam eſſe membrū carnoſum, la
xum, & album, in quam concurrit pro ſenſu guſtus, neruorum ac
venarum certa pluralitas, & eam conſtare dicit ex carne &
panniculo carnem inuoluente, & ex venis & arterijs, muſ-
culisq́ nouem, vt poſſit quaque verſum moueri ac flecti. Qua-
druplicē autem eius vſum dicit. Primū, vt cibos liget & voluat
& demum conglobatos in ventrem demittat: vnde teſte Varro-
ne, quod cibos liget lingua, eſt dicta. Secundus vſus eſt ad inci-
dendā vocem, vnde & nonnumq́ appellatur plectrum. Tertius
vſus eſt litterarum expreſſio, quarum quædam craſſo, vt adſpi-
ratæ, quædam exili ſono proferuntur. Quartus eſt circa guſtus
voluptatē, ſaporumq́ differentias, & ea vis, vt Lactantio vide
tur, in extremis eius lateribus, vt vero Auicēnæ placet, in radice,
vel prope eſt conſtituta. Sed valde mirum eſt quod adiungit Ia-
cobus, omnem naturam beſtiarum ac volucrum fuiſſe perdomit-
tam, & linguam a nemine domari potuiſſe: & certe quo ad ſer-
pentes, hoc eſt indubitatum. Ego enim dum eſſem iunior vidiſſe
me memini māſuetos hydros ad hominem, quaſi catulos, venire,
cibum de manu capere: inter homines verſari innocentiſſime. De
Pſyllis Africæ, & de Marſis Italiæ populis nihil attinet dicere:
ipſis namque a natura cum ſerpentibus amicitiam eſſe fama ve
tuſta eſt. Aiunt & in Helleſponto eſſe ophigenas, quos Crates Per
gamenus ſcribit ſerpentum ictus contactu curare, & manu adhi
bita venena extrahere. Quod de volucribus dicit, vulgatiſſimum
eſt. De feris vero legimus Scaurum in ædilitate ſua centum quin

quaginta

quaginta pantheras Romæ ostendisse: deinde Pompeius Magnus quadringentas decem populo exhibuit: Cesar Augustus quadringentas viginti. Elephanti vero, qui terræ animantibus corporis immensitate sunt prælati, succo hordei cito mansuescunt. Liber pater, qui & Bacchus dicitur, India deuicta eos subiugauit, & ad currum iunxit. Idem & Pompeius fecit. Elephantes Italia Pyrrhi regis bello primum vidit, & eos boues Lucas vocauere, quod primum in Lucania sunt conspecti. Marcus Antonius leones primus iugo submisit, & currui suppositos per Italiam duxit. Leonem contrectare, ac posita feritate mansuefactum ostendere primus ausus est Hanno Carthaginensis. Appion polyistor narrat Dacum quendam in circo maximo Cæsare præsente feris obiectum, & a leone quodam, cui claudicanti olim de vestigio stirpem euulserat, sic agnitum fuisse, vt eum repente fera demulserit, eiq; familiariter sese coniunxerit: absolutum insuper a Cæsare Dacum narrat, eiq; suffragijs populi leonem donatum. Beatissimi patris nostri Hieronymi leo citari posset, nisi picti parietes tacentibus nobis illum prædicarent. Perdomitis igitur ferarum generibus, venenum linguæ mansit indomitum. Reges gentium, & Romanorum imperatores, qui per orbem terrarum Barbaras nationes domuerunt, cum humana lingua certare noluerunt. Alexander Magnus cum se conuicijs affici a quodam didicisset, quamquam iræ impatiens ac furibundus esset, patienter tulit: sed ne victus videretur, dixit regium esse, bene facientem male audire. Augustus Cæsar Tiberio monenti Helianum quendam Cordubensem de eo male sentire ac male loqui, respondit in hæc verba. Ætati tuæ mi Tiberi noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam esse, qui de me loquatur male: satis enim est, si habemus, ne quis nobis male facere possit. Tiberius post eum factus Imperator, Senatui roganti vt detractores suos aliqua animaduersione compesceret: respondit se tantum otij non habere: & qui tantam fenestram aperiret aures delationibus plenas semper habiturum.

Nero auctores carminum contra se editorum, teste Tranquillo, non requisiuit: & quosdam per indicem delatos ad senatum, affici grauiore pœna prohibuit, quod videlicet ingenia scribentium aduersum se irritare metueret. Non ab re igitur fingunt poetæ famam post Gigantes ex terra progenitam. Aiunt enim bello inter Deos & Gigantes olim exorto, Terram, cum Gigantes videret trucidari, dolore correptam, &, cum aduersus Deos arma non haberet, & natorum interitum, quacumq; via posset, vellet vlcisci, famam peperisse, quæ Deorum scelera inuulgare & passim disseminare non cessaret. Poeticum hoc figmentum veritate non caret: vult enim innuere eos, qui se aliter nequeunt vindicare, solitos confugere ad detractionem: hæc namq; sunt tela cunctis habilia, quibus mulierculæ quoque vtuntur. A L. Quam optabile foret detractori accidere quod cicadis Locrensibus aiunt euenisse: aiunt enim eas, cum vocalissimæ essent, ad imperium Herculis propter strepitum earum dormire non valentis, subito obmutuisse, & mutas in perpetuum remansisse. B R. Quid si elingues essent, vt crocodili, vel, postquam iocari libet, more ranarũ linguam haberent superiore parte faucibus cohærentem, intimo vero gutture absolutam, qua vlulatum edunt: vnde mares earum ololygones, hoc est, vlulatores nuncupantur. A L. Si magno Dei munere sic plecterentur, infinitis incommodis leuaretur hic mundus. B R. Dicat mihi qui nouit, cui sanctorum lingua non nocuit? Abraham de Chaldea murmur eiecit: arguebatur enim a magis, sicut Socrates a Græcis, quod de Diis eorum male sentiret, parumq; abfuit, quin sit trucidatus. Isaac propter calumnias de Gerris fugit: dicebant enim, quod propter diuitias esset elatus, & inter vicinos ambiret principatum. Eadem fortuna laborauit Iacob: nam filij Laban soceri sui permoleste ferentes eius profectum, susurrare non cessabant, & apud patrem fraudis accusabant, & crebrescentibus quotidie iniurijs dare locum iræ, & reuerti ad Cananæos est coactus. Ioseph filius Iacob post fratrum contumelias, & violentiam apud regem AEgypti

falso

falsò accusatur, & in carcerem coniectus vix post duos annos liberatur. Quid dicendum de Mose, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur? Quotidie populi ferebat opprobria, murmura, conuicia, &, nisi diuina ope fuisset adiutus, & miraculorum euidentia, quæ plebem infrenabat, custoditus, fuisset a turba sæuiente discerptus. & hæc fuit causa, quod contra gentem illam duram & ceruicosam sic diuinæ indignationis furor exarsit: vndecimo enim capite libri Numerorum legitur, vt nosti, magnam populi partem missa de cælo flamma conflagrasse, & Paulo infra soror Mosis Maria propter detractionem lepra percutitur, Decimo quarto capite recitatur Deum rursus indignatũ, & vix a Mose placari potuisse; ne pestilentiæ morbo deleret vniuersos. Eodem capite legimus Deum sic locutum, & hanc in eos tulisse sententiam: Omnes qui murmurastis a viginti annis & supra, non intrabitis terram, super quam leuauii manum meam, vt habitare vos facerem præter Caleb & Iosue: paruulos autem vestros, de quibus dixistis, quod prædæ hostibus forent, introducam, vt videant terram, quæ vobis displicuit: vestra cadauera iacebunt in solitudine: filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta. Item capite sexto decimo, Dathan & Abiron Mosi obijcientes, quod propria auctoritate sacerdotium & principatum vsurpasset, singulari supplicio puniuntur: absorbuit enim eos terra cum tabernaculis & omni substantia, & viui ad Inferos descenderunt: sicut trecentesimo anno post dicitur Amphiarao contigisse. Dauid ille vir secundum cor Dei, dum adhuc esset adolescens, cum in Philistæum venisset pugnaturus, fratrum contumelijs est affectus: dixit enim Eliab frater eius: ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui satis perspexi. Taceo in eum Saulis insidias, Michol conuitia, Absalon proteruiam. Sufficiat referre Semei opprobria. Nam cum videret eum fugientem, egredere clamabat, egredere vir sanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul. & paulo

infra, Ecce premunt te mala tua: tu es enim vir sanguinolentus. Propter huiusmodi probra ac dedecora, quæ pie ac religiose viuēdo sustinebat, in psalmo centesimo decimo nono dicere videtur, linguā dolosam sagittis acutis configendā, & carbonibus desolatorijs adurendam. Miror tamen ô Alexander cur pro desolatorijs Hieronymus transtulerit iuniperorū, cum ἐρημικοῖς legatur a Græcis: quod recte interpretatur desolatorijs. Tuū est ô Alexāder hoc enodare, qui litterarū Hebraicarum es studiosus. A L. Apud Hebræos ponitur רלמים cuius singulare רןלם est in libris regum, vbi dicitur Eliam subter iuniperum desedisse: quomodocumq; ergo legatur a Græcis sic Hebræi legunt, vt dicis Hieronymum transtulisse. B R. Nunc hæc missa faciamus: erit aliud tempus his colloquijs. post hanc ergo ecbasim reuertamur ad ineptias detractorum. Aduersus omnes calamitates, & contra instāntia vitæ pericula aliquid remedij tempus inuenit, & quæ omnia vincit extrema necessitas. Contra terremotum valere aiunt terræ fossiones, puteos prealtos: quibus terra conceptus vapor exspiret. Contra fulmina valere volunt laurum, qua tēpestuoso cælo, vt Tranquillus inquit, Tiberius Cæsar se coronabat: item pellis vituli marini: qua pro tentorio ea de causa vtebatur Augustus. Caput item aquilæ, & habitationes subterraneæ: sub terras namque, vt testatur Plinius, plus quinque pedibus fulmen non penetrat. Contra fascinationes volunt valere baccarem herbam, quæ alio nomine dicitur asarum, de qua Maro noster inquit.

& baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Romæ triumphaturi, contra inuidiæ liuorem, & veneficia maleficorum gestabant ad pectus vasculum quoddam aureum, quibusdam rebus ad id conferentibus plenum, quod Græci vocant alexicacon, hoc est, defensionem a malis, Latini præbium dicunt, & amuletum. Plinius ait ad id valere plurimum vasculum ex succino, si collo suspendatur: item grana vuæ Amineæ, ex qua

ex qua vinum fiebat, quod Falernum vocabant. In agro Salernitano nasci aiunt radicem cyclamini, qui vulgo porcinus panis appellatur: ea dicunt domum in qua fuerit, sic fortunari, vt cōtra eam sit omne maleficij genus inualidum. Idem posse volunt fel canis nigri: scarabeorum nocte volantium cornua serrata: item coralia, quæ etiam nunc infantibus alligantur: quæ omnia, si virtutem habent hanc a natura, non sunt aspernanda. Sunt etiam singulis venenis secundum medicos singula remedia, quæ Barbaro vocabulo bezoar vocant: at contra detractores nullum remedij genus est validum. Indicat hoc Christus in Mathæo dicens: Venit Iohannes neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet: Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Christo quoque præter illa, quæ ipse dixit, vitio datum est, quod turbas seduceret, quod Dei filium falso se faceret, quod ex iactantia dixisset, se templum Dei posse destruere, & in triduo reædificare, quod sabbatum violarit, quod discipuli eius patrum traditionee præterirent, quod dari tributum Cæsari prohiberet, quod inaniter regem se diceret, & improperabant ei quod Samaritanus esset, quod in Beelzebub dæmonia eijceret: immo etiā, quod dæmoniū haberet, quod miracula, quæ negari non poterāt, nō virtute sanctitatis, sed per nomē tetragrāmaton, quod proferre sciret, exerceret: quod nimiū familiariter Lazari sororibus vteretur, quod a peccatrice se tangi permiserit, quod ad gentes transire voluerit, & earum fauorem aucupari, quod in adulterio deprehēsam absoluerit: obiectum est etiā ei a paganis, quod bonus quidem fuerit, sed incautus. Et quis ore ô Alexāder tot flagitiosorū hominū latratibus nō fatigetur, nō obtundatur, non frangatur, non extabescat? Habuit & nostra fides, quæ mera est veritas, suos detractores: primum Iudæos, postmodum gentiles: deinde hæreticos: nunc quoque patitur pseudochristianos, & horum quidam non linguis solum, sed voluminibus magnis: gladijs quoque in eam sæuierunt, Scripsit autem

transeunter contra eam Tranquillus in Nerone dicens: Afflicti suppliciis Christiani genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ. Itē Cornelius Tacitus abolēdo rumori Nero subdidit reos, et exquisitissimis pœnis affecit quos propter flagitia inuisos vulgus appelat Christianos. Auctor eius nominis Christus Tiberio imperāte per procuratorem Pontium supplitio affectus fuerat. Repressa in præsens exitialis superstitio rursum erumpebat non modo per Iudæam, vbi origo eius mali, sed per vrbem etiam, quo cuncta vndiq; atrocia aut pudenda confluunt, celebranturq;. Hoc aūt supplicio in primis affecti sunt a Nerone, vt ferarū tergis coniecti laniatu canū interirent: aut crucibus affixi: aut flāmis in vsum nocturni luminis, vrerentur. Scripsit & Porphyrius cōtra eam: scripsit & Celsus, quem Origenes longa ac luculentissima responsione cōfutauit: scripsit & Hierocles Apolloniū Tyaneū Christo comparans, cui peritissime respondit Eusebius: scripserunt & alij quam plurimi, quorum breuitas meminisse non sinit: Ipsa tamen tamquam ingens moles maximorum fluctuum graues assultus forti & inconcussa firmitate propellit. ALEX. Quid ergo mirū ô Brunati, si nos detractorū malis discerpimur, si atroci sua rabie in nostram humilitatem assidue grassantur, cum semper impugnata fuerit veritas, calcata innocentia, violata puritas, & virtus insidijs circumquaq; dispositis profligata? Petrus & Paulus malefici vocātur, apostoli omnes superstitiosi, magi vel nefici acclamātur: & nos ergo, cū proteruientiū linguarū flagellis atterimur, habentes patientiæ sanctorum exempla, gaudere magis oportet, quam tristari, & sperare nos olim sicut & calamitatum fuerimus, sic eorum gloriæ fore participes. Quare & Petrus inquit: Sic est voluntas Dei, vt, benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. BR. Recte mones ô Alexander: æquanimiter mala ferre oportere. sed rogo te obnixe, ne nostræ professionis videamur obliti, paulum commemores, quid de peste ista sentiant leges. tu enim facillime præstare id potes, qui summa cum auctoritate in foro iudiciali

diciali versaris aßidue, & frequēter in iudicijs exercerū, qui memoria & ingenio plurimum vales: ego senio ingrauescente dicere iam possum illud Virgilij,

Nunc oblita mihi tot carmina.

AL. Præceptoribus parere decet discipulos. Faciam quod præcipis, quantum mihi suppetit facultas, & eo libentius onus id suscipiam, quod tu mihi ades, qui facillime potes & errorem corrigere, & defectum suppelere. Iudiciale forum, vt scis, est duplex: ciuile, & ecclesiasticum, quod vocant canonicum. Canonicum item duplex: publicum, & secretum. In ciuili foro puniuntur iniuriæ, quarum species in institutione de iniurijs explicantur: inter quas fit mentio de libellis famosis & de calumnia: ibidem quoque dicitur pœnam iniuriarum ex lege duodecim tabularum introductam. In Digestis de Iniurijs lex Cornelia sic habetur: Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quod quid eorum fieret, si condemnatus sit quid id fecit, intestabilis ex lege esse iubetur: sic ea lex. Quis vero sit intestabilis Digestis de testamentis sic exprimitur: Si quis ob carmen famosum damnetur senatusconsulto expressum est, vt intestabilis sit: ergo nec testamentum facere poterit: ne: ad testamentum adhiberi testis. Addunt huic legi iureconsulti huiusmodi hominem, qui intestabilis dicitur, nec pro se beneficio testium vti, nec ex testamento capere vllo modo posse. Codicis libro nono titulo de famosis libellis Imperator Valētinianus & Valerius sic aiunt: Si quis famosum libellum siue domi, siue in publico, vel quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat prius, quàm alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si vero non statim easdem chartulas vel corruperit, vel igni consumserit, sed vim earum manifestauerit, sciat se quasi auctorem huiusmodi delicti capitali sententiæ subiugatum. Sane si quis deuotionis suæ ac salutis pu-

publicæ custodiam gerit, nomen suum profiteatur, & quæ per famosum libellum prosequenda putauit, ore proprio dicat: ita vt absque vlla trepidatione accedat, sciens quod si assertionibus suis veri fides fuerit opitulata, laudē maximā ac præmium a nostra clementia consequetur: sin vero minime hæc vera ostēderit, capitali pœna plectetur. Quod vero dicitur capitali pœna plectendum, sic expositor moderatur, si libellus crimen capitale contineat. Potest autem secundum leges in iniuriantem dupliciter agi: ciuiliter scilicet, & criminaliter. Subijciam verba institutionis de iniurijs, in ea sic legitur: In summa sciendum de omni iniuria eum qui passus est posse criminaliter agere vel ciuiliter: & c. si quidem ciuiliter agatur æstimatione facta pœna reo imponitur: sin autem criminaliter, officio iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur: extraordinariam autem pœnam expositores dicunt pœnam esse capitis, vel status, vel pecuniariam fisco inferendam. Quid etiam sit actio ciuilis nonnihil exprimitur Digestis de iniurijs, lege Constitutionibus principalibus. cauetur ea quæ infamādi alterius causa in monumēta publica posita sunt tolli e medio. Etiā ex lege Cornelia iniuriarū actio ciuiliter moueri potest cōdēnatione æstimatione iudicis facienda. Quid etiā sit criminalis actio digestis de iniurijs lege de iniuria sic explicatur: De iniuria nunc extra ordinem ex causa, & ex persona statui solet: & serui quidē flagellis cæsi dominis restituuntur: liberi vero humilioris quidem loci fustibus subijciuntur: cæteri autem vel exsilio temporali, vel interdictione rei certæ coercentur. In hoc foro autem iudicandi regulæ sunt, leges curiatæ, duodecim tabulæ, plebiscita, ius Papirianum, ius Helianum, Senatusconsulta: Prætorum edicta: quod ius honorarium nuncupatur. Principum placita, responsa prudentum. Sed iniuriarum, primum duodecim tabulæ, mox Prætores arbitrio suo, postea lex Cornelia, postremo placita principum, quæ pro legibus habentur, vim represserunt. Anno autem post iniuriam reuoluto, vel reconciliatione secuta, iurisconsulti dicunt iniuriarū actionem extingui. Hæc de

ciuili foro dicta sint hactenus. In ecclesiastico autem foro contra calumniam non inseuere solet indicari: nam in Decretis causa quinta quæstione prima sic inquit Adrianus: Qui in alterius famam publice scripturam aut verba cõtumeliosa confinxerit, & repertus scripturam non probauerit, flagelletur: & qui eam primus inuenerit rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere. Eadem quæstione Gregorius eum, qui contra Castorium nocturno silentio in ciuitatis loco contestationem posuit in eius crimen loquentem, corporis & sanguinis Christi participatione priuat. Quod si non pareat, anathematis vltione percussum a mystico Christi corpore, hoc est, ab ecclesiæ communitate dispertit. In foro autem secreto, quod est pœnitentia, calumniatoret & detractores sic plectuntur, vt ad famæ restitutionem compellantur, quo absolutionis beneficium cõsequatur. B R. Quid si verũ dixerint? A L. Sunt theologi nequaquam incelebres, qui putent detractorem eo casu oportere protestari se male locutum, perperam dixisse, in lingua peccasse. BR, Istud mihi videtur ô Alexander neque bene, neque belle dictum esse. Talis enim famæ resarcitor videtur velle intelligi mendacium in maledicto contineri, & posse ex genere speciem inferri: quod regulæ dialecticorum non admittunt: non enim si animal est, hominem quoque esse est necesse. Cum ergo genus ad mendacium sit maledictum, mendacium ex maledicto non infertur: & hæc intelligi debent affirmãdo. Vera ergo palinodia est falsi maledictiq̃ cõfeßio. A L. Hoc loquendi genere cum hominibus idiotis, & minime malis olim vtebantur: at diebus nostris sunt homines sagaces, amphiboliarum coniectores, ænigmatum interpretes, sollertes, astuti, callidi, versuti, versipelles, plani: apud huiusmodi homines talis excusatio est conuiciũ, & videtur recurrere in illud prouerbium, malum, sed verum: B R. Eo igitur casu vel omnino est silendum, vel aliqua excusatione, quæ prosit. & non lædat, est agendum: vt si dicatur, temporum malitia redundante tantam corruptionem morum insecutam, vt cui quid eredendum sit nesciatur: &

vt plurimũ esse calũnias, ea quibus fama corrũpitur. Recordari etiã se quoque aliquando perperã locutũ contra proximum. Sed hac improbatione prætermissa reuertamur ad leges, A L. Sicut ergo Imperatores damnant calumnias: sic legitimas accusationes nõ reprehendunt, B R. Immo tamquam bono communi conducibiles saluberrimasq́ cõmendant, si correctionis tamen ordo seruetur, quem euangelica docet historia, Præcedat ergo primo secreta monitio, quæ si non suffecerit, duos tresue testes adhibeto: quos si reus non audierit, demum ad iudicem recurrendum, nequitiaq́ accusanda, hoc est, procudenda, Sicut enim a video fit visum, & a visum viso frequentatiuum, vt etiam a grammaticis aliquid mutuemur: sic a cudo fit cusum supinum, & a cusum cuso verbum, a quo accuso profluit: quod significat peccatorem impœnitentem, durum, cõtumacem, cui non profuit bina correctio, & qui fraterna monitione nõ profecit, cudere, tũdere, & vi emollire. A L. Salubre id consiliũ, & ordo caritati accõmodatus, vt vno eodẽq́ remedio cõsulatur honori & animæ saluti. Simile est institutum medicorũ, qui in curatione morborũ docent à leuioribus inchoandum: quæ si non sufficiũt, tentantur grauiora vsque ad ferrum: vsque ad ignem: iuxta illud Ouidij.

Cuncta prius tentanda: sed inmedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincæra trahatur.

Aiũt tamẽ auctores idonei talẽ ordinem in minimis non seruãdũ, nec etiã cũ cõmuni bono mora preiudicat. sicut si scires quẽpiã velle patriã prodere, & ciuibus præsens imminere periculũ. Sed putasne ô Brunati proximorũ errata esse vestigãda atq́ perscrutãda, & eis accusandis operã impẽdendã, quo eos a vitijs redimamus? B R. Quærit Senæca scribens ad Lucillum an continuæ obiurgationi correctioniq́ assiduæ dãda sit opera, demũq́ respõdet sagittarios imitandos: qui nõ in omnem volucrẽ, sed in eã solũ, quã putãt se cõsecuturos, sagittã emittũt. Ergo nec aliorũ, nisi sint curæ tuæ crediti. vt filij & serui, vitã inquires: nec oẽs nec sẽper obiurgabis sed eos quibus profuturũ id putabis, et tũ cũ non

quæ

quæsita venit occasio. Pro fraternæ correctionis declaratione placet subijcere dictũ Augustini, quod causa secũda quæstione prima citat Gratianus. Si peccauerit, inquit, in te frater tuus corripe eũ inter te & ipsum solũ. Quare? quia in te peccauit. Quid est in te peccauit? Tu scis quia peccauit. Et paulo infra: Illa vero corripiẽda sunt secretius, quæ peccãtur secretius. distribuite tẽpora, & cõcordabit scriptura. sic agamus, & sic agẽdũ est nõ solũ quando in nos peccatur, sed etiã quãdo sic peccatur ab aliquo. vt ab altero nesciatur. Nescio quẽ homicidã nouit episcopus, & nemo alius illũ nouit. ego nolo eũ publice corripere, et tu quæris ĩscribere. prorsus nec prodo nec tñ negligo: corripio secreto, pono ante oculos eius Dei iudiciũ: terreo cruẽtã eius cõsciẽtiã persuadeo pœnitẽtiã. Et paulo infra: Sũt hoiẽs adulteri in domibus suis secreto peccãtes aliqñ nobis ab vxoribus plerũq; zelancibus, aliqñ maritorũ salutẽ quærẽtibus produntur. Nos nõ prodimus, sed secreto arguimus, vt vbi cõtigerit malũ, ibi moriatur: sic Augustinus. et de correctione fraterna satis hæc hactenus. Deinceps de accusatione differendũ. In Decretis causa secũda quæstione tertia dicitur, Accusatori nõ probãti pœna statuitur. Et rursus causa sexta quæstione septima Adrianus papa inquit: Omnis qui alijs falsa intulit, puniatur, & pro falsitate ferat infamiã. Et eadẽ quæstione Greg. dicit: Qui calũniã illatã nõ probat, pœnã debet incurrere, quã si probasset reus sustineret: & hæc pœna talionis appellatur. Item ex decreto Adriani papæ: Delatori autem lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur. In Digestis autem de iniurijs, lege lex Cornelia circa finem probatur, quod dixisti veridicos, scilicet accusatores a legibus imperatorijs commendari. dicit enim Vlpianus: Et ei, qui indicasset, supple delatorem, vel libelli auctorem, siue liber, siue seruus sit, pro modo substantiæ accusatæ personæ, æstimatione iudicis pretium constituit: seruo forsitan libertatẽ præstandã soluta scilicet pro eo ex fisco pecunia: & ratio subijcitur cum dicitur: Quid enim si publica vtilitas ex hoc emerserit? et quia in Digestis lege Eũ qui, in principio dicitur. Peccata

enim

enim nocentium nota esse oportere & expedire. Qui rite accusat, nec inimicus, nec maliuolus: sed potius conscientiæ rei medicus. & cōunis boni, quod maximé leges inspiciunt, tutor est habēdus. Exstant circa hæc sentētiæ patrum innumerabiles, quarum mul tæ in decretis annotantur causa quinta, quæstione quinta: sed hanc Augustini recitasse sufficiat: Non vos iudicetis esse maliuolos, quando crimen alterius indicatis: magis quippe nocentes non estis indicando crimen, quam si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittatis. si frater tuus vulnus habeat in corpore, quod vult occultari, dum timet secari: nonne crudeliter a te siletur, ac misericorditer indicatur? Quanto ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde. Et de accusatore pauca hæc dixerimus: de iudice quoque breuiter transigamus. Causa secunda, quæstione prima Gratianus inquit: His omnibus auctoritatibus datur intelligi quod nullus condemnandus est, nisi iudicio ordinate habito, aut conuincatur, aut reum seipsum fateatur. Verum hæc de his intelligenda sunt quorum crimina sunt occultiora: Ceterum quæ manifesta sunt, iudiciarium ordinem non requirunt. sic Gratianus. cū autē manifesta dicit, de notorijs intelligit: vbi nō ignorandū aliud esse famā, aliud manifestū, aliud notoriū. Fama quādoq; ex scientia, quandoq; ex suspicione, quandoq; ex certo, quandoq; ex incerto au ctore procedit. Manifestum id est, quod semper ex scientia, aut ex fama a certo auctore conflata & notum est, & comprobari potest. Notorium dicitur, quod est per confessionem, vel probationem, vel per rei euidentiam manifestum. Notorium item triplex: iuris, facti, presumtionis. Facti quod sic se exhibet, & omnium oculis sic offertur, vt dissimulari negariue nequeat: & in hoc appellatio non auditur. Est autē quoddam factum continuū, iuge, ac permanens, vt in foro turrim esse: in hoc nullius ordo iuris exigitur quoddam interruptum, vt publicum vsurarium fenerari: in hoc semiplena probatio requirenda. quoddam transiens & non rediens, vt hominem in conspectu populi esse necatū:

hoc negari potest, & quæri aliqua via subterfugium. Notorium iuris est, de quo quis per condemnationem, vel confessionem conuictus est. Notorium præsumtionis, vt si quis publice pro filio alicuius habeatur. Et hæc sunt quæ ex iurisconsultorum glossarijs memoriæ occurrerunt. Sed quia cœperas enumerare sanctos viros, qui stigmata linguarum pertulerunt, & ad Apostolos vsque perueneras, finem dicendi facio, quo possis & alios si placet adiungere, vt tolerantia mundi senescentis non minor quam recentis adstruatur. B R. Faciam si hortaris. A L. Immo hortor, & prouoco etiam hac ratione, vt eorum exempla sint contra hoc venenum nobis antidotum. B R. Maior est eorum multitudo, quam possint in presentia numerari: nec putãdũ est tẽpus vmquã fuisse tã sanctũ, tã syncerũ, in quo male dicẽdi vsus nõ fuerit. At ne in tãta copia videar esurire, paucos adducã, quos hæc iniquitas, dũ pessundare nititur, exaltauit: dũ obscurare studet, illustrauit: Narrat Eusebius Cæsariensis ecclesiasticæ historiæ libro sexto rẽ exquisitam ac memorabilem de Narcisso episcopo Hierosolymitano: erat iste vir tanti apud Deum meriti, vt in die sollemni vigiliarum paschatis, deficientibus præ inopia in ecclesia luminibus, iusserit afferri aquam, & allatã benedicens in olei pinguedinem commutarit. Is cum inter cetera virtutum suarum bona esset animi valde constantis, & iustitiæ ac rectitudinis sincerissimæ tenax, quidam homunculi male sibi conscij, metuentes, ne si accusarentur, non possent sub eo pœnam effugere, cœperunt factionibus se tueri, & eum circumuenire, cuius iudicium pertimescebãt, Concinnauerunt igitur aduersus eum satis infame crimen & noxiũ: & vt paucis expediã, cõueniũt auditores: accusatores ex semetipsis testes producunt, qui, vt maiorem mendacio facerent fidem, se diris imprecationibus, si falsa dicerent damnauerunt. Primus enim sibi combustionem, secundus morbum regiũ, tertius cæcitatem est imprecatus. Et quamuis ne iuramentis quidem istis quisquam fidelium & timentium Deum crederet, eo quod vita Narcissi & institutio ac pudicitia ab omnibus nosce-

noſceretur: ipſe tamen eorum quæ ſibi imputabantur indignita-
te non ferens, ſimul & ſecretam, ac philoſophicam vitam habe-
rē deſiderans, eccleſiæ multitudinem ſubterfugit, & in deſertis
locis atq; agellis ſecretioribus delituit annis quam plurimis: at ille
magnus diuinæ prouidentiæ oculus diu non quieuit: ſed in impios
vltionē per ea ipſa, quæ ſibi imprecati fuerant, maledicta conuer-
tit. Primus namq; parua ignis ſcintilla noctis tempore domo ſuc-
cenſa cum toto genere, totaq; familia conflagrauit: alius ab imis
pedibus vſq; ad capitis verticē regio morbo repente correptus eſt:
tertius autem priorum exitum videns, & diuinum oculum ſe nō
latuiſſe animaduertēs, prorupit in medium, & audientibus cun-
ctis vniuerſum ſceleris ordinem pandit: tantis autē lacrymis im-
mane facinus defleuit, & vſq; adeo die noctuq; perdurauit in fle-
tibus, donec luminibus orbaretur. delicti ergo tā infamis ac perni-
cioſi huiuſcemodi pœnas luit improbitas. AL. O iuſtū ac tremē-
dum Dei iudiciū, quob ex amuſsim vertit in maledicos quæ quiſ-
que ſibi mala popoſcerat. Et quis tandem oro te, quis tandē exitus
habuit Narciſum? BR. Lætus ac felix: ſicut Ioſeph, Iob, & To-
biam. Nam poſtquam pro eo ſunt tres ordine ſucceſsionis ſuffecti
epiſcopi, Dius, Germanus, & Ingordius, credētibus omnibus eum
iā vita functū, ecce ſubito velut rediuiuus ac de cælo redditus re-
pente apparuit: rurſusq; à fratribus ad præſidendū rogatur: mul-
tò enim ardentius ab omnibus amatus eſt, & quod criminoſis in-
nocens ceſsiſſet, philoſophicamq; vitā delegiſſet, & quod euidētiſ-
ſime perſpexiſſent cōpletum in eo dictū propheticū: Mihi vindi-
ctā, & ego retribuā. Vixit & poſtea vitā longiſsimā, completiſq;
centū ſexdecim & amplius annis in pace obdormiens requieuit.
Addā huic parem virtutē, fortitudinemq; in femina præclariſsi-
mā, atq; imitatione dignā conſtantiam, Marinæ ſcilicet virginis:
quæ cōtēpto muliebri mūdo, femineaq; mollitie conculcata, quaſi
vt de Tireſia fabulantur, ſexū mutaſſet, ſtatuit vitā agere inter
monachos: patre igitur conſentiente monaſteriū adiens, petijt ab
abbate habitum monachorū: ille adoleſcentulum putās, & vidēs
eam

eam ingenio miti ac facie liberali, & spiritualis profectus signa quã plurima, facile assentitus est: facta ergo monachus cœpit singulari sanctitate nitere, & omni virtutũ genere præcellere etiam eos, qui longa bene viuẽdi perseuerantia videbantur in angelos esse conuersi. Tantis successibus inuidit diabolus, & quã Deo seruante peccatorũ iaculis ferire nõ potuit, fabrefacta infamia maculauit. Virgo quædã vicina monasterio concepit ex stupro: magnum rei nouitas murmur exciuit: crebrescit rumor in populo: de auctore facti disputatur: coniecturis agitur: tandem diabolo, qui erat doli artifex, instigante, fuerunt qui dicerẽt, vidisse se Marinum (hoc enim in monasterio nomen ei fuit) domũ virginis noctu ingredientem: die quoq; habuisse cum ea commerciũ. Sunt quoq; qui dicãt, miseram illam mulierculam accusasse Marinum. Quid plura? serpit rumor vt lepra: breui in ora vulgi res deuenit: & quoniam erat facie venusta, & toto corporis filo tam elegans, vt facile amari, imo vt difficile posset non amari, scelus est creditũ. AL. O quãto diabolus exultauit gaudio cum nequitiam tam atrocẽ vidit cõtextam. ô misellam virginẽ quanto mœrore debuit ardere, cum sensit hanc fraudẽ, cum tam infami maculæ se vidit expositã, & se patere tanto dedecori. Heu, quam visæ sunt duræ teneris auribus illæ calũniæ, potuit aliquando nisi iactasset in Deũ cogitatũ, de diuina prouidentia dubitare, cõqueri de angelis, quod bene beateq; viuendo fuisset ab eis ita destituta, & quasi debilis nauicula ventorũ iniurijs & iracundiæ maris penitus exposita, & profecto cõuicijs tam iniuste peti, maledictis sic obrui, nec turbari, videtur verum animæ martyrium. Heu, quam verum est illud sapientis: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. BR. Consolabatur eam re ordatio Christi: & sicut apes ex floribus colligunt mella, sic ipsa solatium ex sanctorum exemplis colligebat, & super firmum imitandi Christum propositum patientiæ ædificium construebat. Insurrexit, vt dignum erat, in eam monasterium. Monachi omnes miro hoc miraculo consternati hærebant vultu,

gestu, verbis, hoc tam immane scelus exprobrantes: ipsa vero præ angustia spiritus obiectum crimen excusare non audens, immo neque potens, elegit imitari Christi patientiam magis, quã cum monachis litigare. In pœnã ergo tã grauis flagitij sordidißimis officijs subiugatur: fit cocus, fit lixa, fit vespillo, fit opilio, fit subulcus, fit agaso, si quis aliquo fœdo ac immũdo morbo laborabat, ei ministrabat. denique omne munus in quo aliquis locus iniuriæ videbatur, subire cogebatur. Continuis ergo exprobrationibus exposita, tantum animo vulnus, tantum corpore sudorem, tantam oculis confusionem, tantam auribus vim calumniarum vsque in finẽ æquanimiter tulit: de nullo vmquam crimine, nisi de falso hoc, accusata. Tandem mortuæ cadauer, dum ex more lauaretur, veritatem diu occultam declarauit, & nuditas, quæ alijs mulieribus parit opprobrium, Marinæ virginis aboleuit infamiam: tum monachi cum abbate mirari fœminæ constantiam, quod infracto animo tam diu tolerasset eam nequitiam: quod tam audaci proteruitate rem tam falsam delator confinxisset: leuitatem suam accusare, quod tantæ impietati facile credidissent: pœnitere cum lacrymis, percutere pectus, cõuocare viciniã. & breui factum est, vt odium in amorem, calumnia in laudem, infamia in gloriam cum omnium admiratione sit conuersa. Eant nunc sæculi huius veteratores, inexperti, præcipites, improuidi, insolentes, & pruriẽtes aures detractoribus porrigant: tot sanctorũ patrũ sentẽtijs admoniti, tot ratiõibus & argumẽtis edocti, tot manifestis & euibẽtibus exẽplis ita cõuicti, vt nequeãt tergiuersari: nõ mutẽtur nõ erubescant, non resipiscant. & quid de Bricio Turonensium episcopo Martini successore nobis dicendum? Nonne & ipse pœnas luit conuitiorum eorum quibus Martinum olim affecerat, quando eum cœlestia meditantem & oculis cœlo inhærentem dicebat mente captum, & id ei obiectabat, quod Aristophanes Socrati cum in comœdia, quæ Nephele dicitur, eum cum nubibus differentem inducit? Vncto enim in episcopum Bricio mulier innupta & habitu religiosa, cuius opera cubicularij in abluendis pannis

vtebantur,

vtebantur, infantulum peperit: res innotuit, latißimus campus detractoribus patuit, amplißima cõtumeliandi materia emersit: suspiciones euigilãt, iudicia surgunt, linguæ acuũtur, aures erigũtur, fama aliquãdiu circũuaga, & modo hũc, modo illũ vellicans apprehendit tandẽ episcopum, nec prius dimisit, quam omnẽ populũ concitauit in eũ: facto ciues conuentu frequentißimo sæuiũt animis in Bricium, & obliti reuerẽtiæ paternæ, quæ debetur præsulibus, obprobria & contumelias iaculantur. miratus Bricius talem proteruiã, & quia se sciebat innocentẽ, non dubitãs fidere diuino auxilio, afferte, inquit, ad me infantulum: spero enim satis me hodie vobis facturum: apportato igitur triginta dierum infantulo, adiuro te infans, Bricius inquit, per Iesum crucifixũ saluatorẽ nostrum, vt si ego te genui palã heic facias, & nõ sinas veritatẽ conculcari. Fidei & innocẽtiæ affuit Deus, & ex ore infantis sermonem elicuit, quẽ cũ summa admiratione turbæ circumstantes audiuerũt, Non es tu mihi pater dixit infans. A L. Purgationẽ rhetores dicunt, cum crimẽ cõceditur: sed culpa remouetur, quæ tres, si recte memini, cõtinet partes: imprudentiã, casum, necessitatẽ. at hæc melior lõge purgatio, in qua nõ culpa solũ, sed etiã omne crimẽ exstirpatur, B R. Purgatio, vt nosti, duplex est in legibus: vna vulgaris, altera canonica. Vulgaris fiebat ferro cãdẽti, aqua feruẽti, certamine singulari. vt cũ Dauid aduersus Philistæũ decertauit. Canonica, vt cũ quis aliqua laborans infamia, quæ ab æmulis nõ habet originẽ, se non cõmisisse crimẽ id iurat, & aliquot per iudicẽ electũ, quod verũ iurauerat putare se iurat, prima quondã licita, nũc autẽ, vt scis, est lege prohibita, vt ex Decretis patet causa 2, quæstione V. Et dicẽdi finẽ heic facerẽ, nisi beatißimi patris nostri Hieronymi veneranda memoria, cogeret me vlterius sermonẽ extendere: ipse nãque cũ adhuc pæne adolescẽs sciẽtiarũ studijs sic profecisset, vt ea ætate, qua alij discere icipiũt, ipse fuerit a Romanis in liberaliũ artiũ magisterio electus: tanta cum ad virilitatem peruenit, sanctimonia niteret, vt summo põtificatu dignus haberetur, tã singularem est passus calũniã, vt mi

rum sit quonã pacto Deus omnipotens, & illæ supernæ virtutes a quibus hunc mundũ regi non dubiũ, subito non animaduerterit in tantæ peruersitatis inuentores. & quis non indigne ferat, tantã malis in bonos esse licentiã, sic rerum ordinẽ esse peruersum vt malicia vincat probitatem, & passim de virtute triumphet iniquitas. Igitur Hieronymo noctis cõcubiæ meditullio tumultuariè surgere, & ire ad diuinas laudes sine lumine solito, concinnauerunt æmuli talem technam. pallio, quo vtebatur, occulte subtracto vestem muliebrem, quam corpori eius habilem delegerãt subintulerunt: Hieronymus igitur signo audito vix dum bene experrectus de strato exsiliit, & muliebri indumento, quod in abaco repperit, se vestiuit, sicq; in chorum psallẽtium sese proripuit. Tu æstimato quale ludibrium. auctores fraudis aderant, & se aliud meditari simulãtes cordibus gestiebant, et stuporẽ vultu præ se ferẽtes exsecrabãtur genus muliebre, quo diabolus pro laqueo semper sit vsus, & de tanti viri ruina conquerentes dicebant ab omnibus esse dolendum, tandẽq; se cognoscere, non ab re fuisse dictũ ab Apostolo, Qui stat videat ne cadat. Post matutinas laudes Hieronymum conueniunt: bono ac forti animo sit hortantur: daturos se operam pollicentur, ne tam infame crimẽ inuulgetur, ne radices mittat, nëue propagetur. Iurãt se famæ eius affuturos & amicitiæ iure maledicorũ audaciã repressuros, qui id soli erãt iacturi, vt magis in hora fama crebresceret. AL. Hi sunt de quibus Cicero in primo de Officijs libro sic inquit: Totius autẽ iniustitiæ nulla est capitalior, quam eorũ qui tũ cũ maximè fallunt id agunt, vt viri boni esse videãtur, BR. Roma relicta nauigauit in Asiã, tẽpestuosãq; vrbi prætulit solitudinẽ, & cũ feris & scorpionibus potius, quam cum huiusmodi hominibus habitare cõsensit. AL. Quod dicitur a Iohanne in Apocalypsi, stellas de cælo cadere non incongrue meo iudicio potest ad hos extendi, qui cum in ecclesiæ firmamento essent prius fixi, & rerum scientia ac sanctitatis exemplo radiarent, et si Deo qui corda intuetur non tenebrescãt nobis tamen mortalibus, qui per suspicionũ caliginẽ ambulamus, propte

propterea occidũt, quia per opinionũ mutationẽ de prioris auctoritatis hemisphaerio cadũt. Sed vnde fit ô Brunati, id enim prudẽtiã tuã latere nõ puto, vt siue bene hoiẽs, siue male viuãt, nunquã desint qui maledicãt, &, siue quid agas, siue in otio marceas, nõ possis euadere detractores: immo qui praeclaris negotijs animũ intẽdũt, istorũ morsibus per quã maxime patẽt, vt poetae et scriptores qui suos criticos vbiq; reperiũt, suos vbiq;, quorũ iudicijs lãcinẽtur, mastigophoros habẽt. Beatissimus pater Hieronymus, cui fatale fuit habere cũ detractoribus bellũ assiduũ, si fiscellã, inquit, iũco texerẽ, aut palmarũ folia complicarẽ, vt in sudore vultus mei panem comederem, & ventris opus solicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehẽderet: nũc autẽ, quia iuxta sententiã Saluatoris volo operari cibũ qui non perit, & antiquã diuinorũ voluminũ viã sentibus virgultisq; purgare, error mihi duplex impingitur, corrector vitiorum falsarius vocor, & errores non auferre, sed serere. BR. Vnde hoc fiat breuiter vestigemus: dicã ego ex tẽpore quod occurret, quod minus dictũ fuerit tu supplebis. Aiũt poetae Tantalũ regẽ Phrygũ sic apud Inferos cruciari. siti semper ardet, et tenus labris mersus in flumine, dũ lymphã vitreã leniter fluentẽ, dulce murmurãtẽ, ori alludẽtẽ, rictu insequitur, nũquã consequitur, esuriẽ patitur, & mala praematura visu amoenissima, gustu suauia, odore periucũdã pendẽt ad tẽpora, quae cũ morsu petit, mox dilabũtur, semperq; fraudatus suo desiderio maeret & luget. Tãtalus ô Alexãder ipsi nos sumus, qui siti & fame, hoc est, sciẽdi libidine semper afficimur: unde dicitur ab Aristotele, Omnes homines sciẽdi desiderio naturaliter ferri: quae sciri possint circa nos habemus, terrenas caelestesq; substantias: Quarum noticiã semper aucupãtes, quo plus laboramus, eo ĩdies minus proficimus. Ideo Academicis cogor assentiri qui nihil sciri posse voluerũt. Sed quorsum haec de vano cognoscendi sciendiq; appetitu? nempe vt ostendam ex isto superfluo cognoscendi studio, & ex nostrae cognitionis imbecillitate nasci in intellectu hos errores, quemadmodum ex saliendi desiderio, & ex tibiarum infirmitate fit

casus. Nos igitur cæcutienti similes, qui palpando incedens, quæ occurrunt sentit. quid tamen sint nescit, signis coniecturisq; delusi raro ad scientiam, frequenter vsque ad opinionem fidemq; perducimur, & falsa pro veris, dubia pro certis amplexati, dum nolumus cum Socrate confiteri ignorantiam, dum cupimus haberi solertissimi, et vanitatem ac stultitiã frenare nõ possumus, per temeraria iudicia peruagamur. & hæc detrahendi communis est causa. Venio ad particulares. Sũt qui ad hoc scelus natura sint proni, vt inuidi: sicut & inter mala, licet omnia sint rotunda, sunt quædam rotũdiora, & volubilitati magis accõmoda, & huiusmodi naturã, loquor de inuidis, sequitur hoc vitium, sicut ærugo ferrum. Contemplatus hoc malum dæmonium ex habitu ac ingenio, corporũ nostrorũ viã inuestigat, qua possit irretire sensus nostros opportune se ingerit, occasionem quærit, corda solicitat, linguã exacuit: & quo id verum esse non ambigas, meminisse nos decet, quid in secundo Paralipomenõ libro de Achab rege, & de Michæa propheta referatur. Cum enim rex Achab nõ crederet Michææ de belli euentu vera respondenti, Michæas continuo visionẽ istam vidisse se dixit. Vidi, inquit, Dominũ in solio sedentẽ, & omnem exercitũ cæli assistentẽ. Dixitq; Dominus, Quis decipiet Achab regem Israel, vt adscendat & corruat in Ramoth Galaad? Cumq; diceret vnus hoc modo, & alter alio, spiritus quidã stetit coram Domino, & ait, Ego Decipiam. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies? Ille respondit, Ero spiritus mendax in ore omnium ipsius prophetarum. Dixit Dominus, Decipies, & præualebis: egredere, & fac ita. Quibus verbis datur intelligi, pessimarum huiusmodiq; temeritatum diaboli, liuorem esse architectum, & permissione diuina fieri, vt peruersi homines sicut alios fallere student, sic & ipsi fallantur, & prauis persuasionibus potius, quàm rectis delectentur. A L. Quid est ô Brunati quod aiunt quidam Platonici mutata vita dæmonem mutari, & quo dæmone reguntur detractores? B R. Plotinus Platonicus Origeni nostro contemporaneus

varias esse dixit dæmonum naturas, & nobis sociari modo hunc, modo illum, secundũ vitæ genus & exercitium. Qui enim philosophantur, vt ipse opinatus est, dæmonem Mercurialem sortiuntur. Quod si philosophus ad militiam se transferat, dæmonem mutabit, & Genium ex natura Martis, vt aiunt, habebit. Sed neque hæc iudicio meo multum a nostris sunt dißidentia: sicut enim ex catholicorum libris colligimus, quemadmodũ spiritus qui sanctus dicitur, sapiẽtiæ & intellectus est spiritus, quod eos, quibus inest, intelligere facit, & sapere, sic & alij spiritus, hic quidẽ fornicationis, ille vero gulæ, alius superbiæ, alius inuidiæ nũcupatur, quod taliũ merciũ sint institores, & eis cõiungũtur, apud quos ad uertũt sua lenocinia plus valitura. Aiũt etiã philosophorũ quidã stellas esse animatas, quod in ambiguo reliquit Augustinus, & huiusmodi animas inter spiritus tenere prĩcipatũ. Nã quæ inest stellæ Mercurij, Mercurialiũ spirituũ principẽ dicunt: & sicut illæ in cœlo præsunt, sic et istos in terris certis vicißitudinibus pricipari. quo fit, vt regnante Venere fornicationum spiritus sint acriores et libidinosis magis infesti. & sic de alijs dicendum existimant. Forte id accidit, non quod aliqua superiorum siderum vi compellantur, sed quod ipsi naturaliũ rerũ nõ ignari, tunc homines ad ea plus prouocẽt, ad quæ magis inclinãtur a cælo. Quibus vero dæmonibus susurrones regãtur, perquirendũ: si, vt Plotinus inquit, pro planetarum varietate distinguuntur, ex Saturni natura eos crediderim: stella enim, quã Saturnũ dicũt, si astronomis credimus, inuidiã, liuorẽ, pertinaciam, duritiẽ, maleuolẽtiã, rancorem, odium, suspitionemq́ producit. Tali ergo dæmone detractor accensus, dum venenum continere non potest, nihil fraudum, nihil insidiarũ, nihil demũ prauitatis omittit. AL. Cũ hominũ inclinationes varias multiplicesq́ considero, reddor ambiguus. Si enim, vt philosophi aiunt, comunis est hominibus vna natura, & inclinationes huiusmodi pullulant ab ea, cur ergo in riuulis ex vno et eodem fonte manantibus, tanta diuersitas reperitur? BR. Post-

quam me cogis philosophari, quamuis non sim ego Plato, neq; Zeno, qui erant in scientiis, ut verbo Graeco utar, σοφώτατοι: hoc est, sapientissimi: exponam tamen me periculo, & ex mea pingui Minerua respondebo, cum naturæ unitate stat hæc diuersitas, & a corporum varietate deriuatur. omnibus enim hominibus non est una corporum conditura. A L. At cum, teste Aristotele, non forma puta anima materiæ, sed materia puta corpus formæ accommodetur, habilisq; reddatur, cur non sunt corpora uniformia, cum animæ nostræ sint uniformes? BR. Natura varietate delectatur, quod in suis operibus manifestat. Vide herbas, contemplare arbores, cerne animalia aquatica, aeria, atque terrestria, & animaduerte quæ in eis varietas. Cum vellet ergo homines reddere diuersos, respexit ad corpus, et quandam temperiem tantæ latitudinis ei constituit, quæ magnæ varietatis capax esset, fecitq; corpora, sicut fieri solent aluearia, quæ, & si non sunt omnino conformia, modo sint concaua, sunt tamen apibus claustra idonea, & aptæ ad mellificandum officinæ. Accidit hoc idem in aliarum naturarũ singularibus, quæ indiuidua vocant: videmus enim inter canes, quosdam immanes, quosdam mansuetos, & hoc per naturam, antequam per disciplinã sint formati. Lata est ergo hæc dispositio, et terminos eius nesciuere philosophi: sed ut paucis absoluam, tot in corporibus sunt doctrinæ, quot in ea latitudine puncta consistunt: humorũ namque syntaxi paulum alterata, & hac, vel illa a medio diuaricata, aliud atque aliud corpus euadit. Quam primum autem intra terminos illius cõmunis crasis, quam vocant complexionem neoterici, constitutionem vero magis idonei, corpus peruenerit, in quouis gradu punctóue consistat, capax est animæ: quo fit, ut compago corporum nostrorum in infinitas differentias poßit labi. Distributionem vero harum diuersitatum dant cælo astronomi: nã sicut augures aerem in quatuor partes, scilicet anticam, posticã, dextrã, & sinistrã: sic cælum astronomi in duodecim domos partiuntur, & inuento uniuscuiusque nascentis horoscopo, hoc est, signo

adscen-

adscendente quando quis nascitur, quid astrorum in eis sit, & maxime in angulis cõtẽplati, de vita, de moribus & de fortunis hominũ proloquuntur. Exempli gratia, locum vnum ex Firmico, & vnum ex Manilio, qui ad propositum faciunt proferemus: in quinto Matheseos libro Firmicus sic inquit. Si Mars in horoscopo fuerit constitutus, & in medij cæli parte Mercurius positus quadrata Marti radiatione iungatur, publicos ac malignos accusatores efficit. Manilius vero in quarto Astronomicon libro de natis sub piscibus ita dicit.

Garrulitas odiosa datur, linguæq́ venenum.
Verba maligna nouas mittentes semper ad aures,
Crimina per populum populi feret ore bilingui:
Nulla fides inerit natis.

Fit demum in animis, vndecunq́ fluat tanta varietas, vt ab initio rerum tot sæculis hactenus euolutis genera infinita inimicitiarũ, parca veræ amicitiæ recitentur exempla. afferuntur autem hæc paria: sed pudet paucitatis: Orestes & Pylades: Damon & Pythias: Theseus & Pirithous: Nisus & Eurialus: Scipio & Lælius: Tydeus & Polynices: Alexander & Hephæstion. A L. Hic est ille Hephæstion quem dicitur Alexander in Deos retulisse, & cui vita functo diuinos honores voluit exhiberi. Sed audi nouum genus insaniæ, & vide quam sit facile credulos principes verbis deludere. Agathocles Samius centurio apud Alexandrum honoratus, tunc fuit accusatus, quod præter Hephæstionis transiens sepulcrum lacrimasset, visusq́ esse vultu lugubri significare. Hephæstionem potius secundum cõmunem hominum conditi nem mortuum esse, quam deificatum: hanc ob rem ab Alexandro leoni immanissimo iussus est obijci, factumq́ mox fuisse: nisi Perdiccæ figmẽto fuisset seruatus: is enim per Deos & per Hephæstionis Numen iurauit, sibi venanti eum apparuisse, mandasseq́ regi diceret Agathocli parcendum, quod non, quia mortuum credidisset, sed ob veteris consuetudinis recordationem, lacrymasset. Adulatori credi-

 dit

dit Alexãder qui prius crediderat delatori. quo fit vt ausim dicere nihil esse periculosius principe, qui facile circũferatur his nugis, familiaresq; habeat delatores: sub tali namq; domino nulla esse potest tanta sinceritas, nulla vitæ integritas tã perfecta, quæ securim ad radicẽ sẽper nõ habeat. Sed hæc missa faciamus. ad honestandam amicitiæ paucitatẽ par aliud amicorum addi potest. hoc est Dauid & Ionathas filius Saulis. BR. Habeo ego penes me par aliud non negligendum, quod iure supradictis possit adiungi: Petrum videlicet patrem tuum, virum ornatissimum ac splendidissimũ, sub huius nostri principis patre atq; auo domi forisq; in præclaris negotijs summa cum laude semper versatũ: cui Ptolemeus filius pientissimus ob singularem fidem atque industriam in Gonzagarum familiam priuilegio adscitus, amussitatam illam posuit sepulturam, & Ioannem Brunatium huius cathedralis ecclesiæ quondam canonicum, patruum meum, doctrina & religione singularem. Hi namq; duo viri, cum essem adolescens, tãta erant caritate coniuncti, vt esse videretur, sicut Græci dicunt μία ψυχὴ ἐν δοσὶ σώμασι: hoc est, vna anima in duobus corporibus, ostendebat hoc familiarissimus conuictus, crebri congressus, & in omnibus negotijs summus cõsensus. Nihil erat inter eos simulatũ, nihil fictum, comunicabantq; inuicẽ non cogitationes solum atq; cõsilia, sed omnes fortunas habebant comunes. Hoc addidisse volui, quod eorum mihi sit iucunda memoria: & ne inofficiosus videretur sermo noster, sicut inofficiosum dicitur testamentum, in quo parentes & filij prætereuntur. Addi ad causas huius improbitatis multa quidem possent: sed præsertim consuetudo improborum, trahuntur enim, vt Seneca inquit, a conuersantibus mores, & propheta dicit, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. quod est illi simile quod aiunt astronomi de Mercurio quod scilicet cũ bonis sit propitius, & cũ malis sideribus sit aduersus, totũ se sociorũ naturis accõmodans. Est etiam in causa natura virtutis, vt ad causas vniuersales reuertamur. virtus enim vt inquit Hesiodus, in altissimo loco constituta, non nisi cum sudore po-

re potest adiri: volentibus enim ad eam peruenire, sensus & concupiscentia se opponunt, & omnes fere homines fraudibus & dolis ita præpediunt, vt suscepti itineris faciant pœnitere. Talis ergo naturæ malignitas, genita in damnum commune mortalium, bonos persequi, virtuti insidiari, pacem perturbare, famam lacerare, diabolo semper instigante non cessat. A L. De his ô Brunati dictum iam satis: hodie veré viximus: numerari inter felices debet hæc dies, & albo nobis signanda lapillo, in qua frui meruimus vario, dulci, sanctoq; colloquio. Amen.

BAPTISTAE MANTVANI AD PTOLEMAEVM FRATREM CONTRA CALVMNIATORES, Epistola.



PRO amoris integritate, quem inter nos natura inchoauit, virtus consumauit Ptolemæe frater suauissime, me mones vitio mihi dari a nõ nullis, quod in opusculis meis sint quædam errata: & quod quibusdam vtar vocabulis, quæ Latinã phrasim non obseruant. Ego qui, vt verum fatear, fui vt plurimum in obseruatione vocum parũ diligẽs, & animũ habui ad sensa magis intentum, quã ad verba. Non ausim negare id mihi accidisse, in quo etiã peritissimi diligẽtissimiq; viri peccauerunt, Nemo.n. tam oculatus, nemo tam circumspectus esse potest, etiam si sit ipse aut Argus, aut Ianus, quibus a tergo nulla ciconia pinsere poterat: quin aliquando labatur & cadat, in lingua præcipue, quæ sua naturali lubricitate ad casum semper prona, nũquam a præcipitio longe distat. Primum igitur gratias ago quod protectionem meam tam benigne suscipias, & pollicearis te onus susceptur um refellẽdi eorum maledicta, & , vt fratrem decet, fratri subuenias. Deinde velim scias non

esse detractoribus facile credendum: quia non maturè, etiam si docti sint, sed præcipitanter singula iudicant, & putantes nugas suas iudicem non habituras, nec ullo incerniculo extutiendas, ex omni herba, ut aiunt, fascem faciūt. Quod si pedepreßim cantanterq́ id agerent: vel nullum reprehēderent, vel eos tantum qui peccauissent. At nequaquam ita cōtingit. Videmus enim, & exempla subijciam manifesta, plerosq́ patere istis calumnijs, qui omni culpa vacant, immo qui laudandi sunt, unde culpantur: ex quo colligitur quotquot huic inofficioso officio sese dedunt, esse temerarios & vecordes. Pauca igitur breuiter temeritatis huius exempla subijciam, ut aduertas non esse eis paßim fidem adhibendam. Plinius xxxv. naturalis historiæ libro taxat Virgilium, quod sandicem crediderit esse herbam cum dixit in Bucolicis.

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Est autem sandix, ut ipse dicit, species coloris: sed Virgilius dicere voluit lanas agnorum pascentium sponte sua contracturas hunc colorem. Et non debuit Plinius dicere Virgilium putasse herbam esse sandicem: ubi & ipse Seruius ut grammatici nostri volūt, est prolapsus: cum dixit sandicem esse herbā: quod Virgilius neque dixit, neque putauit. Sandix tamen per se herba est, de qua Dioscorides pæne ad verbum sic inquit. Sādix est, & hoc olus siluestre, subacre amarūq́ aliquantisper: coctum & crudum in cibo sumtum vētri confert ac stomacho: decocti vero ius potū vesicæ, renibus, & hepati utile est: Sic Dioscorides. Et de hac sunt qui putēt Virgiliū, Seruiumq́ intellexisse: licet apud eos non scribatur Scandix per sc. quod erratū librarijs imputandū.

Quidam, de superstitibus loquor, ideo & nomen supprimo, dū vult suggillare Aurelium Augustinum qui ecclesiæ Dei lumē est magnum, more eius qui, in ventum spuit, sese contaminauit, & instar sorioli sese coinquinauit. Nam cum Augustinus in libro de Ciuitate Dei quincto, capite vi. dicat, si geminos contingat ex eodem coitu & semine concipi, unum post alterum non formari

ri: sed ambos simul inchoari: Quia natura cum, vt aiũt theologi, agat, necessario omnes seminis partes simul aggreditur: dicit stulte & imperite superfetationem, quæ longe alia res est, eum negare. Superfetatio enim non est geminorum, sed per diuersos cõbitus pluribus ex seminibus conceptorum. Conceptus autem de quo loquitur Augustinus est geminorum ex eodem coitu, ex eodẽ semine, quod simul & eodem temporis momento natura incipit fouere: sic quod vnum post alterum concipi sit impoßibile. vnde sic conceptos eadem momenta & eundem horoscopum habere est necesse: horum dicit Augustinus, cum vnum conceperit femina, non posse deinde alterum concipere: quia tanta vis est naturæ vt proposita simul amborum materia, necessario simul ad amborum exordium conuertatur. Et cum hac indiuidua duorum conceptione potest mulier superfetare. Sed cum quis ex superfetatione conceptus est, non potest eundem horoscopum habere cum priore: temporis enim intercapedo necessario alium inducit horoscopum. Hic est loci illius sanus intellectus. & quod ipse ait de superfetatione, nugatorium omnino est & pueriie, nullo philosophiæ sale conditum. Viro ergo isti, qui cum sit merus grammaticus in messem philosophorum falcẽ mittit, recte dici potest. quod Apelles pictor dixit sutori: Supra crepidam non adscendas. Alius quidam dicit Hieronymum falsa scripsisse de Apollonio Tyaneo: quia narrat eum vidisse Iarcham gymnosophistarum principem in throno sedentem aureo, cum Philostratus dicat thronũ illum non aureũ, sed æreum fuisse. Item quod cum alias dixerit Phison esse Gãgem: postmodum de Apollonio loquens quasi per, μνημονικὸν ἁμάρτημα, hoc est per memoriæ peccatũ velit esse Indum. Et quod cũ Indus ex Caucaso veniat, nõ poßit esse Phison, qui ex paradiso terrestri deriuatur. Itẽ ꝙ Apollonius iuit in AEthiopiã nõ vt refert Hieronymus ad vidẽdã mẽsam solis in sabulo: sed potius, vt inquit Philostratus, ad vidẽdã Mẽmnis statuam, quæ mane oriẽte Sole loquebatur. Vide qua vecordia tantilli homuntiones prouocent tantos viros, & Pygmæi videant surgere in Gigantes.

Primum

Primum ergo quod Hieronymo obijcitur, diluendo sic ordimur. Quid vetat credendum esse Hieronymum disciplinarum ac linguarum omnium peritissimum scripsisse non aureum, sed æreum, & postea vitio librariorū passim omnia bona exemplaria corrumpentium, dum soni affinitate deluduntur, dictionem æreum transisse in aureum, et sic æs in aureum commutatum? Et ne abūdemus in superfluis, de hoc satis. Quod autem Hieronymus cum dixit latissimo Phison amne transmisso, intellexit de Indo, qui omniū, quos transiuit Apollonius, sit maximus. Gangē enim, qui est orientalior, & Indo maior, non transmisit. Bracmanæ namque, ad quos ibat, inter Indum, & Gangem sunt positi, totum conceditur. Sed cum subinfert Hieronymus alibi, hoc est in Genesim, dixisse Phison esse Gangem, plane negamus: nec ipse accusator quid dicat, aduertit. Hieronymus namque non ait eum esse Gāgē, sed solū quosdam ita putare. Vide in quæstionibus Hebraicis super Genesim. De tribus enim illorum quatuor fluminum paradisi, Nilo, Tigri, & Euphrate non est contentio: de Phison tantum dubitatur, Ganges ne sit an Indus: quod ea duo flumina in India tenent principatum, vbi terra est חַוִילָה quā a Phison circumdari scripsit Moses. Nec mirum si Hieronymus putat Phison esse Indum, quem alij asseuerent esse Gangem: Nam, vt inquit Apostolus, in huiusmodi, quæ scilicet fidem non tangunt, vnusquisque abundat in sensu suo. Quod autem inquit de paradiso & Caucaso, est vanum prorsus & friuolum. nam compertum est, & omnes cosmographi tradiderunt, pleraq; flumina tellure pluries absorberi, ac pluries enasci: vt dicitur de Ana fluuio Hispaniæ, & Arethusa fonte Siciliæ. Et de hoc ista dixisse sufficiat. cursim respondendum ad aliud: Cū aduersarius dicit Apollonium ad mensam Solis non iuisse, vt dicit Hieronymus: ego Philostratū magis admiror, quod non scripserit curam Apollonio fuisse videndi mensam illam in sabulo, cum, teste Herodoto, & alijs quāplurimis, fuerit & ipsa apud AEthiopes, vbi tunc erat Apollonius, habita pro magno ac illustri miraculo. De hac Pōponius

Mela ita inquit. Est locus apparatus, epulis semper refertus, & quia ut libet, vesci volētibus licet, ἡλίου τράπεζαν, hoc est, Solis mensam appellant, &, quæ passim apposita sunt, affirmant innasci subinde diuinitus. sic ille. Hanc Nicolaus de Lyra, quia nō repperit in Catholico, fixit insulsé Zodiacum fuisse in arena Æthiopica figuratum, & ad eum videndum iuisse Apolloniū. Sed fortasse Philostratus, cum sciret Appollonium esse Pythagoricum, veritus est eum mittere ad nidorem carnium illarum, ne Pythagoricam regulam violaret. Sed quid pluribus opus? Videtur magis Hieronymus taxare Phylostratum voluisse, quod cum illic duo essent tam admiranda, ad vnum tantum illorum miserit Apollonium. nulla de alio facta mentione: ac si velit dicere. Cur Philostrate de vno tantum locutus es? cur de alio quoque quos æquè, immo magis mirum erat, tacuisti? Audet rursum hiscere, & infestare famam tanti viri. Ait enim per absurdum esse cum ad hominē Latinum scribat, uti Hebraica dictione, hoc est Phison. Videtur isto loco nodum in scirpo quærere, & occasionem detrahendi mendicare. Scribens enim Hieronymus ad hominem Latinum, qui sit, ut erat ipse Paulinus, sripturarum sanctarum studiosissimus, recte, immo aptissime hac Hebraica dictione est vsus, quæ facta illi erat familiaris ex assidua lectione scripturarū. & ex consuetudine sanctorum doctorum. Sic & nos, cum ad quempiam Latinum scribimus, uti solemus Græcis dictionibus, quæ iam vsu longo factæ sunt nostræ, ut cum dicimus syllabam, syncopam, syllepsim, prolepsim, & mille huiusmodi, quas constat esse Græcas dictiones. At nōdum quiescit accusator. Obiicit enim Hieronymo, quod non scripserit contra Hieroclem, qui Christo Apollonium conparauit. cum Eusebius scripserit contra eum. Quid damus medicinæ huic morbo?

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti.
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Sic nimirum fert medicinam istud telum: dicens enim Eusebium scripsisse contra Hieroclem, quod Hieronymus siluerit,

causam

caufam aßignat: quod enim vidit Hieronymus bene eſſe per Euſebium confutatum. quid debuit rurſum verbis ſupervacaneis inſectari, cum præcipue, vt accuſator ipſe confitetur, eſſet Hieronymus in transferendis libris occupatus. Vbi aduertēdū, quod hic criminator callide commēdat Hieronymū, vt ex cō̄mendatione probet aliquod vitium. Ideo namque dicit eum occupatum, vt credi faciat factum ex occupatione obliuioſum. Genus id profecto laudis egregium, quo quis, vt vituperet, quempiā laudat. Non quieſcit adhuc cenſor hic tetricus, ſed more Parthorum fugiens ſagittat. Impingit Hieronymo quod Apollonij vitā, quam ſcripſit Philoſtratus, & damnat Euſebius, approbare ſe oſtēdat, cum ſcribens ad Paulinum eam allegat. Reſpondetur heic paucis a diuo Hieronymo non tantum in Apollonio, ſed etiam in Pythagora, in Platone, in Gallis, et Hiſpanis, qui ad Titum Liuium veniſſe leguntur: in Paulo ipſo apoſtolo, quorum omnium meminit illo loco, id tantū approbare, ad quod eorū exemplo Paulinum presbyterum volebat inducere, ad ſtudium ſcilicet ſapientiæ, & labores aſſumtos gratia videndi eos quorum in ſapientia nomen eſt grande: hoc eſt, quod in Apollonio Tyaneo laudat Hieronymus. Ex quibus conſtat hominem iſtum, ſicut in libro Sapientiæ eſt ſcriptum, occaſionē quæſiuiſſe, vt recederet ab amico, & ex aliorum depreßione voluiſſe videri ſe excelſum. Sed magis accidet ei quod Paulus dicit: Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Sic ergo errare ſolēt homines, qui factis procul & verbis tenus ſunt ſapientes. Idem accuſat Hieronymum, quod male tranſtulerit pſalmographi verſiculum. Non ſic impij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. dicit enim in Hebræo haberi tantum ſemel, Non ſic. Illam vero particulam, à facie terræ, non haberi, nec addi debuiſſe a fideli interprete. Item non debuiſſe transferri tamquam puluis: ſed tamquam acus, quæ eſt palea minutißima. מוץ enim dictionem Hebraicam dicit Latinè interpretari, acus, non puluerem: & hæc omnia ab Hebræo doctißimo dicit ſe accepiſſe. Sed

aduer-

aduerte qui legis, quam multifariam hæc inscite conscripserit. Versiculus ille, quem male translatum criminatur, dicit esse psalmographi, quod certe dubium est: nam dicitur a plerisque præfatio Esræ, quam præposuit ספר תהלים hoc est libro psalmorum, cum in ordinem illum eos redegisset.

Item falso dicit eam esse Hieronymi translationem, quæ vulgata est editio. Criminator iste scire debuerat, psalmos quibus vtimur, teste Augustino in libro de doctrina Christiana, tot traductores habuisse, quot olim in ecclesia Latina linguæ Græcæ notitiam, vel imperfectam habuerunt: transferebat enim vnusquisque psalmos suo sensu. Manifestum hoc Romæ, vbi tot traductiones fere sunt, quot ecclesiæ.

Sed finge esse Hieronymi: nihil ex hoc habet aduersus eum. Nam illæ particulæ, quæ in Hebræo non habentur, cum in Græcis codicibus habeantur, transferri debuerunt ab interprete codicum Græcorum.

Cum ergo psalmos pluries traduxerit Hieronymus, ex Græco aliquando, aliquando ex Hebræo, non mirum si in aliqua eius translatione particulæ illæ reperiantur. In translatione autem ad Chromatium, quam fecit ex Hebræo in Latinum, particulas illas in illis codicibus non inuenias prætermisit. Sed translationem illam calumniator iste numquam vidit: & putabat omnes translationes, quotquot reperiuntur, bonas æqué ac malas, esse Hieronymi: sic est in eum bene animatus: sic est res ecclesiasticas male doctus. Quod vero addit de acere, iudicio irreuerenter & ignoranter dictum. cum enim מוץ transferatur in puluerem, non solum a Hieronymo, sed etiam a Græcis translatoribus. Χνοῦς enim habetur in Græcis codicibus, qui Latine puluis dicitur. Nescio cur iste sic deliret, vt magis credat vni Iudæo tempesta-

pestatis nostræ, in qua omnes Hebræi minimam suæ grammaticæ habent peritiam, quā Hieronymo. Theodotioni, Symmacho, Aquilæ, Origeni, & ipsis septuaginta interpretibus, qui fuerunt doctissimi Hebræorum, missi ab Eleazaro summo sacerdote ad Ptolemæū Philadelphum regem AEgypti, vt testatur Aristeas, qui illam historiam accuratissime scripsit. Inuēitur eadem dictio מרוץ Oseæ capite tertio decimo puluis trāslata: vbi legitur, sicut puluis turbine raptus. & Sophoniæ secundo. Quasi puluere transeuntem diem. Vertitur etiam aliquando fauilla: vt Iob capite vigesimo primo: Et sicut fauilla quam turbo dispergit, Quo fit vt putari possit מרוץ accipi posse pro omni purgamento, sicut accipitur a Græcis peripsema. Quam multiplex vero & ambigua sit quorundam vocabulorum etymologia, sciunt qui transferunt. Nullus enim eorum, qui laborē hunc hactenus susceperunt, potuit sine nota pertransire: exemplum habe dictionis soter, σωτὴρ, quæ Latiné transferri non potest, cum non saluatorem, sed eum qui saluauit, significet, Subiungit aliud, & quidem imperite, vt non videatur videre quod videt: ait enim psalmographum cōparasse virū iustū frumēto, impiū vero, aceri: cōtra quod stat ipse codex: ibi enim legitur, Et erit tāquā lignū, quod plātatum est secus decurus aquarū. Cōparat ergo ligno, non frumento: sed hoc ille cōfingebat, vt acus suum carius venderet. Bone Deus quantum inepiarū passim effutiunt isti sugillatores: omnes inquināt: omnes dehonestant: in omnes prætereuntes exspuunt suæ ætræ bilis excremēta. Alter quidam, loquor de hominibus habitu religiosis, dū nuper cōcionaretur, videretq́ esse frequens auditoriū, vt grande aliquid loqueretur, quo alios cōcionatores anteiret, voce tragica exclamabat, psalmos non esse fideliter translatos: et proferens ex psalmo sexto illū versiculum, Anima mea turbata est valde: Et tu domine vsquequo? pro vsque quo, asseuerabat debuisse transferri aliquantulum, iactabundusq́ damnabat omnes antiquos translatores, quod nemo eorum id aduertisset. Mouit hæc insolens calumnia multos viros & literatos, & religiosos, qui quo-

quotidie versum illum inter psalmos pœnitentiales sic legebant. Et cum me consulerent confestim misi manum ad exemplaria Græca atque Hebraica, quæ in mea bibliothecula habebã recõdita, Inueniq; in Græco codice scriptum ἕωσπότε. in Hebræo vero עד מה id est ad matai, quæ dictiones vbicumq; reperiuntur in sacris literis, semper ab idoneis vsquequo interpretantur. Vide psalmum octuagesimum primum, & octuagesimum nonum, & inuenies eadem verba sic interpretata: idq; est intelligenti adeo clarũ, vt pudeat non solũ negare, sed etiã dubitare. Mirabar hominẽ huius professionis tã pertinaciter asserere quæ nesciebat, Sed multó amplius sum miratus, quód postquam hoc ei declaratum est, in faciemq; dictum, & Sole clarius demonstratum, testimonio etiam ipsorum Hebræorum cõfirmatum, tam duræ ceruicis erat vt non sit motus ex sententia, & veritatis lucem oculis se offundentem vel non aduerterit, vel quod magis credo aduertere dissimularit, quo circumstantem plebem in opinione falsa, quam docuerat frontis duritie, & vocis pertinatia ad sui laudem confirmaret. Vide iam quid de reliquis sentiendum, cum hi, qui aliquantulum sapere videntur, ita desipiunt: & qui prædicandæ veritatis officium vsurpant, magis eam deprehenduntur conculcare, & id solum curare quod dicit Persius.

At pulcrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

Sed agant vt lubet, & ineptiant suo modo sine fine: mihi certe magis frequens theatrum sunt tres quatuorue sapientes, quam infinitus numerus ignorantum. clamat Politianus in orthographia Latinorum mendam esse, & nomen Virgilij non recte scribi, cum ipse, teste quodam saxo, reppererit nomen illud in prima syllaba non per i, sed per e, debere scribi, & producit contra nos ipsa saxa, vt duræ frontes testimonio duriore conterantur. Vide quam friuolo nitatur argumento, & cum Lapithis pugnaturus mutilata hasta, & strigoso equo venit in campum. Dum Romæ sub Sixto quarto agerem, Pomponius Lætus mihi familiarissimus, ostendit tabulam marmoream perquam vetustissi-

mā in Circo Flaminio, in qua quosdā errores deprehēdisse se monstrabat: in ea enim pro Venox, Vēnocens, & Publius pro Poblio, & Politicus pro Petico mendose scriptū erat. hoc idē refert Hermolaus in Plinianis correctionibus libro sexto, & tertiodecimo. Cur oro te non potuit sculptor errasse, sicut eos sæpe errasse in multis titulis Romæ percipimus? & cur non potuit illud nomen, quod in eo saxo legit, fuisse non Virgilij nostri, sed alterius cuiuspiam nati sub Virgilijs. Cicero in epistolis ad Atticum dicit se vidisse in Capitolio statuam Scipionis Africani cum subscriptione Serapionis, & dicit se putasse id eratum fabrile: Constat ergo Ciceronis iudicio & fabros statuarios errare posse. Addit etiam Politianus, vt maior auctoritas sit in fabula, legisse se ita scriptum in bibliotheca quadam percelebri, & aliquando scriptum litteris Longobardis, aliquando litteris maiusculis, quasi Longobardi, & qui litteras faciunt maiusculas non sit fas errare, & quasi non credendum sit magis auctoritati quindecim & amplius sæculorum, & codicum prope infinitorum, quam tribus codicibus Barbaris, & duobus saxis, & audet impudēter deridere, quod id nomen ductum sit a virga vel virgula, cū legatur in vita eius eo loco, & ea die qua natus est Virgilius virgam populeam depactam breui supra alias coaluisse, & Virgilij populum appellatam, ad quam puerperæ summa religione vota susciperent atque persoluerent. A virgula ergo illa, non a virga laurea, id enim, vt ait, puerile est, nomen hoc ductum sit: sicut vult Priscianus in quarto, quando agit de denominatiuis. Certe, vt cumque res eat, scio illud nomen per i, a Græcis scribi. Nuper namque cum Stephanum de vrbibus legerem, vidi in dictione Mantua Virgilium per i, non per e, scriptum. Memini etiam me legisse in epigrammatum Græcorum libro quem Iohannes Lascaris, vir linguarum eruditione clarissimus dono mihi dedit, nomē id Græce non per e, sed per i, scriptum. Nam Christodorus poeta Thebanus, describens imagines virorum illustrium positas in quodam publico gymnasio

gymnasio, inter quas erat & imago Virgilij, sic fere inquit. Ego enim epigramma illud ita transtuli.

Carus & Ausonijs, liquido, decuisset olorem,
Spirans ore melos Virgilius extulit olim,
Hunc sermo faciens alium Tiberinus Homerum.

Sed nec te moueat, quod duplicato ll, scribatur contra morem nostrum. Id namque a poeta Græco factum est causa metri. Græcis enim maior est licentia, quam Latinis. Vnde Martialis de Earino Domitiani:

Dicunt Earinon tamen poetæ:
Sed Græci quibus est nihil negatum:
Et quos ἄρες ἄρες decet sonare,
Nobis non licet esse tam disertis.

Sed vt nos quoque in iudicium lapides adducamus, addi potest testimonium elogij quod in basi statuæ Claudiani Romæ nuper repertæ litteris Græcis scriptum est sic

εἰν ἑνὶ βιρ(ι)λίοιο νόον καὶ μοῦσαν ὁμήρου, & cetera: vbi nō per e, sed per i, Virgilius notatur. Voluit & hic certe nimis arroganter tollere melos de versu Persiano, quod mille & quingentorum annorum decursu locum satis præscripserat, cum posset saluare per legem λ duplicis consonantis vim habentis, vel duplicando λλ, vt fieri dicit in eloria apud Homerum in primo Iliados, quod tamen arbitror esse superfluum: nam λ simplex videtur eam vim sibi vendicare. Vnde Homerus in decimo Iliados producit eadem ratione secundam syllabam dictionis AEolus dicens,

βῆ ῥ' ἴσ' αἰόλου κλυτὰ δώματα

Et in hymno ad Mercurium profert melos corrupta & producta prima syllaba sic,

πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέλος ἡδὺ πὸ καλού.
Ιμερόεν κονάβησε θεὸς;
ἡδὺ πὸ μέλος ἄειδε

Sed voluit se auctorem facere nouæ regulæ, qui melius poterat antiquam defendere. Verum id quoque peius. quod pro melos nectar suppoſuit, cum melius, carmen, poni potuerit. Quid enim facit nectar ad cantare? Cantatur carmen, non cantatur nectar. Multo certe modeſtius, verius & doctius egit Hermolaus in Caſtigationibus Plinianis: qui ſi poteſt ſeruare antiquam lectionem numquam mutat. Taceo Laurentium Vallam, Iohannem Tortellium, Nicolaum Perotum, Georgium Merulam, qui omnes in alios dicere paratiſſimi, reprehenduntur paſſim ab alijs, quod & ipſi multa mala dixerint, & perperam alios ſæpe taxauerint. Hinc igitur ſatis conſtat quod dicebam ô Ptolemæe, nos eſſe natura pronos ad carpendum: & vero verius eſſe quod Ariſtoteles inquit in Ethicis, Non eſſe omnium de rebus diffinire. Item quod dixit Perſius.

Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo.

Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Idem Politianus cum poſſet Seruium ſaluare, maluit damnare. nam in enarratione illius Virgilij verſus:

& rapidum Cretæ veniemus Oaxem:

Dixit eum fœde lapſum, quod Oaxem dixerit Meſopotamiæ fluuiũ, cum alius Oaxis ſit in Creta. Si enim duo ſunt Oaxes, veriſimilius eſt Virgiliũ intellexiſſe de longinquiore, cum inducat paſtorem dicentem ſe & ſuos in extrema terrarum loca diſpergendos: nominat enim Afros, Britannos, & Scythas. quod ſi dicat non bene ruſtico attribui peritiam naturæ Oaxis Aſſyrij, quod ſcilicet ſit lutulentus: dicitur quod neque bene attribuitur peritia naturæ Oaxis Cretici, quod ſit rapidus. magis miror quod Virgilium non accuſauerit, cum non videatur conuenire ruſtico Mantuano loqui vllo pacto de Oaxe. Non enim eſt ille fluuius ſic illuſtris, ſicut Nilus, & Padus, vt à paſtore Mãtuano poſſit ſciri cum vix Itali docti ſciant vbi ſit Oaxes, & multo pauciores noſcant hunc rapidum, illum lutulentum. Ipſe quoque cum de ſcrutis ageret, dixit tantum ſcruta eſſe numeri pluralis: ſignificatum

catum eius vocis tacuit: quod omnes scire desiderabant: per scruta vero significari aiunt res senio inutiles: quales sunt dimidiatae strigiles, claui refixi, vestes contritae, & id genus alia. Sed post hanc ecbasim ad me iam redeo. Volui autē ista commemorare, vt simul & assumptum probarem, non esse scilicet detractoribus fidē adhibendā, & eos ad iudicandū temere prolabi: simul etiā vt eis succurrerē, qui mecū patiūtur hāc vomicā. Libet hic ô Ptolemaee, quia & licet mihi apud te libere loqui, & tecum aptè expostulare cū res poscit, de me, & pro me pauca loqui. Neque id profecto a philosophis est reprehensum. Aristoteles enim in Ethicis inter dissimulatorem, qui more Socratis sua semper extenuat, ac facit minora, & iactatorem, qui se plus iusto magnificat, veridicum tamquam laude dignum collocauit. Neque id a Christianis est explosum. Paulus enim de seipso loquens ait, & si imperitus sermone, sed non scientia. Dicam ergo pauca pro me ipso. Me namque oportet mei esse memorem, qui censores sum sortitus tam austeros. Leguntur vbique libelli mei, & videntur esse totius orbis iudicio approbati: non omnes tamen, sed qui iam pridem sunt editi, ac Bononiae per Benedictum Hectoris impressi: fere enim in totum Christianismum peruenerunt, quacumque Latina lingua est diffusa. Sunt apud me quaedam alia nondum edita: ad quae reprehendenda anhelant critici, quasi ad nouam offam Minotaurus. Veniūt ad me crebrò epistolae ex Gallijs, ex Britānijs, ab Germania, ex Dacia, ab Oceano vsq; Cimbrico: quibus intelligo opuscula mea illic esse in pretio, ab oībus legi, ab omnibus laudari. Quidā Iodocus Gallus diu versatus in illo celeberrimo Parisiorū gymnasio, vir certe, vt ex opere constat, vtriusq; linguae ac liberaliū artiū, philosophiae quoq; tā humanae quā diuinae peritissimus, nuper Cōmentarium in opuscula mea docte curioseq; cōscripsit, quod vidisti. Sed doleo plurimum, quod in exemplar mendosum inciderit, vbi vitio impressorum legebatur sermo, pro seruo in Calamitatibus: & in Parthenice Mariana, Procyō vstum, pro quo erat in meo exemplari Procyonq; perustum: & aliud simile in

le in vita Virginis Catharinæ, coma regia Procyon Vrsæ, pro quo erat in prototypo, Procyon coma regia & vrsæ: Quæ tamen omnia postea in alia impressione sunt correcta. Respondebit fortasse aduersariorum aliquis non magnum, immo forsitan et turpe esse, quod lauder à Barbaris, vt pote omnia quæ non intelligũt magis mirãtibus, ac Latini sermonis omnino ignaris: propterea q; subscriptionem eorum esse vanam: se vero omnibus his præferendum, qui Latinum idioma, & nostræ orationis vsum sciat. Omitto quod hoc responsum plenum sit vanitatis, & insolentiæ, & omniũ rerum Barbararum Barbarissimũ: Quis est iste, qui vult asseuerare linguam Latinã nesciri a Barbaris? Senecæ duo, Lucanus, Pomponius Mela, Martialis poeta epigrammaticus, & vt quidam putant, Quinctilianus, non sunt in Latio nati, neque in Italia, verum in Hispania, latini tamen lingua, & ipsorũ latinorũ comparatione latinissimi. Sũt tamen qui contendant Quinctilianum fuisse Romanum: sed ego Eusebio magis crediderim, qui dicit eum Calagurritanum. Terentius Comicus Afer, & Claudianus AEgyptius natione, lingua ita Latini, vt magis nemo. Apuleius item Afer: Augustinus quoque, atque Fulgentius Afri origine, lingua latinissimi. Cyprianus Carthaginensis non est omittendus, qui Latinæ eloquentiæ teste Lactantio specimen fuit. Ausonius, & Sidonius Apollinaris, & Hilarius Pictauiensis episcopus Galli latinissimi. Nostra tempestate Iohannes Pannonius Latinissimus. non minus quam Politianus, ac Pomponius. studiosorum est Latinitas, non eorum qui Romæ, Tiburéue nascuntur. Non enim modo sunt ea tempora, quibus Latina lingua a matribus sine vsu litterarium discebatur. Legimus namque apud Ciceronem in libro de Claris oratoribus, plerosque bene locutos Latine, cum essent omnino litterarum ignari. Aduertendum item o Ptolemæe, perquam callide, ab aduersarijs limites figi Latino sermoni vt accusare possint transgressores: existimant enim ex his accusationibus se posse clarescere: limites inquam occultos, quos ipsi soli sciunt

ant, vt nos incautos, qui per Latinæ orationis campos, quasi per quædam nostra rura securi incedimus, quoties libuerit taxandi ius habeant. Id quoque ignorare te nolo, quod testes ex coniuratione sua semper citant: sunt enim coniurati, & quasi colubri latitantes in sæpibus, venenoso morsu impetunt transeũtes. Ad huius fundamenti subuersionem duo sunt scienda, Latinum scilicet sermonem nunquam eundem tenorem obseruasse, & hominum iudicia sic esse diuersa, vt omnibus hominibus idem quantauis bonitate præcellat, placere ac satisfacere numquam possit. Ad primi probationẽ hoc axioma declarandũ assumo. Genus omne sermonis & vocabula, quibus animorũ conceptum exprimimus, simul cum ceteris rebus humanis patitur cariem, senium, & mortem. Quis nescit hostis nomine quondam appellatũ eum fuisse, qui nunc hospes dicitur, et modo solum eum significat, a quo nobis publice bellũ infertur? Quis nescit sanguẽ pro sanguis vsurpatũ ab antiquis? et eos ita locutos, vt dicerent Valesius, pro Valerius: Fusius, pro Furius: maiosibus pro maioribus: meliosibus pro melioribus, lasibus, pro laribus: fesijs, pro ferijs: frequẽtarium, pro frequens: nuperũ, pro nouo, & recẽti. Antiqui, qui eleganter loquebantur inquit A. Gellius, dicebant, Die quinti & die quinte, pro die quinta: die crastini, pro die crastina: die proximi, pro die proxima: die pristini, pro pridie: dies & dij in genitiuo, pro diei: dirũcio, pro diritatẽ rejicio: fortesco ꝓ fortis fio: fastibiliter, pro fastidiose, ac stomachose. falla, pro fallacia: differitas, ꝓ differẽtia: põderitas, pro grauitas: minabiliter pro minaciter, et minacitas pro commina io: reapse, pro re ipsa: ningulus, pro nullus: garritare, pro garrire. Item peposci, memordi, spepondi, pro poposci, momordi, spopõdi, Itẽ rauus, pro obtuso, et absente nobis pro absentibus nobis: fuat etiã, pro fuerit. Itẽ pro plura & cõplura dicebãt, pluria, & compluria: vnde pluries aduerbium, quo adhuc vtimur, factum. Non dubium etiam eos garrulum posuisse, pro cordato: comest quoque, pro comedit, & expectorare, pro extra pectus mittere, & comedim, pro comedam:

 vescum

vescum quoque pro pusillo, ponebant: quibus, quia nondum omnino ex vsu abierant, aliquando est vsus ipse Cicero. Redit in mentem illud Catonis in re rustica, Viduer:atem vastitudinemq́, calamitates intemperiasq́ prohibessis, defendas, arunces: arunces quippe dixit, pro repellas: qua voce vsi sunt & Cicero & Liuius: quod in confinio fuerint illarum ætatum, quasi inter nouum & vetus testamentum apostoli. Dixit etiam Cicero muginari, pro murmurare, et vsque eodem, pro vsque quo, more antiquorum. Gn. Marcius dixit recentare, pro renouare: edulcare, pro dulcem reddere. Laberius et Cloatius fuerũt apud antiquos, qualis apud iuniores Appuleius nouorũ vocabulorum repertores, A. Gellius xiij. libro dicit ista vocabula fuisse olim ancipitia & media: periculum. venenum. contagium, honorem: ita vt malus honor diceretur, & significaret iniuriam: furfur frumenti dicebatur a pluda: & feces vini, floces. Varro & Nigidius dixerunt domuus, pro domus genitiuo: similiter etiam fluctuis, senatuis. Lucilius in eodem casu dixit victu & anu: quem in similibus Cæsar secutus est in libris Analogicis. Plautus dixit puluerat, pro puluere plenum est. Varro dixit mu'ant pro mu'antur: sicut Virgilius ponit præcipitat pro præcipitatur in secundo Eneidos.

& iam nox humida cælo
Præcipitat.

Et Gn. Velleius dixit tempestas sedauit, pro sedata est. dicebãt quoq; antiqui, teste A. Gellio. in xix. ca. xij. muneror, pro munero: significor pro significo: assentior, pro assentio: feneror, pro fenero: pigneror, pro pignero. Dicebant & interfio, pro interficior. Lucr.

Aut flamis interfiat, malisq́ ferarum. (in tertio,

Et quoniam rei huius sunt exempla prope infinita, quæ etiam grammatistæ triuiales non ignorant, hinc me absoluo, & Horatiũ cito optimum in hac causa patronum & iudicem. Ipse ergo in poetica sic inquit,

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq́
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus:

Quæ

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

Quod grauius testimonium, quæ maior auctoritas, quæ fortior probatio dari potest? Habet ergo vsus totum Latini sermonis arbitrium, & consuetudo est Latine loquendi norma verissima. Id oculo ad oculum videmus in auctoribus antiquis probatissimis, qui vt ætate, sic quoque sermone sunt differentes, nam nec Terentius vt Plautus: nec Virgilius vt Ennius: nec Cicero vt Cato: nec Appuleius vt Cicero est locutus. Immo vt sciant isti vaniloqui in sermone vsum obseruandum, legant libellum Ciceronis de Claris oratoribus, vbi dicitur Sisennam in senatu fuisse a C. Rusio derisum, quod sputatilica dixisset, vocabulum scilicet iam exauctoratum & a loquendi consuetudine reprobatum. Erat hic Sisenna homo ceruicosus, similis his nostris, qui pernicio si sunt bonis ingenijs, vt maiales caligines frugibus nouis, & dicere solebat, vt eo libro patet, recte loqui esse inusitate loqui. In cuius sententiam vadit quidam grammaticus familiaris noster, qui ad vnius vocabuli obscuri declarationem, solet adhibere quinque obscuriora: ac si quis, vt clarius crepusculum fiat, noctis intempestæ tenebras adiungat. De Cæsare autem dicitur ibidem quod originem eloquentiæ dicebat esse verborum delectum: & paulo infra, qualem verborum delectum faceret, declaratur, cum inquit: Pomponius consuetudinem vitiosam & corruptam pura & incorrupta consuetudine emendabat. Sic illo loco scriptũ. Ex quo patet Cæsarem, de quo præ dicẽdi elegantia dicitur quod sanos homines a scribendo deterruit, numquam à consuetudine discessisse. De Augusto dicit Suetonius, quod genus eloquendi secutus est elegans & tẽperatũ, vitatis sententiarũ ineptijs atque inconcinnitate, & reconditorũ verborum, vt ipse dicebat, fœtoribus: & subinfert eum deridere solitum Mæcenatem, quod esse cacozelos, id est, malus affectator, & Tiberiũ quod esset antiquarius hoc est exoletarum et reconditarum vocum aucupator Apud A. Gellium legimus Fauorinum philosophum scitissime respondisse adolescẽti verborũ antiquorũ studioso & fastidiẽti phrasim sui tẽ-

 poris.

poris. Viue moribus antiquis, & loquere præsentibus verbis. Quid ergo inepte satagunt isti, & conantur nos reuocare a præsenti consuetudine laudabili ad antiquam Latinitatem iam explosam: quod plane damnant omnes viri docti tam noui quam antiqui? Reuertor ad Horatium qui inquit,

Vt siluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq́.

Et paulo supra cum dixisset non negandum Virgilio et Vario quod antiqui concesserunt Cæcilio & Plauto, mox subiecit per licentiam, & improprie loquens. cur acquirere pauca,

Si possum, inuideor.

Non enim dicunt Latini inuideor: sed, vt Porphyrion inquit mihi inuidetur: sed voluit ostendere Horatius poetam non coercendum tam rigida censura grammaticorum vt nunquam liceat ei suo arbitrio loqui: quemadmodum etiam fecit, cum præter consuetudinem & omnem regulam grammaticorum vltimam syllabam in dictione palus breuiauit. Et vt cognoscas poetis semper infestos fuisse grammaticos, subijcio breuiter quod de Virgilio legisse me memini. Virgilius cum interrogaretur a Cornificio & Pædiano, & ab alijs grammaticis de versu illo,

Tris pateat cæli spacium non amplius vlnas:

Respondit perlepide se in versu illo fixisse crucem grammaticis, vt in excogitando et disquirendo loco illo cruciarentur, & distorquerentur. Dicent forsitan isti se nolle nos ad Enniana tempora reuocare: sed ad ætatem mox insecutam: qua poetæ meliores, & oratores clariores floruerunt: & illius vsum, vt pote defæcatissimum ac sincerissimum, omni diligentia obseruandum. Verum si mortalium naturam non minus ac Latina verba pensitarent, id factu impossibile fat cognoscerent. Tanta est in hominum gustu diuersitas, tam multiformia iudicia, tam multiplices variæq́ sententiæ, vt in rebus humanis nil constare possit: quæ etiam sunt legibus instituta & pœnis impositis seuerissime sancita

cita vsu in contrarium nitente corrumpuntur: quanto magis ea quæ sunt arbitraria? Propterea legimus apud antiquos quatuor linguas fuisse: primam quam dicũt priscam, vsque ad Latinum regem: Latinam sub ipso rege Latino, vsque ad exactos reges: Romanã, vsque ad Imperatores: mixtã sub Imperatoribus. Sũt ergo isti vsque adeo imperiti & humanarũ rerũ ignari, vt velint sermonẽ, quo nihil est fluxius cohibere. Dicit Aristoteles futurum esse, vt vbi nunc est mare aliquando sit terra, adeo mutationi subiecta est tota mundi hæc machina, nedum sermo, comparabilis murænæ, quæ teste Hieronymo, quanto magis stringitur, tanto magis solet elabi. Satiatur mens humana vetustate, & antiqua vocabula, quasi cibos nimium familiares, pertæsa semper inquirit noua. Non fuit apud antiquos vox hæc poßibile, sicut & multæ aliæ: nunc paßim ab omnibus est recepta. Horatius in .ij. epistolarum ad Iulium Florum loquens de his qui sua poemata diligenter emendant, dicit,

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum.

Et prosequitur.

Quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc situs informis premit, & deserta vetustas.
Adsiscet noua, quæ genitor produxerit vsus.

Ecce vt dicat desertam vetustatem situ informẽ, & vsum vocabularum genitorem. Adde quod in dies exsurgunt res nouæ, quibus sunt danda noua vocabula. Alienigenarum quoque consuetudines, Barbarorumq́ commertia tollunt orationis puritatem, & Latinam eloquentiã dehonestant. Quo fit vt dici poßit nullam fuisse ætatem, quæ aliqua ex parte sermonem prætеritæ addendo vel minuendo non mutarit. Antiqui ad instar non dixerunt: vt Virgilius in .ij. Aeneid.

Instar montis equum.

Sed quidã ex recentioribus vti cœperunt ea phrasi: Vt Solinus

Appuleius, Aurelius, Serenus. Substantia & essentia in raro usu sunt apud antiquos, nunc passim omnes usurpant. Cicero putauit beatitas & beatitudo dura esse, & beatitas esse magis Latinum: tamen beatitas repudiatū: beatitudo receptū. Quinctiliani tēpore vix quisquā dicere audebat fauorē, & urbanū, & ea Cicero noua esse testatur. In quit enim sic in epistola ad Brutū. Eum amorem & eum, ut hoc verbo utar, fauorem: Et ad Appium Pulcrum dicit. Te hominem nō solum sapientem, verum etiam ut nunc loquimur, urbanum. Sunt qui putant primum a Terentio dictum obsequium. Ceruicem singulari numero primus Hortensius dicere est ausus: veteres enim tantum numero plurali utebantur. in quo notatur Seruius, quod dicat ceruices in plurali significare superbiam. Elegans etiam usque ad ætatem Ciceronis vitij non laudis, ut Gellius est testis, nomen fuit, & magnificus videtur aliquando vitium importasse, quamuis nunc in laudem usurpetur. Lege Iulium Capitolinum, AElium Spartianū, AElium Lampridium, Volcatium, Gallicanum, Trebellium, Pollionem, Flauium Vopiscum: qui posteriorum imperatorum vitas scribunt. Lege Appuleium, videbis infinita monstra verborum. Euolue Sidonium, Ausonium, Fulgentium, ubique aliquam nouam vocabulorum frugē inuenies: nouum dicendi genus apparebit. Cur volunt ergo isti philologi, naturæ rerum omnino ignari, res humanas & præsertim usum loquendi, quo nil mutabilius est, non mutari? & à se alienam seruare cōstantiam? Niti obstinate, & ad id quod non possis, anhelare, mihi videtur stultū & inane. Scribit Aristo eles in Politicis Lycurgum qui Lacedæmonijs leges dedit, tentasse mulieres lege coercere, & ubi se frustra niti vidit, destitisse. Fuit illud opus viri cordati, & ad viriū mensuram laborantis. Sed quorsum ista tot ac tanta hactenus? percurrimus? Nempe ut ostenderemus male ab aduersarijs Latino sermoni limites fixos, ut pote a quibus vera confinia ignorabantur, & hi quorum hoc intererat non sunt conuocati. Intererat autem hoc consuetudinis, quæ, cum sit inconstans semper

& mobilis, nullis limitibus cohiberi se patitur, & sermoni Latino nulla confinia vult aßignari: & item, vt quod erat secundum demonstraremus, propter multiplicem gustus varietatem nullum esse opus tam elaboratum tam excultum, vt omni ex parte laudetur ab omnibus.

Sed iam ad hoc probandum veniamus. Quid de naturis hominum loquar, quæ sunt tanta varietate resperſæ, vt quod vni sapit, raro vmquam alteri sapiat? Scitum est illud Comici, Quot homines, tot sententiæ. & illud Persij.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.
Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Caligula imperator vocabat Senecam arenam sine calce. Eundem A. Gellius & Quinctilianus ferre non possunt. Sed hoc nimirum accidit, quod ille grammaticus, iste vero rhetor merus fuit. grammatici est verba coagmentare, rhetoris orationem fucare. At Seneca cum esset philosophus rebus magis gaudẽs quam ornatu, spreto flore orationis, Latine tamen loquens, sententiarum grauitate pollebat, & hæc profecto laus est sincera, gloria solida, decus permansurum: cetera sunt quædam temporaria, & ad modicum tempus duratura. Audi hoc Horatium in poetica:

Scribendi recte, sapere est & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.

Vbi clare demonstrat omne genus recte scribenbi pendere ab ipsa philosophia: verba vero rerum inania, qualia scribunt sti logodædali, vocat Horatius nugas canoras, & Augustinus siliquã, quæ, intra dulce tectorium sonantes quatit lapillos. Redeo ad hominum varia iudicia, quibus si quid simile vis videre, vide in quot differentias eat gustus, & quam sit palati nostri vaga & multiformis delectatio. Legimus Adrianum imperatorem, qui vir litteratißimus est habitus, Virgilio Ennium, Ciceroni Catonem, Sallustio Cælium pretulisse. Pacuuio visum est se elegantissime æmulatũ fuisse Græcũ sermonem, cum pro κυρταυχενα dixit pecus curuiceruicũ, quod ab alijs tamen est derisum. Vis & aliud vide-

videre mirũ iudicium? Scis in quanto pretio sint nunc apud nos Plautinæ comædiæ: immo & apud antiquos fere omnes. est apud A. Gellium libro quintodecimo Noctium Atticarum Volcatij de Plauto tale iudicium.

Multos incertos certare hanc rem videmus.
Palmam poetæ comico cui deferant
Eum, me iudice, errorem dissoluam tibi,
Contra vt si quis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam statuo de comico.
Plautus secundus facile exsuperat cæteros.

Hoc est antiquitatis de Plauto iudicium: sed longe aliter sentit Horatius: sic enim ait de eo in poetica:

At nostri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales: nimium patienter vtrumq;,
Ne dicam stulte mirati, & reliqua.

Vult ergo Horatius Plautũ & sales & metri scientiã nesciuisse & in metris & in iocis teste Acrone immoderatũ fuisse: Hoc si quisquam nunc dicere inciperet, parum abesset quin lapidaretur. Vbi Virgilius in quincto loquens de Darete dixit.

Ostenditq; humeros latos:

Seruius putat melius dici potuisse, ostentat, & iudicio Virgilij suum audet præferre iudicium. Audi sententiam adhuc magis mirabilem atque opinionem magis portentosam. Sidonius Apollinaris fastidit Ciceronianam eloquentiam. & ait ipsum Ciceronem scribere supina flaccida, hiulca, compagibus dissiliẽtibus male coagmentata, parum abest quin dicat litteras nesciisse Ciceronem: Ciceronem inquam, de quo Silius inquit.

Ille super Gangem super exauditus, & Indos
Implebit terras voce, & Furialia bella
Fulmine compescet linguæ: nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Cum legerẽ nuper correctiones Plinianas, vidi aliud portẽtosum iudicium. Hermolaus enim dicit sibi non sapere dictionem hanc

hanc, ignitum, nec dignam esse, quæ in penus Latinum admittatur, & ea tamen, vt ipse confitetur, Appuleius vtitur, & ipse in penitissimis Latinorum adytis Lucretius educatus. Sed dic sodes, illi magis antiqui fuerunt ne forte modestiores in taxandis laboribus alienis, peruersisq; iudicijs proferendis? Demosthenis oratio quibusdam sicca, Demadi lucernam olere, AEschini Barbara videbatur. Ciceronis sermo apud Caluum exsanguis et tritus, apud Brutũ fractus & elumbis, apud alios aridus putabatur: contra alij tumentẽ & inflatũ, nec satis pressum, sed exultantẽ supra modũ & superfluẽtẽ iudicabãt. alij dicebãt frigidã in iocis eius orationẽ: alij parũ antiquã, alij molliorẽ et superstitiosam. Lucilius qui primus, vt aiunt, condidit styli nasum, hoc est irrisionem & vituperationẽ: lacerauit quo ad potuit poetas antiquiores Euripidem, Accium, Ennium, Pacuuium: Horatius autem taxat hũc dicens eum & si fluit, tamen esse lutulentum. Redeo ad neotericos. Priscianus dicit errare qui scribunt, adfatur, adludit, adrideo, adsumo per d, ante f, l, d, s, Politianus qui fuit æuo nostro vir litteratus id negabat, & Prisciano infensus sic scribi debere affirmabat, producebatq; in iudicium lapides peruetustos: quos crediderim Priscianum vidisse, sed contemsisse propter illud Horatij,

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet vsus.

Possem plura de corruptis hominum iudicijs afferre testimonia: Sed consiliũ est fabulæ finem imponere, cum hoc vnum raptim addidero. Didymus græcus sex libros conscripsit aduersus Ciceronem. Et Argyropylus Byzantius eundem Ciceronem plurimum damnabat, dictitans eum ignarum philosophiæ fuisse, & Græcarum litterarum, & quod ipse Cicero dixerit aliquando Græciam fuisse inopem vocabulorum. Et quã rogo te potest habere sermo constantiam, quando quod iste probat, alius est qui improbat: & quod hic adorat, ille execratur? Addo per quam paucis aliud exemplum: quo recitato verbum non amplius addam. Cacozeliam grammatici & præsertim Diomedes vocant vitium quoddam orationis, quod tum com-

committi volunt, cum eo quis orationem dehonestat, quo ornare se putat. Exemplum afferunt ex secundo libro metamorphoseos Ouidij:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

In his ergo versibus dicunt committi cacozeliam: & vitiosam esse hanc orationem: tale est iudicium grammaticorum. Mihi autem etiam plerisque alijs videntur esse irreprehensibles, & carere omni labe, & habere comata omnia concinnissime copulata, putamusque vitium, si quod est, potius esse in criticorum cerebro, quam in Ouidio, & eis accidere fere idem quod accidit lippitudinem & scotomiam patientibus, qui vitium quod putat esse in rebus visis, habent in oculis. Talis illusio contingit & nautis: naue enim præteruolante, qui in naui sunt putant arbores diffugere, cum ipsi non arbores, moueantur. Sed his generaliter ita dictis, tempus est vt redeam ad me ipsum. Imputatur mihi quod opuscula mea viuus ediderim. nouum genus conuicij, quasi quod omnibus licet, mihi non liceat. Recordari cogor isto loco quod legi de Apelle, solitum scilicet eum tabulas suas in pergula cunctis videndas exponere & ipsum latentem post eas iudicia prætereuntium auscultasse. Edidi & ego viuens opera mea, vt vitia audiam quæ annotantur, & quæ excusari possunt, excusem viuens. Sciebam enim naturale esse, vt vuæ maturæ a vespis impetantur, & mantilia candida a muscis maculentur, & vestes per æstatem a blattis corrodantur. Non dubitabam affuturos, qui mea paupercula opuscula, mox vt essent edita, in iudicium traherent, vt si condemnare non possent, saltem suspecta facerent &, vt inquit Maronianus Sinon qui in meam sugillatio nem confestim inciperent spargere voces in vulgum ambiguas, Feci quoque hoc eorum, vt manum aliquando leuarem de tabula, & vt his curis absolutus ad theologiæ studium, quo longe plus oblector me conferrem. Ego namque poema omne carptim composui, cursim absolui, non fere aliter quod canes aiunt bibe-

bibere in AEgypto. Aiunt etiam quod in operum meorum principio grandis appareo, magna polliceor: sed in processu ab altitudine illa mox excido, ac si mihi opponant illud Horatij.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

Huic obiectioni non respondeo: opera ipsa satis respondebunt: sententiam ferat qui recte intelligit: in omnem virum doctum, qui careat perturbatione, compromitto. Sed moneo dictum ab Aristotele, in libro Politicorum octauo, Impoßibile esse, vel certe admodum difficile, vt qui opera ipsa non tractat, perite valeat iudicare. Sed quid ego frustra pergo omnẽ labem diluere, ad omnia quæ imputatur respondere? Sordidum aliquid relinquendum, vnde pascantur qui cibo isto viuũt. Oportet & scarabeos fimum habere, ex quo pro generositate suæ naturæ pedibus auersi pilulas volutent. & quemadmodum obscenum id animal loco Numinis habebant AEgyptij: sic forioli isti, qui omnia fluxu linguæ dehonestant, apud nonnullos habentur in pretio. Quod est ô Ptolemæe, quod est infelicitatis genus hoc pertinax, quod mortalium principes, & ipsos præsertim litteratos odio tam atroci consectātur? Vt scilicet tot calumnijs pateant, toties incessantur a maledicis. Habuit Homerus Zoilum mastigophorũ: Maro noster quẽdam Paronẽ AEglogarum derisorem, et Carbilium, qui dicitur scripsisse AEneidomastigem: et Herennium, qui vitia: & Faustinum, qui furta contraxit: & Batillum carmina ab eo facta suffurantem. Annæus Cornutus vt refert A. Gellius reprehensione insulsa & odiosa inquinauit Virgilium in Veneris et Volcani concubitus descriptione. Probus quoque taxat eundem, quod male transtulit ad Didonem quod dixit Homerus de Nausicaa, cum Dianæ venatrici cõfert eã. Vipranius dixit Maronẽ nouæ cacozeliæ, id est malæ affectationis repertorẽ, nec tumidũ, nec exilẽ ex cõmunibus vocabulis opus confecisse. Sunt quoque qui reprehendant eundem poetam re vera diuinum potius, quam humanum, quod Eriphylem dixerit mæstam, quam apud Græcos legerat συ[illegible]ερὴν, id est, nocentem: & putant Virgilium ex ignorantia lin-

guæ Græcæ στυγερὴν in mæstã transtulisse. O stulti, & tardi corde, ac ingenio prauo atque ignauo, non vident poni posse effectum pro causa, vt cum sudor ponitur pro calore vel labore: sicut apud Mosem in Genesi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: hoc est cum labore viues. Naturalis autẽ effectus conscientiæ nocentis est mæstitia. Quis item prohibebat Virgilium discedere à Græco, & diræ illi feminæ aliud epitheton? Nonne conuenienter poterat eam quæ tale crimen commisisset, vocare perfidam, impiam, auaram? Cur ergo non mæstam, licet mæsta ad stygerem non attineret? Notatur & à Fauorino philosopho, quod in describenda montis AEtnæ flagrantia Pindarum infeliciter æmuletur. Cui Pontanus noster in Dialogo quem Antonium appellauit, in faciem resistit ostendens ratione manifesta melius Pindaro Virgilium de illo incendio locutum, & in illis noctibus Atticis dicit A. Gellium aliquando dormitasse: vt ipse quoque A, Gellius qui alios taxat, sine morsu hominum non euadat. Huius rei causas duas inuenio: vnam quod supra alios mortales claro atque illustri loco constituti omnibus pateant & si quid agunt latere non potest, iuxta illud Christi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: & a Crispo dictum est, In maxima fortuna minima licentia. Alteram quod sicut Auster serenitatis apud nos, sic vbique gloriæ inimicus est liuor. Tertiam causam addo, vt scilicet dum illustres viros persequuntur, aliquod sibi nomen acquirant qui aliter ignobiles permansissent. Sicut de eo dicitur qui in Ephesiæ Dianæ templum ignem misit, Sic & Pilatus ex scelere suo factus est famosus, & assidue cum Christo cantatur in Symbolo. Huiuscemodi homines virulenti si inter legendum aliquid quod aptius exierit conspicantur, cursim pertranseunt, quasi aliud quærant, & more muscarum relictis integris ac sinceris partibus, ibi tandem sidunt, vbi de suppuratione aliqua iam matura emanat humor purulentus & teter. & recte profecto primus nominum impositor, quisquis ille fuit, vitium

istud

istud dixit inuidiam. Videntur enim inuidi non videre, & intrē aliena bona pati dorasiam, dum in ea solum configunt oculos, quæ possint vel videantur posse taxari. & valde ægreferentes, quod non offendant vitia grauiora, notant verucula, signant næuos, damnant pilos, nil non fastidiunt. & mirum est, quod ea quæ maxime diligunt, acerrime taxant, vitia scilicet & errata, in quibus, cum ea quæ bona sunt, muti, flacci, defectiq́ viderint, oppido exultant: sed illud taxant, non vt illud taxent, verum vt per illud auctorem confodiant, & sibi laudem & nomen acquirant, in illo inuidi, in isto vani, in vtroque stolidi. At viderint ipsi quid agant, & agant vt lubet, dum modo sciant aliquando se inuitos nobis prodesse. Fimus enim longe celebriores, dum accusantium, atque excusantium linguarum conflictu, & multa contentione ventilamur. Ego quidem sum semper non virtute, sed naturæ potius benignitate sic affectus (norunt hoc qui me norunt) vt non possim non laudare quæ sunt recte dicta. Conieci tamen & ego, vt verum fatear, oculos aliquando in ea quæ vitiligatores isti cudūt, & inueni ea nihil in medio habere, & esse, vt Horatius inquit, versus inopes rerum, nugasq́ canoras, & quasi nuces sine nucleis. & castaneam a tineis corrosam, quæ, vt aiunt, in cute nitet, & intus putret. Docet recte Horatius in poematibus, quid sit venia dignum quid indignum; ait enim in poetica.

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse velimus.
Nam neque chorda sonū reddit, quem vult manus, & mens,
Poscentiq́ grauem persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcunq́ minabitur, arcus.

Verū vbi plura nitēt in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parū cauit natura. Incidi & ego, vt ingenue fatear, in aliquot errores per incuriā, quorū heic vnū libet subijcere, cui Horatius, vt ex verbis eius deprehēditur, facile ignosceret. Dū iunior olī Demosthenis vitā è Græco in Latinū per Leonardū versam perlegerem, & ad locum mor

tis eius peruenissem pro Calaurea, Calabriam scriptum reperi, & ex illo tẽpore in ea opinione semper permãsi, vt crederem Demosthenem vita functũ esse in Calabria. Et propterea postmodũ scribẽs tropæũ Mantuanũ, cum quædã Calabriæ loca percurrerẽ, dixi Demosthenẽ occidisse in Calabria quod nõ in Calabria parte Italiæ, sed in Calaurea scopulo vel insula iuxta Peloponnesum ad orientem posita vitam veneno commutauit in mortem: & de hoc sero certior factus sum ex lectione codicis Græci Strabonis cosmographi, quem tunc non legeram. Memnit etiam Calauriæ Plinius contra Troezenem agrum eam locans: Demosthenis autem non meminit. Pomponius Mela de Demosthenis morte mentionem adiungit. Tum demum cognoui impoßbile esse, vel certe admodum difficile eum qui multa scribat, vel suo vel aliorum vitio non errare, & recte dici posse, tot esse qui errent, quot qui aliquid faciat. Nam & a vulgaribus dici soles: Qui nil facit non errat. At mihi quidẽ videtur multo magis eum errare. qui nihil facit, & in otio naturæ contrario se sepelit, ac more suis grunnit in cœno. Qui agũt ergo, & qui non agunt, omnes errant. Similis alucinatio Lucano imputatur, qui in sexto Pharsaliæ dixit,

Quæ tetigit Phylace, Pteleosq́, & Dorion ira
Flebile Pieridum.

Putauit enim Dorion vrbem Achaiæ, vbi Thamyræ vati succensuere Pierides, esse in Thessalia, seductus vocis similitudine. Nam vrbem Thessaliæ, quæ dicitur Dotion, putauit Dorion appellari, & quod factũ est in Achaia, credidit accidisse in Thessalia. Vide Hermolaũ in nonũ caput quarti libri Plinij de naturali historia. Et vt verum constet esse quod vulgo dicitur, Humanum est peccare, commemorabo quædã peccata veterum auctorum, quorum comparatione nostra videri possunt venia digna. Pomponius Mela in secundo Geographiæ libro dicit, Istrum fluuinm mare Adriaticum influere: quod constat esse falsißimũ, & Ptolemæus de Padi ortu insigniter errauit. Orpheus in Ago-

nautico dixit, Thermodōtē, Phasim, & Tanaim fluere ex Araxe quod postea deprehensum fuit esse falsum: AEschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, vt refert Plinius in vltimo loco libro naturalis historiæ, dixerunt electrum nasci ad ripas Padi: quod quam verum nemo ignorat. Dixerunt insulas Electridas in mari esse Adriatico, quo nomine nullæ in eo sunt. AEschylus dixit in Iberia quæ est Hispania Eridanum esse, & Rhodanum appellari quod est falso falsius. Euripides, & Apollonius dicunt in mare Adriaticū cōfluere Rhodanū, qui fluit in Gallicū. Sophocles tragicus dicit electrum fieri vltra Indiam, & esse lacrymas auium Meleagridum, qui error est manifestarius. Eratosthenes reprehendit Homerum, quod in locis & locorum distantijs sæpius errauerit. Strabo autem in primo Geographiæ libro, licet nitatur Homerum excusare, non tamen potest eum omnino ab errore defendere: sed dicit nō esse a poetis quærendam rerum cognitionem exquisitam. Dicitur & Plinius errasse vitio librariorum, vt patere dicunt in xxvij naturalis historiæ, capite vij. vbi transtulit porrum, pro marrubio. Iulius Higinus, vt refert A. Gellius in x. Noctium suarum, dixit Virgilium circa historiam Romanam multipliciter errasse, et præsertim, cum inducit Palinurum AEneæ dicentem:

Portusq; require Velinos.

Velia enim vnde Velius dicitur, non erat eo tempore: & cōdita est a Phocensibus profugis post annum amplius sexcentesimum quam AEneas in Italiam venit. Quomodo ergo quærat portus dictos ab opido, cuius nomen eo tempore nusquam gentiū erat? Item cum dixit, Theseum liberatum ab Hercule rediisse ab inferis; & postea de eo dicit,

Sedet æternumq; sedebit,
Infelix Theseus. Item cum dixit.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas,
Ipsumq; AEacidem:

Id est, Pyrrhum: quasi ille quem ostendebat pater Anchises,

fecerit illa omnia: hoc est eruerit Argos, & Mycenas, ad Pyrrhi: quod constat esse impossibile: nam nõ eodẽ tempore, nec per eosdẽ homines cum Achæis & cum Pyrrho pugnatum est, & bellum Achaicum multis post Pyrrhum annis est confectum. Exstimabat ergo versum illum subtrahendum,

Ipsumq́ AEacidẽ, genus armipotentis Achilli.

Idem in Ecloga, Formosum pastor, cum dixisset,

Testhylis & rapido fessis messoribus æstu. Item.

At mecum raucis, tua dum vestigia lustro

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

In fine subintulit,

Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est,

Ac si duo tempora in vnum coirent, scilicet tempus messis et putationis, quæ tam longe distant: & ac si cum putantur vites, vlmi sint frondosæ, quæ non conueniunt. Marcus Manilius in quincto dicit Andromeden AEthiopicam Cephei regis filiam habuisse ceruicem niueam: sic enim ait,

— Niuea ceruice reclinis.

Ouidius autem de eadem dicit.

Andromede patriæ fusca colore sue.

Taxatur Ouidius quod quinquaginta filias Thespij vel Thespis vt dicit Diodorus, quas Hercules vna nocte grauidauit, vocet turbam Teuthrantiam: quasi fuerint filiæ Teuthrantis, qui tenuit partem Phrygiæ ad Caicum.

Item in xv. Metamorphoseos inducit Pythagoram, Mycenas, Spartam, Thebas, Athenas tũc non habere nisi nomen: quasi fuerint abolitæ & penitus exstinctæ, quod est omnino falsum & ridiculum. Idem Ouidius in libro Fastorum describens raptum Proserpinæ, lapsus est in descriptione florum hyblæorũ: nam dicit eam cum comitibus suis legisse violas, rosas, lilia alba, amaranthi & croci flores, qui nequaquam legi possunt vna die, sed nec vno mense. Violæ namque florent veris initio, rosæ

uere iam præcipiti, & paulo post rosas, lilia alba: amaranthus intrante autumno, & crocum mense Octobri. Quo modo ergo colligi possunt una die? Erat intentus florum varietati describendæ, & florendi tempora non aduertit: immo quod magis miror ipsi commentatores qui locum illum enarrant, id non aduertunt. Scientes ergo critici nostri naturæ humanæ conditionem esse, ut errare, labi, decipiq́ possit, deberent se cohibere, & minima cum Horatio transeuntes, ad magna errata seruare censuram. Sed scio respondebunt illud Ouidij.

—Neue monendo
Profecisse putes: nec tempora perde loquendo.

Meminerint tamen sibi cauendū esse, uidendūq́ quid haubētur. Non deerunt enim qui eos cribrēt, qui pinsant, & molant, & in posteritate nostra erūt, qui causam cōtra eos et meā, & aliorū tueantur. Sed ut aduerto nimis sermo noster euagatur, & urceus meus exit in amphorā. Feramus igitur nos, ô Ptolemæe, feramus æquo animo linguas eorū, & in ultionem tot iniuriarū eis parcamus, atq; indies magis ac magis uirtute nitamur. Claris operibus, unde consequamur laudem, insudemus: nam ad quanto maiorē gloriā uenisse nos uiderint, tanto ipsi, qui postquā quoad possunt maligni fuerint, longo interuallo nos sequentur, magis atque magis affligentur. Si uero contingat aliquando nos errare: nil tamen propterea est minus agendum. Sicut namque in moribus caritas operit multitudinem peccatorum: sic in scientijs pauca errata a multis bene dictis absorbentur. Philosophi uniuersi, fere omnes ecclesiæ sacri doctores, Gratianus, qui patrum decreta collegit: Petrus Lombardus, qui librum sententiarum scripsit, errarunt: In summo tamen pretio remanent, laudantur, uigent, releguntur, amantur. Concludamus ergo illo Petri apostoli dicto: Hæc est uoluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam. Hæc satis ad præsens generaliter dixisse: si quid uero ad singula obiecta dici sic necesse, relinquo tibi totam hanc prouin-

ciam: quod litterarum peritia facit vt possis, & fraterna caritas facit vt velis, Bene vale.

PTOLEMAEI HISPANIOLI, Baptistæ Mantuani fratris, contra detractores suorum operum, Apologia.

MARIVS AEQVICOLVS IOAN. IACOBO BARDELLONIO SALVTEM



PER Cymacli vndas cum domina Isabella Estensi vaganti mihi tuæ litteræ redditæ sunt: quibus inter cetera certiorem me reddis Ptolemæum Gonzagam iam vltimam manū imponere Apologiæ, quam pro germano Carmelita Baptista ter maximo contra litteratores suscepit. Laudo officium: sed miror cur in mea prouincia, quã liberis suffragijs ex nostri ordinis quasi Senatus C. sortitus sum, tantum sibi iuris vendicet. Scio hominem ingeniosissimum, lectionis plurimæ, et acris iudicij: verum qualia parat otiosorum sunt, vt nunc nos sumus, non eius qui in rebus publicis maximi momenti vt priuata omittã, sit amplissime occupatus. Ex omni Europa ad suum principem, cuius humeris libertas & salus nititur Italiæ Regñ, & Rerump. confluunt oratores. huic cũ Ptolomæus a secretis solus primus sit voluntatum & consiliorum adiutor

iutor & particeps, non sit verisimile, vt ad defendẽdũ vacet, cũ vix ad vsus vitæ necessarios otij superfit tantillum. Sinat me hoc agere: testor me relicturum aduersarijs nullum prouocationis locum, si quid in iustissima causa, & in diligẽtia fidendum est. Si potest igitur desistere, rem gratam faciet: si minus, scribamus vterq;. Te tamen rogo, vt illi persuadeas, ne paria induat arma: Nos enim de ortu linguæ Latinæ, & vt altera facta sit, vt in hanc quam vulgo loquimur veteris, vmbram paulatim defluxerit, longa oratione disputamus. Mox vt Carmelita verborum & simpliciũ, & collocatorũ summã habeat rationẽ, vt priscis ad decorẽ parcè, vt nouis verecunde ad necessitatem vtatur, vt proprijs, & vsitatis Latinis insistat semper: ostendemus, vt illorum conglutinatio dulciores numeros & suaue sapiat. Porro vt personæ ac tempori consentaneus. quod Græci, πρέπον Cicero decorum dixit, vbique miro artificio obseruet, hæc summa est. Locos præterea obiter illius præclarissimos excutimus, vt sententijs ex abdito erutis poema redundet, vt omniũ artium & disciplinarum humanæ diuinæq; philosophiæ sit refertissimum, vt succi multum, sanguinis & neruorum habeat plurimum, vt natura ipsa lætum & fecundum ingenium præseferat, vt proprijs ductibus vena indefesse scatens fluat: sic ante oculos ponemus. vt diuino interdum afflatum Numine non possit negari. Habes rem omnem, & consilium meum: cura ne mihi cum Ptolemæo amicissimo concurrendum sit. Do illi hac de re literas: sed breues admodum, tum ne ambitionis accuser, cum quia nulla res maiori pretio emitur, quam quæ precibus. Franc. Zerbinatus adolescens elegans & virilis tuus est. Iohan. Iacobum, Calandram eruditissimum AEgidiumq; meum, immo nostrum saluto. Cum ero Ferrariæ Chalcidium, & Proclum habebis, Bene vale. Cymacli quarto Idus Nouembris

CIↃ.IↃ.VIII.

PTOLEMEI HISPANIOLI CONTRA DETRAHENTES OPERIBVS FRATRIS BAPTISTAE Mantuani Carmelitæ Theologi apologia.



VM audiſſem nuper Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ fratris mei opera taxari a nonnullis, minime me Chriſto miratus ſum, & quod ſciebam omnes qui aliquid edunt, ſeu ſint ſcriptores ſeu alij opifices, huic infelicitati eſſe ſubiectos, vt habeāt ſemper ſuggillatores, ſicut & veſtes habent tineas, & ligna teredines, quibus erodantur: & quod recordabar eum quaſi ſemper aliud agentem omnia ſua cudiſſe poemata, atque ea, cum ſit minime gloriæ cupidus, atque deriſor auræ popularis, quaſi quid oneroſum ac permoleſtum, &, vt ipſe ſolitus eſt dicere, meliorum meditationum impedimentum, præ ieciſſe a ſe, & tamquam vita indigna expoſuiſſe magis quam edidiſſe. Exiſtimabam enim eſſe ſatis veriſimile in multis eum peccaſſe, qui Horatiani præcepti neglector, neque in decimum annum ſua ſeruaſſet, vt Iſocrates ſuum Panægyricum: neque in nonum, vt Cinna ſuam Smyrnam: neque limæ laborem & moram pertuliſſet, ſed potius omnia feciſſet quaſi ex tempore, ſubitario quodam furore, tamquam ſiluas. Et hac adductus ratione iudicabam fore ſatius diſsimulando pertranſiſſe hos rumuſculos, quaſi indelebiles, vel ſponte ſua aliquando quieturos: ſicut medici ſolēt quaſdam leues corporum moleſtias naturæ curandas relinquere, quaſdam etiam periculoſas reſpuere, ne fruſtra laborando malorum medicorum nomen incurrant. At pietate fraterna me indies magis ſolicitante, cum more Apellis, quaſi poſt tabulam latitans haberem aures ſemper intentas ad ea quæ in

eum crimina ingerebantur, manifeste deprehendi ægritudinem hanc sonticam non esse: Immo & sola dieta curabilem, & quædam ex his quæ obijciuntur esse impressorum errores: quædam esse meras calumnias: quædam vero poeticas licentias, & ab alys poetis etiam laudatissimis in vsum missas, & passim ab antiquis vsurpatas: quædam & ea paucissima noue dicta, & contra consuetudinem antiquorum, quæ nauci sint pendenda. Quis est enim qui loquendo vel scribendo multum vel parum ab ætate præcedenti non discedat? Suscepi ergo curam, vt fratem decuit, diluendi has labeculas, & quidem confidenter, videns eas smigmate non multo indigere, & medico peritiore opus non esse. Præmitto ergo illud Horatij summi in Arte poetica præceptoris antipharmacum salutare.

Verum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis.

Sint ergo aliquæ maculæ: sint aliquot næui, sint nonnullæ verruculæ in tanta corporis mole poetici. Quid tum postea? O critice, quisquis es, visne propterea dare in interitum? Noli sic desipere, sic ineptiri: noli huic iudicio submittere auctores tot clarorum operum. Si enim & in antiquos velimus esse censores tam austeri, vt non admittamus nisi omnino sanctos, nisi penitus immaculatos: explodentur fortasse ad vnum omnes. Considera illud Horatij in primo libro Sermonum, sermone decimo.

—Age, quæso,
Tu nihil in magno doctus deprendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucillius Acci?

Qui versus cum interrogatione et ironia pronunciandi sunt, & ex cõtrario intelligendi, quasi dicat in omnibus poetis aliquid emẽdandum inueniri a doctis. Audi quid dicat Quinctilianus in decimo libro capite de imitatione, vt cognoscas omnes antiquos posse aliqua ex parte taxari: ait enim sic. In magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos etiam

etiam mutuo reprehensa.sic ille. Didimus grammaticus Alexandrinus scripsit contra Ciceronem. item Gallus Asinius,et Lartius Licinius. Contra Theophrastum dicitur scripsisse meretrix quædā, & ei magnum, vt aiunt, intulisse negotium. Recordare Pollionem deprehendisse in Liuio tanto auctore Patauinitatē,hoc est aliqua verba Patauina. Et ab eodem reprehendi etiam Sallustium qui in Romana historia tenet principatum,quod in primo historiarum libro eos,qui transitum maris fecerant, dicit transgressos, quos transfretasse dici solitum est: nam transgressus a pedum gressu appellatur. Satis ergo tibi factum putes,si plura,vt inquit Horatius,nitent in carmine,nec vsque adeo paucis maculis offendare, vt immodeste ac importune te ingerens et sacrosanctos vates commaculare non parcens,ex doctorum hominum cœtu non iniuria forsitan explodare. vtque id benignus facias, subiungo heic quæ de summis virorum ingenijs eodem lib. capite primo dicit Quinctilianus. Neque id statim legenti persuasum sit omnia quæ omnes auctores dixerunt vtique esse perfecta: nam & labant aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati:non semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interdum non solum Demosthenis oratio,verum etiam Homerus ipse videatur. sic Quinctilianus. Sed venio iam ad singula,sequens ordinem,non quidem librorum sed magis memoriæ,vt id prius ponatur, quod reminiscendo prius occurrerit.

Incipio igitur a rancore qui solet esse causa horum tumultuū. Aiunt poetam ea voce scilicet rancore vii, quæ apud auctores idoneos non legatur:manifesta hæc calumnia. Ego enim rancorem legisse me memini apud Palladium in libro de rebus rusticis, vbi sic inquit.Receptacula olei semper sint munda ne nouos sapores veteri rancore corrumpāt, vbi videtur velle rancorem esse putorem quendam,et idem fere quod rancidum,a ranceo verbo. Transfertur hoc vitium ad animum, cum significare volumus malum affectum,& præsertim liuorem, ac simultatem, quæ iudicium

dicium deprauant, & faciunt homines in damnum aliorum ire præcipites.

Aiunt item eum hoc vocabulo reserare, male vsum, cum dixit in Alphonso,

Insontes animas reseraret ab Orco.

Non enim animæ, vt aiũt, sed hostia seris clausa, reserantur. Manifesta & hæc calumnia, et hominis indisciplinati certum argumentum, quod non nouerit proprietatem vocabulorum a poetis obseruari non oportere, vt infra ostendetur: nec Virgilium legerit in ij. AEneidos dixisse homines laxari, cum proprie homines non laxentur, sed loca & claustra: ait enim sic.

Inclusos vtero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon. & in sexto dixit,

Aperit ramum, qui veste latebat.

Audiui etiam spectari limis, &, vt inquit Appuleius, morsicantibus oculis a quibusdam, quod nisi male memini in prima est Parthenice, cũ Olympiacũ ponit pro cælesti. Volũt enĩ ab Olympo, qui ponitur pro cælo fieri Olympiũ et Olympicũ: ab Olympia vero vrbe Olympiacum. Huic obiectioni paucis respondeo, sumi etiam Olympiacum pro cælesti: quod vnico exemplo declarabo. In vndecimo libro Appuleij de Asino aureo legitur Appuleium ipsum cũ secundo Romæ initiatus fuit Osiridi, chalmydã, sic enim ipse dicit accepisse, quam Olympiacam sacrati appellabant. Exponens autem noster Philippus Beroaldus locum illum dicit Olympiacam, id est cælestem & diuinam, ac Dijs Olympijs dicatam. sic quoque nos exponimus dictum a poeta nostro Christum esse stirpem Olympiacã, nõ ab Olympia vrbe, sed à Deo Olympio, id est cælesti, Dicebatur etiam ab antiquis Iupiter Olympius. Et Dij Olympij vocabantur, qui in Gigantomachia Ioui Olympio suppetias tulerant. Deus autem noster, qui secundum nominis etymologiam verus est Iupiter, potest recte dici Olympius, hoc est cælestis. & ab ipso Deo Olympio Christus naturalis Dei filius Olympiaca stirps potest appellari.

Vel uni

Volunt item eum male armos ponere, pro humeris hominum: aiunt namque armos non hominum dici ab idoneis, sed belluarum. Manifesta hæc calumnia, & non sine eorum rubore refellenda, Pompeius enim dicit arma vocari, quæ armis dependent, & non ea quibus eminus pugnamus, quæ tela appellamus. Lex Laurentum erat, ne pomum ex alieno legatur in armum, id est quod humeri onus sit. Antiquitus quoque virgo sacrificans, quod laciniam togæ in humerum reijceret, armata ducebatur, quod videlicet laciniam in armo haberet. Item armillæ dicebantur ornamenta quædã militaria, quæ militi à duce donabãtur, quod in armis, hoc est brachijs gererentur. Nam antiqui humeros cum brachijs armos vocabant. Est & armillum vas vinarium dictum, quod armo portaretur. In his omnibus constat de hominis armo semper intelligi. Qui tamen defendere vellet armos dici proprie brutorum, habet auctorem satis idoneum Ouidium scilicet in decimo Metamorphoseon in fabula Atalantæ & Hippomanis. sic enim dicit.

—Digiti curuantur in vngues:
Ex humeris armi fiunt.

Et hoc etiam concesso nil tamen minus poeta saluatur, quod istæ vocabulorum proprietates confunduntur ab auctoribus, & præsertim a poetis: quibus ex priuilegio conceditur non libertas solum, sed etiam licentia. Nam cum auriculæ sint brutorum, vt quidam volunt: tamen Lucretius dicit in quarto.

Et genus humanum est auidum nimis auricularum.

Idem pro elephantiasi dicit elephantem, & pro centaurea herba dicit centaurum, & centaureum.

In primo libro tropæi Mantuani damnat quod primam Isauri syllabam ponat productam, quam solent alij quidam breuiare. Manifesta & hæc calumnia, et nescio quid indisciplinatũ præ se ferens. Volunt enim eum licentia priuare, quæ ab omnibus poetis vsurpatur: licentia inquam, quæ passim nominibus proprijs est concessa. Subijcio ergo verba Seruij in locum illum primi Ænei-

Huic coniux Sichæus erat. Cũ nomina a versibus abhorrẽtia inuenit poeta, aut ea mutat, aut aliquid inde mutilat. Et paulo infra Sichæus primã natura corripit: sed heic ectasim facit licẽtia, q̃ in proprijs est nominibus, in quibus licet in quãuis parte mutare syllabæ naturam. Idem euenit in appellatiuis, si a proprijs sunt, vt,

Sicanio prætenta sinu.

Sic Seruius. Et idem Virgilius paulo mox posuit eandem syllabam breuem subinferens.

Quos inter medius venit furor. ille Sichæum.

Addo quod in decimum AEneidos dicit Seruius: ait enim sic. Cydon si nomen est appellatiuum, corripit Cy: si proprium producit. Sed tamen Statius in proprio corripuit, vtens licentia, quæ in proprijs est nominibus.

Hæc regi promissa Cydon, hæc Lampe dabamus.

Reprehenditur etiam quod spirituale dixerit, pro incorporeo: sed ea vox iam diu est in vsu in scriptoribus ecclesiasticis, hisq́ approbatissimis, qualis Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, perquam familiaris, & recte per analogiam inflexa a spiritu, sicut a manu manuale, quod enchiridion dicitur Græce, & a ritu rituale, Vnde libri quidam Etruscorũ dicebantur ab antiquis rituales, quod in eis contineretur quo ritu vrbes condantur: aræ, ædesq́ sacrentur: curiæ, tribus, & centuriæ distribuantur. Fateor dictionem hanc in Tibullo, Catullo, & Propertio non inueniri: sed non est in arbitrio istorum, vt critici putant termino statuere linguæ Latinæ, quæ magis indies propagatur & crescit, etiam his inuitis, qui vellent etiam claudere intra vnius ætatis angustias, contra iudicium ipsorum antiquorum, qui linguã Latinam curauerunt non certis coartare limitibus, sed indies magis ac magis proferre. Vnde Lucretius in primo:

Multa nouis verbis præsertim cum sit agendum.
Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem.

Et

Et Quinctilianus in primo libro capite de tribus virtutibus in elocutione de nouis verbis sic inquit. Noua non sine quodam periculo fingimus:nam si recepta sunt,modicam laudē afferunt oratori,repudiata etiam in iocos exeunt:audendum tamen:nam vt Cicero ait: Etiam quæ primo dura visa sunt, vsu molliuntur. sic Quinctilianus. Facit ad hæc quod dicit Varro de lingua Latina scilicet Lælium doctißimum illo æuo, & alios senes euitasse dictionem,nouißimus,quod nimium nouum esset verbum : & tamen Cicero vsus est ea in oratore dicēs: Quæ duo sunt ad iudicādū nouißima. Et in epistola ad Octauium:Nam vt ordiar ab initio,et perducam ad extremum, & nouißima conferam primis. Cicero abstinuit verbo,iniungo,quod ponitur pro aliquid agendum mādo. Vsus est eo Papinius præfatione primi libri Siluarum, & post eum alij,& modo receptum est paißim ab omnibus. Carpitur etiam quod vtatur hac dictione,vidualis,cum dicere vult vel habitum vel vultum tristem ac humilem, quali solent viduæ incedere. Quid ad hoc respōdendum? Nisi vt eant ad Ludimagistros & discant ab Horatio sic nomina a nominibus deriuari. ait enim Horatius

Licuit, semperq́ licebit.

Signatum presente nota producere nomen.

Nomen hoc vidua'e & si ante productū nō fuit satis est nota præsente esse signatum. Est autem nota signum, forma, character, figura, lineamentum. Talis ergo formæ seu figuræ, cum ab alijs nominibus multa deriuentur, cur hoc instar aliorū formatū reprehensione dignū reputatur? Nōne à pluuia pluuialis, à Borea Borealis, à bruma brumalis, à vita vitalis deriuatur? ducūt etiā à mulctra mulctrale, à Flora floralia, à parapherna paraphernalia & mille alia similiter ab alijs producūtur, quæ apud approbatißimos auctores sunt in vsu. Non prætereo quod memoriæ modo occurrit legisse me apud Solinum, vesperalis : nam de Macedonia loquens dicit, A vesperali plaga Dardani sunt, & Illyrij.

Apud

Apud Lucretium legitur principiale in secundo.

Haud sine principiali aliquo leuore creata est.

Et in quinto,

Principiale aliquod tempus, cladem futuram.

Et in primo libro ab eodem ponitur perniciale. & in quinto dicit.

Scenalem speciem patrum, matrumq́, Deorumq́.

Formantur quotidie secundum, vt prædictum est, analogiā hoc est ad similitudinem aliorum nouæ voces pro arbitrio & voluntate scribentium. Legi apud Sidonium, cordicitus, sicut radicitus: & apud Boethium mensurnus per analogiam deductum à mēse: sicut diurnus à die, et nocturnus à nocte, quod vt exist imo, isti vel riderent, vel exhorrerent præ ingenti sua inscitiæ obscuritate.

Cum audisset sibi vitio dari, quod neutro genere polenta dixisset, paulum subrisit, & vt est facetus in me conuersus ait. Hui me miserum, Ptolemæe, vocor in iudicium de polenta, quod non edi: & continuo attulit versus illos ex quincto libro Metamorphoseos Nasonis.

Prodit anus, diuamq́ videt, lymphamq́ roganti
Dulce dedit, testa quod coxerat ante polenta.

Et paulo infra.

Offensa est, neque adhuc epota parte, loquentem.
Cum liquido mixta perfudit Diua polenta.

In primis duobus versibus iungit dulce cum polenta: in alijs duobus dicit cum liquido polenta: quo essent & critici nostri iure perfundendi, & in stelliones deformesq́ bestiolas conuertendi. Philippus Beroaldus in sextum librum Appuleij de aureo Asino loquens de polenta dicit. Apud Ouidium neutraliter enuntiatur illo versu:

Dulce dedit, testa quod coxerat ante polenta.

Phocas grammaticus dicit neutro genere duo lecta apud Sallustium nomina fluminum in a terminata, vt hoc Mulucha, & hoc

hoc Turia, qui amnis est citerioris Hispaniæ, quod addidi, ne tibi nouum videatur nomina primæ inflexionis interminata posse esse neutra: est etiam pascha: & quod omnis generis est aduena.

Taxatur etiam quod primam in Methone corripiat, quam Homerus longat, & per η litteram, semper apud Græcos longá scribat. Respondetur id quidem verum esse, et in hoc a Stephano notari Homerum, quod scilicet eam dictionem per η scribat, cum omnes Græci auctores scribant per e micrón: vide Strabonem & Ptolemæum: quo fit vt poeta noster non errarit: sed magis legitime vsus fuit ea syllaba quam Homerus, quamquam & alibi ad imitationem Homeri ex industria longam posuerit, volens ostendere, vt ipse dicebat, Homeri auctoritatē pro lege habedā.

Reprehenditur etiam quod fecerit passiuum a regno, & dixerit quodam in loco, credo loquens de Hispania, & regnatur ad huc. Nam Seruius in tertium ÆNeidos exponens illud Virgilij

acri quondam regnata Lycurgo,

Dixit regnata participium sine verbi origine. Huic respondetur, quidquid dixerit Seruius, poetam non dixisse hoc sine idoneo auctore: Corn. Tacitus in xvij. Neque enim heic, vt in ceteris gentibus, quæ regnantur certa dominorum domus. Sic ille:

Quodam loco in Siluis dixit.

Feminàque antiquas vna triumphat opes.

Contra hoc dicunt Latine dici triumpho de opibus, non triũpho opes, nec opes triũphantur. Cōtra hos est locus in libro septimo capite xxiiij. Diuinarum institutionum Lactantij, vbi sic ait. Gentes vero non exstinguentur omnino, sed quædam relinquentur in victoriam Dei, vt triumphentur a iustis, ac subiugentur perpetuæ seruituti. Si igitur dicere possumus passiuè, quod impij triumphantur a iustis, vt dixit Lactantius, cur non dicemus etiam actiuè, quod iusti triumphent impios? Quod si Lactantius non videtur criticis auctor idoneus: non recusat poeta damnari cum eo. Non ignorandum etiam quod θριαμβεύω apud Græcos iungitur accusatiuo, & significat publicare: & θρίαμβος dicitur

demon-

demonstratio victoriæ vel pompæ

Venio ad vnum, quod posset non quidem redargui, sed triuiales grammatistas tenere suspensos. Secundam in dictione Lycaonius syllabam ponit breuem in quarto libro Tropæi Mantuani. & quamquam α sit littera dichrona, semper tamen a Græcis in ea dictione prolongatur, vt etiam in dictione Laos: vt Phocylides λαὸς καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ.

Item in dictione Amphiaraus. Id cum ab eo quærerē cur factū esset? Dic sodes inquit ô Ptolemæe, Homo qui ex Græcia Romam domicilium transferat: nonne legibus Romanis viuere debebit? Respondi sic videri: sed aliud iudicium esse de hominibus, aliud de vocabulis. Tunc ille, sic nimirum, ait, dictionem a Græcis ad nos translatam oportebit regulam pati Latinam, quæ est vocalem ante vocalem breuiari, quod ne mireris lege Quinctilianum in primo libro, capite de tribus virtutibus in elocutione: vbi dicit grammaticum vetustatis amatorem velle peregrina declinari more nostro, & dici Castorem, & Hectorem, & similia media syllaba producta, quia hæc nostris nominibus accedunt; quæ in easdem, quas Castor & Hector, litteras exeunt: vt sunt amor amoris, & lector lectoris.

Ea de causa dicimus Polemo, Telamo, & Plato, abiecta n litterea finali, quā habēt apud Græcos. Eadem ratione Cicero dixit Hermagora, abiecta s finali, & plerią dixerūt AEnea in recto: nā si talia nomina retinerent s, quā apud Græcos habent, viderentur declinanda sicut Mæcenas, Suffenas, Aspernas, Rauennas. sic Quinctilianus. Priscianus quoque in libello de duodecim carminibus, dicit antiquos huiusmodi nomina sine s scripsisse.

Vides vt exstimarint idem iudicium esse de hominibus, atque de vocabulis?

Si ergo secundum Latinos sequens vocalis breuiare potest diphthongum præcedentem quæ natura est longa, vt, sudibusą præustis: cur nō breuiare poterit dichronam vocalē, qualis est α

apud Græcos, cùm ad nos est translata. Seruius in illud Virgilij,

Eoasq́; acies, & nigri Memnonis arma.

Dicit in Eous primam syllabam natura esse longam: sicut est & in Lycaonius secunda: sed eam aliquando breuiari, quod sequatur eam vocalis: vt —primo surgebat Eoo: cur in Lycaonius idem non fiat? & hoc potest iure satisfacere dubitãti. Sic poeta. Subiecit etiam quæ sequuntur, ô Ptolemeæ, monuit me vt sic facerem Marcus Manilius in Astronomia, qui ponẽs in principio versus heroici Phaethontem videtur fecisse ex a & e litteris Græcis Latinam diphthongum, cogens eas in vnam syllabam, quæ apud Græcos sunt diuisæ, vt & apud Horatium in Odis.

Teret ambustas Phaethon auaras.

Sapphicus est versus. Et cur, oro te, hoc egit nisi vt illa dictio intelligeret se non esse amplius in Græcia, et debere vti lege Latina. Marci Manilij versus hic est.

Phaethontem patrio curru per signa volantem.

Affert Quinctilianus aliud tale exemplum ex Varrone.

Cum te flagranti deiectum fulmine Phaethon.

Tali licenta vtuntur & Græci, & vocatur apud eos synecphonesis: quando duæ syllabæ, inter quas nulla sit consonans intermedia, pro vna sumuntur: quod quatuor modis fit: nam vel duas longas in vnam longam, vel breuem & longam in vnam longam vertunt: vel duas breues in vnam breuem, vel duas breues in vnam longam, vt in dictione Phaethon, de qua supra dixi. Reperiuntur in poetis Græcis exempla quã plurima, quæ citare modo non curamus. Rei huius ignorantes derident Fortunatum poetam Christianum, quod fecerit Achaia dictionẽ trisyllabam, iungendo, i cum a vltimo. eius enim est versus ille.

Nobilis Andream misit Achaia suum.

Simile quid putauit Diomedes, & Priscianus de constructione fecisse Virgilium in versu illo.

Fixerit

Fixerit æripedem ceruam.

Dixit namque poetam posuisse æripedem pro aeri pedem, quasi quæ aerios, hoc est leuißimos haberet pedes, & ex duabus syllabis vnam fecisse instar diphthongorum. Idem sentit Probus grammaticus ad Cælestinum, vbi de eodem versu loquens ait: Tetrasyllabum ex pentasyllabo fecit. Idem & Sidonius in Epithalamio Polemij in dictione aerem: nam ex trisyllabo fecit disyllabum, contrahendo in vnam syllabam a & e. ait enim.

Hinc aerem, pariterq́ Deos hinc extimat ortos.

Idem fecit Calpurnius in dictione ædon quæ lusciniã significat, & scribitur a Græcis per α, η, diuisas syllabas: ipse vero fecit ex duabus vnam, ac si sit dipthongus. ait enim,

Vocalem superat si turpior ædona bubo.

Debuit potius dicere, Si turpis ædona bubo, conuertendo η, in e longam. Idem fecit ipse quoque Horatius in illo versu,

O mi Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non.

Vbi ex a & e, in dictione Laertiade fecit vnam syllabam: si legendum est, vt docet Georgius Valla: qui vero Horatiũ nuper impresserunt, subtraxerunt mi, vt scopulum euitarent. Sunt enim quidam pueriliter sapientes, qui dum metuunt poetis a prauitate syllabarum, suo sensu libros corrigunt, & peruertunt puritatem lectionis antiquæ. Sic factum est in illo versu Virgilij:

— liquidoq́ potest electro, vbi posuit amphibrachum pro dactylo, sicut & in pluribus alijs locis: vt

Hic vir, hic est. &

Insulæ Ionio in magno.

Semidocti autem quidam emendare volentes corruperunt. Quoddam est erratum in quinto Tropæi, vbi vitio impressorum, inopia, pro inertia est impressum. Simile aliud in Parthenice prima, corrupta dictione. legitur enim Neiphileus pro Nepheleius. & in vna Siluarum ad Ioannem Argenteum, vbi vitio impressorum legitur,

Et qualis riguo lilia prima solo, pro.

Qualia sunt riguo lilia prima solo.

Et in principio agonis Diuæ Agathæ legitur. langore semestri, pro langore trimestri. In Dionysio libro primo legitur.

Quos antiquus Achab, pro
Quos Rechab antiquus.

Et in agone Diuæ Margaritæ paulum procul a principio est error, qui errare fecit commentatorem, legitur enim, Hæc est quæ negat aradeos, cum legi debeat non ara, sed aera ab æs æris. & ponitur materia pro materiato, puta æra pro statuis Deorum æreis.

Sunt qui nodum in scirpo quærentes dicant eum hac voce, semel, quæ modo non pluries, modo cito, modo non diutissime significat, posuisse pro eo, quod est aliquando. solent namque vulgares, & qui indocte corrupteq; loquuntur dicere semel accidisse, cum aliquando accidisse dicere volunt. Primum respondeo rem nequaquam sic se habere vt inuulgant, & debere eos pœnitere calumniæ, & notæ quam perperam inurunt famæ alienæ. nam non pro eo quod est aliquando: sed pro eo quod est non pluries, semel heic ponitur. Legant diligenter, & æquo animo excutiant, & sic vt est dictum indicabunt. versus hic est in Bucolicis.

Nocte semel media subeuntem limina furtim.

In quo vult innuere id non aliquando simpliciter, sed semel, hoc est, non pluries accidisse. Ast hi vulgariter loqui omnino consueti magis ad consuetudinē vulgi, quam ad poetæ sensum respexerunt. Sed fingamus eos verum dicere, & semel pro aliquando illic poni; si recte intelligerent, id non coarguerent. Locus enim & tempus multa excusant, quæ alias essent digna redargui. Locus ergo ille potuit illis, immo & debuit plene satisfacere: id enim est in Bucolicis dictum, vbi ridentur mores rusticorum, & Minerua pastoralis pͥsentatur, ibi etiā rusticus quidā crates quo grates, g in c versa fabulatur, & ad imitandum pro ridiculo vilicos, Pollux ꝑ Paulus, Harculus, ꝑ Hercules, Oenophilus ꝑ Onophrius

phrius, coitus pro coitio, hora nona pro meridie, et huiusmodi alia de industria ponuntur, non casu vel inscitia, vt fortasse isti criminantur. Sed quia scio criticos rationibus his non assensuros, sed præ maledicendi libidine potius hanc poetæ industriam damnaturos: moneo lectores hanc inuentionem nouam non esse: sed ab antiquis poetis ortũ habuisse. Nam in versum illum Maronis.

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho

Dicit Seruius ad verbum. Vel dicamus quod ipse veluti pastor ignarus dixerit illum Atheniensem, qui erat Thebanus: nam & Theocritus ad exprimendam simplicitatem, multa aliter dicit quam sint. Hac ratione potuit scilicet Virgilius dixisse Oaxem Cretæ fluuium, cum sit Mesopotamiæ. sic Seruius, Prætereo heic ex industria quod aliqui contra Seruium dicunt in Creta quoque esse Oaxem, nedum in Mesopotamia: id enim ad præsens nõ curamus, Quod vero, semel, aliquando ponatur pro cito, & pro non diuisim: occurrit exemplum quod heic subijciam. Lucius Florus in capite de bello piratico sic inquit, Ille, scilicet Pompeius dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens extinguere.

Dicunt etiam non minus absurdè sibi non sapere deriuationes quasdam nominum, quæ sparsim in eius libris peruagantur, vt est illud Tyrrhenica: item illud Iberica, & id genus alia complusculа, quasi numquam viderint alibi similia. Nonne a Troia fit Troius, Troianus, Tros, & Troicus? ab Italia Italus Italicus, Italicẽsis: à Gallia Gallus, Gallicanus, Gallicus, Gallius: à Britania Britanus, Britanicus: ab Abdera Abderites, Abderitanus, Abdericus: à Creta Cres, Cretensis, Creticus: a Sicilia Siculus, Siciliensis; Sicelis. à Græcia Græcus, Græcanicus, Græciensis: à Tuscia Tuscus, Tuscaniensis Tuscanicus: à Germania Germanus, Germanicus, Germanicanus, qui habitat in Germania, licet non sit in ea natus: sicut vrbanicanus qui habitat in vrbe: a schola scholasticus, scholicus, & scholaris

secundum nouos: ut a mola molaris, & a Nerone Neronianus, & Neroneus. Statius in primo siluarum:

Parua Neronea nec qui modo lotus in unda.

Macrobius fecit a ventre ventralis, a spina spinalis, & ab aliis alia fiunt huiusmodi infinita pueris etiam cognita, quæ longiori pudet recensere sermone. Sidonius quoque in panægyrico Maiorani, deducit a Tanai Tanaiticus, in illo versu,

Caucasus, & Scythicæ potor Tanaiticus undæ.

Idem in eodem a Pholoe format Pholoeticus versu illo.

Nubentemq́ nurum non sic Pholoetica monstra.

Cur ergo fieri non potest ab Iberia Ibericus, a Tyrrhenia Tyrrhenicus? Et certe quibus hæc non sapiunt, videntur non sanum habere palatum. Stephano teste a Psophis, quod est nomen urbis, rite & secundum analogiam fieri debuit Psophites, vel Psophita: tamen Valerius Maximus dixit Aglaum non Psophitam, sed Psophidium: sicut ab Arcadia Arcadius: ab Aulide Aulidius, ab insula Thyniade Thiniadius. Sed quid opus verbis tam multis? Ipse Priscianus in translatione Dionysii ponit Ibericus: inquit enim sic,

Est primus vastis qui Pontus Ibericus undis.

Pro quatuor his obiectis, quæ eisdem rationibus videtur posse impugnari ac defendi, subiicio unum quod ora eorum, si frontem haberent, posset obstruere. Seruius in illud noni Æneidos,

— quam nec duo taurea terga,

dicit taurea usurpauit, pro taurina. alibi, taurinis follibus. unde sicut & Plinius dicit, deriuationes firmas non habent regulas: sed exeunt prout auctoribus placet. sic Seruius ad verbum. Quod si legissent critici nostri, tam inaniter non blaterarent.

Perperam eum accusant, quod in accusatiuo casu numeri pluralis dicat modo omnis, modo omnes, cum omnis dici semper oporteat. Gaudeo plane quod eis ab Aulo Gellio pro me respondeatur. Is in libro decimonono capite decimo tertio Noctium Atticarum dicit, antiquos curasse magis euphoniam, quam grammatic

maticorum regulas, & adducit Virgilium, qui eodem casu, modo vrbis, modo vrbes dicat, vt esse dicendum solo aurts iudicio existimabat.

Cherusci populi sunt Germaniæ, & ea dictio scribitur à Strabone cum diphthongo in prima syllaba. Damnatur ergo poeta noster quod eam breuem posuerit alloquens Imperatorem de gentibus Germaniæ. Sed sciant critici poetam non sine magnis auctoribus sic dixisse: eam namque syllabam breuiant, & Lucanus & Claudianus

Albim liquere Cherusci. Item:

Quæque domant Cattos immansuetosq́; Cheruscos

Non debent ergo critici imperiti persuadere sibi similibus imperitis id à poeta factum sine exemplo.

Venio ad id quod est Achilles criticorum, putabant se poetam in manifesto & inexcusabili errore deprehendisse, quod in Tropæo Mantuano dixerit, ante diem, pro eo quod, vt ipsi volunt, Latine dicitur ante lucē, vel sub lucem, vt in Virgilio,

Sub lucem exportant calathis,

& existimabant hanc maculam nullo vmquam smigmate dilui posse, & hoc esse telum Cephali ineuitabile, & iam certi de victoria cogitare cœperant de triumpho. Ego vt resciui, poetam conueni, remq́; indicaui. Ille autem continuo vt est comis & vrbanus. Vide inquit homines turdis persimiles qui viscum quo capiantur, passim excernant, & missa manu ad codicem Horatianum paucis philyris euolutis inuenit epistolam ad Lolium, vbi sic legitur,

Si nolis sanus, cures hydropicus. & ni
Posces ante diem librum cum lumine, & reliqua.

Habent ergo inquit locum ex auctore non triuiali, sed ex ipso Horatio Latinitatis patrono atq́; parēte: qui sola sua auctoritate po est totū istorū exercitū profligare: eāt nunc & triūphēt, & de illata calūnia glorientur: subiunxitq́; carmen illud Maronianū,

I nunc, & verbis virtutem illude superbis.

Hoc idem ex illo Virgiliano versu colligitur,

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.

Et in Genesi legitur, Appellauitq́ lucem diẽ & tenebras noctẽ. Accidit profecto his criticis, quod olim & Persis recitat Pausanias accidisse. Scribit enim Persas gloriabundos, quasi iam Græciam vicissent, lapidem Parium secum tulisse, vnde tropæum fieret pro victoria: lapidem hunc post eorum fugam Phidias in Nemeseos statuam formatum Rhamnunte collocauit, gratias hoc pacto Deæ referens, quæ iusta indignatione percusserat homines elatos & contumeliosos. meminit rei huius Ausonius illo epigrammate.

Me lapidem quondam Persæ aduexere, tropæum
Vt fierem bello, nunc ego sum Nemesis.
At sicut Græcis victoribus adsto tropæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

Causam vero quod pleriq́ antiquorum potius ante lucem dicerent, quam ante diem tamquam corollarium quoddam heic subiungo. Dierum inchoatio non vna fuit apud antiquos. Apud Romanos, a media nocte incipiebat, sicut modo apud nos quoad religiosam abstinentiam ciborum quorundam. Apud Athenienses ab occasu tendebat ad occasum: sicut & apud Hebræos, quibus præcepit Moses a vespera vsque ad vesperam sabbatha celebrare. Apud Babylonios a Solis ortu vsque ad Solis ortum. Apud astronomos hodie quoque tendit a meridie in meridiem. Ergo si Athenis, vbi ab occasu dies incipiebat, quis dixisset ante diem, poterat intelligi ante occasum: apud astronomos ante meridiem: & alio modo apud alios, iuxta morem gentium & nationum. Vt ergo tolleretur hæc dubietas, dicebant pleriq́ ante lucem, cum de die artificiali loquerentur. Est enim dies artificialis tempus ab ortu vsque ad occasum: dies autem naturalis est tempus vigintiquatuor horarum. Sumitur etiam dies, pro interminato tempore, vt apud Virgilium.

Multa dies variusq́ labor mutabilis æui.

Damnant etiam eum falso crimine, quod in Dionysio dicat, ad præsens, pro eo aliter dicitur, in presens, vel in præsentiarũ, contendentes nusquam a Latinis hoc esse vsurpatum: labuntur autem in has ineptias, quod cum pauca legerint ac intellexerint, audent de omnibus, tamquam qui omnia sciant iudicare. Cornelius Tacitus historicus eloquentissimus vtitur frequenter eo modo loquendi: sed gratia breuitatis vnum locum citasse sufficiat, in xvij. libro sic inquit, Compositi ad præsens, qui coerceri non poterant. Eiusdem rei aliud exemplum profero ex Plinio: nam in libro octauo de naturali historia, capite xxij. ait sic, Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens.

Poeta Valentiam vrbem Hispaniæ florentissimam vocat geniosam: volens per geniosam significari omni vbere gleba refertam, ponens causam pro effectu, cognitam tamen ab effectu: vt si videas terram herbosam, dicas eam esse vliginosam. Hoc isti vocabulum, geniosam scilicet accusant & conspuunt, dicentes esse insolens, & apud idoneos non inueniri. Sed vt paucis expediamus, fatemur istud noue dictum, vt pleraq. alia sunt in poetis & in oratoribus. Refert A. Gellius Sisennam solitum dicere in Senatu assentio, cum alij dicerẽt, assentior, & multos eum sequutos. Item dicebat velitatim, saltuatim, cum dicere vellet properanter & cursim: noue ergo dictum sit. Dici certe non potest inconcinne fictum, aut sine ratione excogitatum: Vocamus ingeniosum qui ingenio sit magno ac excellenti. cur ergo vocare non possumus locum geniosum, hoc est Genijs multis, vel vno excellenti gubernatum, quem herbis, arboribusq. consitum, & omni bona fruge plenum vide rimus? Sed vt hoc magis constare faciamus, commemorandum est antiquos putauisse Genios esse Deos, qui rerũ procreandarum vim haberent, atq. ita videtur geniũ posse poni pro omniũ rerũ copia exuberãti, sicut ponitur Ceres, pro frumẽto, Bacchus p vino

Vulcanus,

Vulcanus, pro igne: Neptunus, pro mari: Vesta, pro terra: Iuno pro aere: Mars, pro bello: Pluto, pro inferno, In eundem sensum dixit Ouid. in Heroid. ad Leanarum,

Vos modo venãdo, modo rus Geniale colendo: vbi accipit Geniale, pro frugifero. Simili deriuatione & non minus audacter dixit Horatius a belluarum multitudine belluosum Oceanum: cur non licet ergo dicere locum Geniosum, vbi multi sunt genij, sicut ipse dicit mare belluosum, vbi multæ sunt belluæ? si hoc eis non placet quia nouum est & insolens, diu, si possunt, viuant, & vsitatum videbunt. Inter alia multa hoc quoque Nonio teste nouè dictum est a Lucretio,

Quam sit paruu'a pars, & quam multesima constet.

Ibi enim ponitur multesima, pro minima, vel, vt alijs placet pro maxima. Et in secundo libro dicit. Immani maximitate, sunt & in Pacuuianis fabulis multa, quæ consilio delectandi & studio innouandi sunt inuenta, vt curuicer uicum pecus, chalmyde brachium clipeare. Lucilius etiam vocat delphinos, repandi rostrũ pecus. Sunt etiam complusculα alia nouè dicta, quibus Furius Antias dicitur delectatus, vt lapidescere, serescere, diescere, noctescere, caulescere, virescere, pro eo quod est, vires assumere, opulescere, lutescere: propter quæ a Cæsellio Vindice accusatus est, quod in his Latinam linguam dedecorarit. Libet subijcere ipsius Furij Antiatis complusculos versiculos, in quibus continẽtur quædam nouè dicta.

Sanguine diluitur tellus, caua terra lutescit.
Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ,
Increscunt animi, virescit vulnere virtus.
Vt fulica leuis volitat super æquora classis.
Spiritus Eurorum virides cum purpurat vndas.

Pacuuius quoque lapire dixit, pro durescere, seu rigescere. Iulus Capitolinus nouè dixit consecraneos milites: credo volens intelligi per consecraneos eodem sacramento militiæ obligatos. Dixit quoque nullam ciuitatem æquè militaneam. Inuenitur & suf-

Suffarraneus pro frumentario, vt quidam existimant & cõterraneus. Sidonius consectaneos vocat, qui sunt eiusdem sectæ, & superforaneum, pro superuacaneo. S. Rufus dixit, reparato de limitaneis Daciæ exercitu: & hæc omnia vocabula putat Hermolaus in castris esse orta. Cum Lucretius posuit reboare, & terrã dixit Dædalam, hoc est industriã: cum dixit itum, pro incessu: sonorem, pro sonitu: vagorem, pro vagitu: supera: pro supra: strigorem aquarum, pro concretione: potestur, pro potest: retinentiam, pro memoria: item variantiam, pellaciam, & multa alia noua vel rara, non fuit proscriptus a Latinis. Catullus loquens de columbis fœminã columbam vocat mulierem. Virgilius caprum vocat virum,

Vir gregis ipse caper.

Horatius dicit capras

Olentis vxores mariti:

Quæ omnia de solo humano genere propriè dicuntur. Cũ Accius noue dixit Mulciberum pro Volcano: & Ennius triste, pro amaro. Potuit ea nouitas ad vomitum prouocare aliquem morosum, permanserunt tamen illa vocabula, & apud Virgilium nostrum vsu tot sæculorum sunt attrita. Forsitan & ista quæ modo sunt noua apud posteritatem fient trita. Simile quiddam obijciebat Nigidius Virgilio, quod scilicet male dixisset præpetibus pennis, cum pennæ non dicantur præpetes, sed aues. cui respondet Aulus Gellius, debuisse eum dare veniam poetis translatione & similitudine non significatione vtentibus: vbi tandem includit & pennas, & locos ipsos vbi aues præpetes consederint, per translationem præpetes dici. Sidonius ad papam Lupum scribens ponit vicinari, pro appropinquare: sic enim dicit, Consolatorie potius compellare curauimus, quia vicinaretur innocentiæ festinata correctio. Solebat dicere Politianus noster vir sane eruditus, & plurimum disertus, placere sibi admodum noua vocabula, quæ essent apte lepideq́ formata: & ex Laberio exemplũ afferebat. Is enim dixit arietes reciprocicornes, et lanicutes. Item

ex

ex Tertulliano, qui dixit bestias exungues, & excornes, Probabat etiam quæ Theodorus Gaza adinuenerat vocabula; deplumes, depiles, depedes, denares. Paucis ergo concludam, omnesque qui bene instituti & recto sunt iudicio, fauent ingenijs, & inuidia liberi aliorum inuentis non secus ac suis delectantur: at contra, qui ferunt in corde malam mentem, ac prauum ingenium, labores aliorum semper labefectant. Dicit Hermolaus se finxisse, destimum, & posuisse in Themistio, pro eo quod est simo contrarium. Et Theodorum Gazam dum traduceret libros Aristotelis de animalibus pro Arsenothelys dixisse masculofeminos, fideliter quidem, sed minime feliciter. Significant autem hæ dictiones animalia quædam quæ se ineunt: qualis est trochus inter pisces. Eadem ratione potest alius locus excusari quem accusant, vbi poeta vocat aliquando Alpes Apennini iuga per translationem, cum proprie Alpes appellentur montes, qui Galliam transalpinam & Germaniam separant ab Italia. sic ob similitudinem altitudinis cælum Olympum vocare solemus: eadem ratione mare marmor dicimus, & planieiem æquor, & maria campos. Vnde illud Virgilij

-camposque liquentes.

Nec fuit ipse primus, qui vadum hoc attentare sit ausus. Lucanus in primo libro loquens de Rubicone, sic inquit.

Tum vires præbebat hiems, atque auxerat vndas,
Tertia iam grauido pluuialis Cynthia cornu.
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.

Ecce Lucanus vocat Alpes Apennini iuga; ex quibus labi possunt resolutæ niues in Rubiconem.

Iuga autem hæc non dubium est esse inter Cæsennam, & Ariminum: quæ lōge ab Alpibus veris sunt remota, poterunt ergo poetice Alpes dici omnes alti montes, sicut Virgilius teste Seruio in tertio Georg. posuit Gargara pro omnibus montibus, & Ascanium pro omnibus fluuijs, cum dixit. -trans Gargara, transque sonantem.

Ascanium

Ascanium. superant montes & flumina tranant.

Sicut etiam omnia alia ædificia vocantur Pergama, teste Seruio in illud AEneid.

Troiæ sub mœnibus altis contigit oppetere.

Subijcio heic duo, quæ audio ab his vero signari, quod scilicet dixerit in tertio Alphonsi

-Melius post fata recepi.

Iudicium.

cum dicere vellet Alphonsum meliorem vim iudicandi post mortem accepisse. quod non multum distat ab illo Virgilij dicto,

Accipit in Teucros animum, mentémque benignam.

Et cum dixit,

Turpiter in luxus & Numina vana Deorum

Degenerat, hoc est, degenerando labitur. quale est illud Virgilij.

-ardet Alexim, id est ardenter amat. Et illud Propertij in secundo.

-feros insanit amores. id est, insaniendo amat, vel amando insanit. Et illud Maronis,

-fremit arma iuuentus, id est, fremendo cupit. Et illud Persij.

Quis expediuit psittaco suum chere.

Id est, expedite docuit proferre. Mirantur, quasi adhuc pueri inter litteratos, has loquendi figuras. hæc idiomata mirentur magis, quæ reperiuntur in antiquis: vt cum dicitur oues, capræ boues, & id genus alia. Item non est opus mihi medicus. Item ea quæ refert A. Gellius, Partim hominum venerunt pro pars hominum venit. Item: Iniuria mihi factum itur, pro iniuria mihi fit. Et illud Virgilij in quarto AEneid.

Intenditq́ locũ sertis, hoc est, intendit serta per locum, vt Seruius exponit, Si vellem heic latius euagari, & nisi harũ ineptiarũ me tæderet, possem ostendere, nihil improprie, nihil noue dictum. Sed vt me & lectorem paucis exsoluam, concedamus hæc & alia quædam & noue, & improprie esse dicta. Quid

tum

tum postea? Virgilius in AEneide dixit.

Quid puer Ascanius superat ne?

Vbi dixit Seruius, superat ne pro viuit ne? noue esse dictum & exẽplo carere, vt pauca alia in Virgilio, in ij. AEneidos: dixit ipse Virgilius improprie satis,

— & quæ sit me circum copia lustro.

Dicere namque debuit copiæ, si ratio versus pateretur. nam copiæ dicuntur de exercitu: copia vero de reliquis

Video certe ad sic dicendum nulla eum neceßitate coactum: quanti enim erat dicere, & quæ me circum sint, vel circumstent agmina lustro.

Idem dixit in octauo AEneidos.

Frenaque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas

Vbi Seruius inquit, duo debuit dicere. bina enim secundum Ciceronem non dicuntur, nisi de his quæ sunt tantum numeri pluralis: dicimus enim binas litteras, & duas epistolas: Sic Seruius. Patet autem Virgilium nulla difficultate adactum fuisse, vt sic diceret: quemadmodum enim dixit, frenaq́ bina, poterat dicere &

Duo frena meus quæ nunc habet aurea Pallas

Quo fit, vt arbitrer eum non difficultate compulsum, nec ignorantia deceptum, sed licentia delectatum.

Dicit Seruius Horatium male dixisse in versu illo, quod pulcræ clunes. & Iuuenalem bene dixisse in illo, tremulo descẽdunt clune puellæ.

Quod clunis sit masculini generis non feminini. Quæ fuit ergo ratio, vt Horatius, qui & antiquus & vere Latinus & censor est poetarum, sic errarit, nisi vel quod non erat tunc grammatica quæ nunc est, vel quod grammaticæ leges fastidiret? Id certe manifestum, vt refert Quintilianus in primo libro, poetas antiquos ob solam euphoniam, versuumq́ modulationem regulas grammaticorum contemsisse

Hinc illud.

Imo de stirpe recisum : -& aereæ, quo congessere palũbes, & silice in nuda: &.

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Lucilius solis auribus inseruiens vsus est genere feminino.

Aurea de cælo demisit funis in arua.

Videant isti tandem, quod iam diu vidisse debuerant ante temeraria ista iudicia, quid Strabo in primo Geographiæ libro de licentia poetarũ sit testatus. ait enim sic. Nõ enim poetã ad vnguem singula perdidicisse remur, nec ab eo rerum diligentiam exquirimus. Simile quid dicit Aristoteles in Ethicis de quibusdam philosophis, vocãs eos indisciplinatos, quod apodixim, id est, demonstrationem euidentemq́ probationem in omnibus quærant, cum debeant aliquando esse contenti persuasione. Sic nimirum constat & eos esse indisciplinatos, qui quærunt proprietatem à poeta, quam neque vident in oratione soluta

Damnant etiam, tanta est inuidia, vel certe inscitia criticorum, quod dixerit plebes disyllabum, pro plebs monosyllabo: & aiunt non inueniri hoc apud idoneos, cum dicat Ausonius.

Læta operum plebes festinantesq́ coloni, & alibi.

Consona quem celebrat modulato carmine plebes.

Idem accidit in alijs quoque dictionibus. dixerunt enim antiqui trabes, pro trabs.

Ennius

Labitur vncta trabes remis rostrata per altum

Et duces pro dux, teste Varrone, qui dicit in his dictionibus, trabes, & duces, e litteram de vltimis syllabis exclusam.

Vocatur poeta noster in iudicium a criticis, quod singulari numero dixerit Mycenam, & sacrosanctis scripturis manu tactis iurant non nisi plurali numero dici posse Thebas, Athenas, Mycenas, & id genus quædam alia pauca, de quibus alias plura. Nunc ostendendum hos esse periuros, &, secundum leges pro infamibus habendos, & vt inquit auctor carminis obsceni Virgilius, vel vt alij putant Ouidius, magnis testibus ista res agetur. Homerus

nono Iliados, Thebas AEgyptias dixit numero plurali: at Iuuenalis noster numero singulari Satyra quinctadecima sic inquiens.

Atque vetus Thebæ centum iacet obruta portis,

Apollonius in Argonautico lib. i, Thebas Bœotias singulari dixit numero.

Αμφίων καὶ ζῆθος ἀπύρτος δ' ἔτι θήβη.

Homerus lib. iiij. Iliados dixit Mycenā in numero singulari.

Αργος τε σπαρτη τε καὶ εὐρυ ιάγυια μυκήνη.

Seneca quoque in OEdipo inquit,

—viduas colonis

Respicis terras miseranda Thebe. Memorandum ergo est mastigophoris istis dictum illud Boethij ex prologo libri de syllogismis categoricis. sic enim illic inquit. Sed si qui ad hoc opus legendum accesserint, ab his petitum sit, ne in his, quæ numquam attigerint statim audeant iudicare, neue si quid in puerilibus disciplinis acceperint, id sacrosanctum iudicent, quandoquidem res teneris auribus accommodatas sæpe philosophiæ seuerior tractatus eliminat. sic Boethius in omni disciplinæ genere consummatus.

In principio secundi libri Plinij de naturali historia, vbi dicitur, Si vna videlicet natura omnes incumberent, grammatici plures scribi voluerunt non vna, sed vni: quod verbum incumbo secundum eos datiuum post se velit, vt si dicatur columna basi, & basis terræ incumbere. Sed tamen peritiores, quorum vnus fuit Hermolaus Barbarus, physicam rationem attendentes, grammaticorū regulis contemtis affirmant vna nō vni debere scribi: nam tali constructione verborum volunt fieri sensum, cuius grammatici vix sunt capaces: mundum scilicet non naturæ incumbere, sicut dicitur, Pellibus incubuit stratis: sed natura, hoc est vi naturæ mundum incumbere, id est stare ac consistere. Recte ergo Boethius dicit, nō debere sacrosanctum videri, quod puerilibus disciplinis sit acceptum.

Taxatur etiam poeta noster perquā iniquè, quod vtatur particula.

tinula, num in interrogationibus, quibus affirmatiue sit respõdendũ. volũt enim tali interrogationi semper respondendũ negatiue vt si dicam, Num ego Dis bellum indixi? quasi velim responderi, non: & non licere dici, Num Iupiter filius Saturni? quod tali interrogationi debet affirmatiue responderi. Sed vide quæso lector humanißime præsumtio impudens, quo sese ingerat. Ostendo tibi perquam facillime vanam esse istorum diligentiam, & licere hac particula vtroque modo vti. Lucretius in tertio.

Num merito inclamet magis, & voce increpet acri.
Aufer ab hinc lacrymas barde, & compesce querelas.

Heic certe respondendum est confirmando quod dixit: & paulo infra. Num quid ibi horribile apparet? Num triste videtur quidquam? Heic proculdubio negando debet responderi, quod probatur per id quod sequitur: Nonne omni somno securius exstat? Hoc enim cum sit affirmandum sequitur illud præcedens esse negandum. Idem confirmatur testimonio Plinij Secundi, vt alios causa breuitatis omittam. Ipse namque in Panægyrico dicto Traiano, num est vsus, & cum de eo quod est affirmandum, & cum de eo quod est negandum interrogat, sic inquiens. Num tibi semper in medio cibi, semper mensa communis? num ex conuictu nostro mutua voluptas? num prouocas reddisq́ sermones? Hæc affirmanda sunt. & paulo infra. Gaudio quoque quædam vis inest. Num ergo modum ei tua saltem modestia imposuit? hoc negandum. vult enim dicere gaudio senatorum non potuisse Cæsarem silentium imponere. Sed quid? quod etiam neutro modo positum inueni? Dicit enim Propertius in ij. lib.

Num sibi collatam doluit Venus?

vbi per interrogationem quærit causam ægrotationis Cynthiæ, cum nesciat affirmatiue ne an negatiuè sit respondẽdũ. Pontanus etiam, quem ipsi dicunt errare non posse, ponit affirmatiue. In vltimo enim tumulo sic inquit.

Num vestro est dignus honore rogus?

Poterat hoc quod sequitur præteriri tamquam hilum, immo tamquam nihilum: sed tamen vt magis patefiat criticorum nostrorum temeritas, tanto audacior quanto imperitior, breuiter attingam. Vellicant poetam quod dixerit Nuntia neutro genere & numero plurali, quod à vera Latinitate aiunt abhorrere. Sed citentur ex medio Latio contra eos duo idonei testes; & his ineptijs finem imponamus. Lucretius in quarto.

Nec calida ad sensus decurrunt nuntia rerum.

Et Catullus de Berecyntia, et Atti:

Geminas Deorum ad aures noua nuntia referens

Audio et Pontanum nostrum postquam edita sunt eius opuscula carpi a quibusdam, quibus, vt quid blaterent compertum habuero, animus est respondere: erat enim ille vir poetæ nostro sic addictus, sicut constat ex eius epistolis, vt eum loco Numinis habere videretur. Est vnum quod videtur non iniuria taxari posse, nisi licētia & antiquorum exempla prohiberent. Quædam enim sunt nomina gentilia, quibus in feminino tantum genere vsi videntur tam Græci quam Latini: vt Libyssa, Phœnissa, Cressa, Thressa, Laćæna. His poeta noster licentiose est vsus in omni genere, cum eum coegit metri necessitas, & hoc exēplo Maronis nostri. Nam neque ipse Maro ex amussim mores antiquorū obseruauit. Volunt enim approbati grammatici hanc esse legem versus Bucolici, quam accuratè obseruat Theocritus, vt quarto pede terminet partem orationis: qui pes si sit dactylus, meliorem reddit versum. debet & primo loco habere dactylum, vt in illo Virgilij.

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua.

Normam hanc in paucis obseruat Virgilius: vnde Terentianus,

Plurimus hoc pollet Siculæ telluris alumnus,

Noster rarus eo pastor Maro.

Seruius finire versum participio vitiosissimum refert apud Græcos, & propterea Latinos quoque id cauisse, et raro in vsum venisse.

venisse: Virgilius tamen id curauit

quantum

Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas. vnde in iij. AEneid.

Progredior portu classes & littora linquens. Item in vi.

Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans. Et in eodem,

Principio cælum, ac terras, campósque liquentes. Et in vij.

Cocytiq; petit sedem supra ardua linquens.

Papinius quoque in quarto Siluarum de coma Earini loquens.

Olim etiam ne prima genas lanugo nitentes. Et paulo infra.

Leniter haud vllo concussum vulnere torpens.

Et id præceptum in mille alijs locis inuenies, a poetis conculcatum. Inuenti sunt Elegi ad querimonias describendas, & antiquissimi poetæ id obseruarunt: sed posteritas id contemsit, &, vt inquit Horatius in poetica,

Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Versus senarius iambicus, vt de alijs taceam, solos iambos olim admittebat, vnde & nomen habet. Hinc Horatius inquit.

Primus ad extremum similis sibi.

Mox contemta authoritate antiquorum cœpit in fine recipere spondeũ & trocheum, & sic factus est scazon, id est claudicãs, quod videatur pedibus alienis sustentari: nunc dactylum & tribrachum locis omnibus recipit præter nouissimum. Recepit etiam locis imparibus spondeum & anapæstum. Sic omnia labente temporum curriculo sunt immutata. Non præteribo, quod, cum hæc scriberem, mihi occurrit. Aulus Gellius dicit apud idoneos auctores nunquam legi mulieres deierare per Herculem, nec viros per Castorem: tamen Appuleius, quem sequaces dicũt

auctorem non capite censum, non proletarium, sed classicũ, hoc est, primarium, siue quod talẽ diligentiã non aduerterit, siue quod contẽserit, facit mulierẽ deierare per Herculẽ: in quarto enim libro de aureo asino suo inducit mulierẽ sic dicentẽ, Bono animo esto me Hercules, Et in quincto loquitur soror Psyches, dicẽs Deã quoque illi Deus maritus efficiet, sic est me Hercules. Simile etiã legi in lib. ij. Quid ergo dicemus ad hoc, nisi illud ecclesiasticum! In multiloquio peccatum non deerit. Atilius quoq; Fortunatianus in libello de metris Horatianis dicit Horatium fecisse metrum illud,

Lidia dic per omnes

Ignorando quale esset, & in eo parũ decenter errasse, & fecisse illud asperius vno immutato pede, spondeũ pro iãbo infarciendo, & non secutum fuisse Alcæum. Hoc autem adiungo, vt constet poetarum principes disciplinam maiorum non contempsisse solum sed etiam ignorasse, & antiqua via prætermissa nouam fecisse. Fecit ergo poeta quod Alexandrum regem Macedonum fecisse olim recitat Iustinus:

Cum enim audisset in fatis esse eum dominaturum orbi terrarum, qui lora soluisset iugi Gordiani, accessit vt solueret.

At cum id non posset, cultro secuit.

Non fecit hoc poeta ignorans quid faceret, nec viarũ ambage seductus huc venit, αὐτόματος venit, Voluntariũ in moribus teste Aristotele peccatum auget, in scientijs minuit. Eadem licentia vi detur vsus & Pontanus noster: dicit enim in Acone.

Mella fauis Heliconis & anteferenda Libyßis.

quod puto criticos nostros non vidisse, qui eum prædicant irreprehensibilem. Sunt quoque qui mirentur eum in secundo Vraniæ dixisse,

Canceris imperio, atque vndæ dominantibus astris.

dicunt enim apud nullum auctorem idoneum se legisse cancer canceris significare Cancrum signum cæleste,

Imputant eidem poete quædam alia, quæ silentio malo præ-

lo præterire, quam susurro & suggillator appellari. Et quò discant critici in huiusmodi facilius indulgere poetis: subijcio heic dictum Quinctiliani libro decimo capite primo. Nam cum ex sententia Theophrasti dixisset oratori lectionem poetarum esse perutilem, subiunxit: Meminerimus tamen non per omnia poetas esse oratori sequendos.

Et paulo infra de poetis loquens prosequitur.

Quod alligati ad certã pedũ necessitatẽ non semper vti proprijs possint: sed depulsi à recta via necessariò ad eloquendi quædã diuerticula confugiant, nec mutare quædã modo verba, sed extẽdere, corripere, couertere, diuidere cogãtur. sic Quĩctilianus.

Audio etiam non probari, quod dixerit in quarto libro tropæi Mantuani, Natare Hydros in prædam ranarum, hoc est ranas palustres ire prædatum, & hoc dicunt phrasim latinam male olere. Ad quod obiectum, cum omnino sit absurdum, respondere certe nihil est opus. Aristoteles enim de Physica auditione libro primo dicit, non esse argumentationibus, quæ manifeste absurdæ sunt, respondendum. Mittendi ergo sunt ad duodecimum caput libri Auli Gellij de noctibus Atticis, vbi loquitur de verbis in vtramq; partem significatione reciprocis: quorum in auctoribus etiam antiquis magna est copia. Adducitur illic Sallustius ita dicens. Id bellum excitabat metus Pompeij. non metus quo Pompeius metuebat, sed quo metuebatur. Item Virgilius.

—& vulnere tardus Vlyssi, non quod Vlysses acceperat, sed quod dederat vulnus intelligit, cum de vtrouis possit intelligi. Pari modo dictum est à poeta hydros natare in prædã ranarum, non quod hydri præda essent ranis, sed quod ranas ipsi prædarentur. Virgilius in decimo loquens de Mimãte posuit ignarum, pro ignorato supina significatione, vt inquit Seruius. In quarto quoque, eo versu.

—liquitque volatile ferrum.

Nescius. posuit nescius, pro eo qui nescitur & pro ignorato, sensu contrario: sicut & apud Lucanum ponitur vector, pro eo

qui vehitur.

Vectoris patiens tumidum supernatat amnem.

Item teste Seruio in decimo AEneid. formidolosus, cum significet timidum, ponitur pro timendo.

Similis locus est in libro Georg. Virgilij primo, vbi dicit.

Cur tantum Oceano properent se condere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Seruius dicit hoc intelligendum de noctibus æstatis, quæ propter dierum longitudinem differunt venire.

Sunt qui putent intelligendum de Hibernis..

Nam non minus dicitur morari qui differt recedere, quam qui differt venire. Appuleius: Sic me abire oppido volentem suaui remoratur illecebra. Quinctilianus Quid me pater detines? quid moraris abeuntem? Et remora dicitur piscis, qui naues detinet abire prohibendo. Mora igitur noctibus hibernis dicitur obstare, quia tardius recedunt. Sunt etiam quidam loci qui intelliguntur per contrarium: vt ille. In Virgilio,

-tot voluere casus, id est, voluit tot casibus Et ille in quarto AEneid.

Intenditque locum sertis, id est, tendit serta per locum, vt exponit Seruius.

Est & similis locus in Bucolicis Virgilij: nam in versu illo.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem

-ambiguum est, an sit intelligendum de risu pueri, an magis de risu matris. vt expositores illo loco referunt,

Et quamuis hæc abunde possint sufficere, tamen afferam simile ex Lucano. Legitur sic in sexto Pharsaliæ,

-cernit miserabile vulgus
Se in pecudum cecidisse cibos

Potest hoc dicto intelligi, factos eos qui obsidione cingebantur pecudum cibos, & more pecudum fenum & herbas mandere coactos.

Damnant

Damnant quoque quod instrumentum id quo tympanum pulsatur dixerit plectrum, quo nomine, si quis recte iudicet, sponte confitebitur instrumento tali nullum potuisse rectius dari: dicitur namque à plecto, vel a πλήττω Græco verbo, quod est ferio: quo fit, vt omne quo quid pulsatur posit recte plectrũ appellari: quamuis consuetudo pectini cithararum illud approprięt.

Istorum ergo nugæ non essent nobis magnipendendæ, nisi pergerent ista in vulgus quotidie magis ac magis mittere: vbi dum non sunt qui excusent, immo neque qui rem intelligant, facile persuadent imperitis. Contra huiusmodi blaterones, locutuleios, & linguaces in verba proiectos dicit poeta Paulum apostolum dimicasse, & eorum offucijs coactum respondere: ne si propter eas haberetur ipse contemtibilis, prædicando veritatem minus proficeret. Dicit ergo Paulus se Gamalielis, qui fuit inter Iudæos doctor insignis fuisse discipulum & profecisse supra coetaneos, seq́, & si forte sermone, tamen non esse scientia imperitum

Vsus est in Tropæo hoc verbo remulco, quod nonnulli, cum antea nusquam illud legissent, sic exhorruerunt, vt Narnienses cocleam, quæ cornibus tensis versus vrbem prorepens, adegit eos, illum eximiæ pulchritudinis pontem, qui Narem fluuium complectebatur demoliri: & de quo Martialis in vij. libro inquit.

Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Est autem remulcare à scapha remigando grandem nauem trahere. Sisenna, Si quæ celeriter trahi poterat in altum, remulcando trahebatur.

Verum ergo est Epigramma quod allegat pro se Demosthenes in oratione contra AEschinem, scilicet omnia perficere, & in nullo falli Deorum est.

& illud Horatij

—quandoque bonus dormitat Homerus.

Quid quod natura quoque ipsa quæ tam bene, tam exacte ab ipso opifice rerum Deo est constituta, quandoque in errore est deprehensa? Nã & aliquando monstra producit: monstra enim naturæ sunt errata. Subijcio heic carmen, quod de hoc errore ipse conscripsit.

Carmina de nostro duo sunt tollenda Tropæo,
Quæ liber in primo limine quartus habet:
Dum memoro magni fatum Demosthenis, erro:
Alterius culpam culpa secuta mea est.
Scribo quod inuenio scriptum, seducta fefellit
Me mea credulitas. & male cauta fides.
Scribo quod ad Calabrum litus decessit, & illam
Non Calaber vidit, sed Calaurea necem:
Nam Calaurea sedet Pelopensia litora contra
Insula, in Ionio vel scopulus pelago.
Siue doli interpres, seu sit librarius auctor,
A simili fraus est ista suborta sono.
Cum venies illuc lector, reminiscere versus
Hos, vt Aristarchus, esse negare meos.

Pro duorum vltimorum versuũ declaratione nõscere debes lector iucundissime, Aristarchum fuisse virum Græce doctissimum qui libros Homeri, multis, vt legitur purgauit erroribus sed ea modestia semper est vsus, vt nũquam dixerit Homerum errasse At quidquid non probabat, illud Homeri esse denegabat vnde Cicero in epistolis inquit Aristarchus Homeri versum ὀβελίζει hoc est, oblitterat & necat, quem non probat.

Dictionis mulier, quæ cum videatur quibusdam breuiare pænultimam in obliquis, sicut acer aceris, cicer ciceris, ipse tamẽ aliquando longã posuit: at motus auctoritate Prisciani, & exẽplo Laurentij Vallæ, & Gregorij Tiphernatis. Versus enim hic est Laurentij Vallæ.

Picturata inerant vbi pallia opus mulierum.

& hic Gregorij Tiphernatis Strabonis interpretis in Asia:

Ducunt

Ducunt ex Alope unde ferox genus est mulierum

Item in dictione lotium quæ videtur habere primam iure productam, & tamen aliquando ipse posuerat breuem, secutus documenta Lau. Vallæ, Peroti, & Domitij, & Pyladis Brixiani: qui omnes tunc erãt viri summa auctoritate, et grammatici, vt fama ferebat, consummatißimi: ita vt eorum doctrinæ fidere, seq; committere dubitaret nemo. Hæc volui subiunxisse, vt intelligãt omnes, quibus rationibus in illã opinionẽ sit deductus: licet eam nõ videatur approbare Põpilius. Quod si quis quærat, an sit vitium sic illas syllabas posuisse, respondeo fuisse fortasse aliquando vitiosum: quando scilicet consuetudo repugnabat: nũc autem postquam consuetudo, quæ, teste Quinctiliano in primo institutionum, est certißima loquendi magistra, videtur consentire, non est vitium, quod alio exemplo sic persuadetur. Lucretius in quincto producit pænultimam in fidei: est enim illic iste versus.

Nec iacere endo manus, via qua munita fidei

Tamẽ quia neoterici breuiant, vanum fuerit eam syllabam nũc velle extendere: cui sentẽtiæ subscribit Priscianus, cũ agit de genitiuo quinctæ declinationis Dicit enim pænultimã in fidei breuiari, quia nõ præcedit i ante e in recto: sicut in dictionibus, quies, & dies, Audi sodes, audi Quinctilianum in primo institutionum sic loquentem, Inhærendum ei iudico, scilicet antiquitatis, quoad licet diu etiam mutantibus repugnandum, sed abolita atque abrogata retinere, insolentiæ est cuiusdam, & friuolæ in paruis iactantiæ, sic ille. At quoniam supra citauimus Priscianum principem grammaticorum, ne fortasse vani videamur, proferatur iam eius de muliere sententia, de accentibus capite tertio sic dicit, & omnia hæc & similia in obliquis corripiũtur excepto mulier. eris. Ecce iã habes vnde cõpescaris, atq; resipiscas et manifeste cognoscas poetã nostrum & supradictos grãmaticos Lau. Vallã, atq; Gregoriũ Tiphernatẽ, quẽ poeta noster habuit præceptorẽ nõ esse temere dehonestãdos, qui tanti auctoris, hoc est Pri

sciani

sciani summi grammatici disciplinam & documenta sunt secuti. Si tamen obstinate contendas errorem esse, & de scientiæ tuæ peruicacia non vis deijci, vide quid alijs quoque imputetur, & animaduerte forsitan longe turpius esse, quod Nicolaus Perotus in Cornucopiæ obijcit Virgilio, videlicet eum, si verum dicit, nesciuisse grammaticam. Carpit enim illos versus,

Viuite felices, quibus est fortuna peracta,

Iam sua,

vbi vult nullo pacto dici posse sua, sed oportere dici vestra. & eos versus Virgilium fuisse correcturum si vixisset. Placet heic in fauorem omnium poetarum neotericorum commemorare, quid in illud noni AEneid.

Post mortem Rutuli bello, pugnaque potiti

Dixerit Seruius. hec eius verba sunt. Sane sciendum hunc locũ esse vnum de duodecim Virgilij, siue per naturam obscuris, siue insolubilibus, siue emendandis, siue sic relictis, vt a nobis per historiæ antiquæ ignorantiam liquidè non intelligantur. hactenus Seruius. Si ergo tantus inter scribendum somnus obrepsit poetarum principi, quanta venia digni sunt iuniores, cum quibus satis præclare agitur, si sint illius probatæ antiquitatis simulacra.

Subijcio paucis, quod quidam redarguebat more canum rusticorum in Lunam latrantium. Peccatum dicit esse in Tropæo, vbi dicitur,

-canes latrate in tergum ferarum.

Et a tergo dici debere cõtendit, nõ aduertens quod qui a tergo latrat potest quouis versum respicere: qui vero in tergum latrat, contra tergum intelligitur rictum porrigere, ac minari: sed feras non audere morsu inuadere.

Simile huic est illud Virgilij in ix. Aeneid.

Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas

In tergum.

Damnari etiam videbitur, quod secundam in dictione strata-

gema

gema ſyllabam corripiat, Græci enim ſcribunt στρατήγημα per η, quæ longa eſt vocalis

Reſponderi poteſt Latinos contemſiſſe hanc obſeruationem, vt pluribus locis ſupra monſtratum eſt. Poteſt item dici η apud nos aliquando verti in a breuem, vt patet in his dictionibus αὐλή, aula: ποινὴ, pena, φυγὴ, fuga ῥώμη, Roma: στέγη, ſtega, id eſt, caſa. vnde in Geneſi triſtega. Item Αφρύκη, Aphrica: στολη, ſtola, κιστὴ, ciſta. vnde ciſta fellis apud medicos κρήτη, Creta: πομπὴ, pompa: δωδώνη, Dodona φήμη, fama: πληγὴ, plaga: vbi vtraq; η, in a breue conuertitur. Virgilius:

Et ſi quem extenta plagarum. ακτη acta pro litore. Virgilius.
-ſecretæ Troades acta.

Vtitur poeta more antiquorum metaplaſmis, tropis, ac figuris apud poetas tam Græcos quam Latinos vſitatis.

Propterea ſi quis carpat in Parthenice, quod illic dicatur, in ſcriptis redigi, & in ſcriptū vel in ſcripta dici debere contendat, quādo melior non occurrat reſponſio dicatur eſſe antiptoſis, figura poetis perquam familiaris, qua vtuntur etiam principes eorum, Dixit enim Virgilius.

-vrbem quam ſtatuo veſtra eſt.
vbi vrbem pro vrbs eſt poſitum

Item, hæret pede pes, pro pedi. & in decimo,

Forte ratis celſi coniuncta crepidine ſaxi, pro crepidini. & Tibullus.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Pro vitam inertem, vt pleriſq; placet

Et Catullus dicit de coma Berenicis-fuit omnibus expers Vnguentis.

Pro omnium vnguentorum: expers enim ſemper iungitur genitiuo. Idem ibidem.

Per medium claſſi Barbara nauit Athon.

Poſuit claſſi pro claſſe. Terentius quoque præcipuus proprietatis obſeruator ſine vlla neceſſitate teſte Donato, caſum pro caſu

poſuit

posuit, Dicit enim Donatus præstolari esse præsto esse & parere, & quod cum Terentius dixit.

Quem præstolare heic Parmeno, noue dixit quem, pro cui, per antiptosim. Idem in Adelphis.

Hei mihi non te hoc pudet? pro huius pudet.

Priscianus in vij. dicit poetas ponere sæpius ablatiuum quartæ declinationis pro datiuo. Virgilius in primo AEneid.

Parce metu Cytherea manent immota tuorum.

& in quarto Georg. Namque aliæ victu inuigilant. Item, Concubitu indulgent. Virgilius in ix. dixit præceps animi, pro animo, teste Seruio. Ibidem.- verbis virtutem illude superbis, pro virtuti dixit virtutem, teste Seruio.

& Sallustius in Catilinario: Multos a pueritia bonos consultauerat, ponit accusatiuum pro datiuo. Virgilius.

O præstās animi iuuenis, pro animo teste Seruio. Idē in octauo.

- volat hasta Tago per tempus vtrumque.

dixit Tago, pro in Tagum. teste Prisciano de constructione verborum. Et in septimo dixit,

- aliiq; ab origine reges:

vbi teste Seruio, posuit ab origine pro ab originum, gratia metri. Terentius in Andria, Ex Andro commigrauit huic viciniæ, pro in hanc viciniam. Sallustius in Catil. Præter rerum capitalium cōdemnatis, pro condemnatos, teste Prisciano in lib. de Constructione. Cicero in i. lib. Verrinarum. Vt cum illius mihi temporis venit in mentem: pro illud tempus, teste Prisciano vbi supradictum. Terentius in Adelphis. Vereor in os te laudare, pro in ore, vt inquit Priscianus de Constructione. Horatius iiij. Carmin.

Deiecit acer, plus vice simplici.

Maior Neronum. ponit Neronum, pro Neronibus. Sed facio his finem. Posset enim ex huiusmodi exemplis ingens aceruus cumulari. Non possum tamen vnum non subiicere exemplum quod hoc loco quadrat ex amussim, in quo simili modo ponitur ablatiuus

nus pro accusatiuo. Virgilius in x. AEneid.

Dum pluit in terris, vt possit sole reducto.

vbi Seruius dicit, debuit dicere in terras. tamē sciendum est hemistichium hoc Lucretij esse: quod ita vt inuenit Virgilius transtulit. sic Seruius ad verbum. Fecit poeta etiam ectasim ac sistolē in quibusdam locis. Primam enim figuli produxit & primam glareæ syllabam corripuit contra vsum. Item in primo libro, primæ Parthenices est hoc hemistichium,

-caudam Trigonis aquosæ:

In quo longat secundum in Trigonis, quæ breuis est: quia per o paruum scribitur à Græcis, vel posuit tribrachum in quincta se de more Virgilij, qui dixit, -molli fultus hiacyntho. vel vltimam n abiecit: sicut fecit Papinius in Agamemnon, & reduxit ad regulam nominum Latinorum in o exeuntium, quæ in obliquis habent o longam, vt sermo sermonis. Et huiusmodi licentias quam plurimas leges in Corollario. Virgilius quoque eandem syllabam in appellatiuis modo produxit, modo corripuit: vt in loco illo Connubio iungam stabili. & in tertio AEneid.

-Pyrrhin connubia seruas.

In eodem tertio mediam in steterunt corripuit,

Obstupui steteruntq́ comæ. & in Buc.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

In quibus locis vsus est sistole, quanquam nonnulli velint in Bucolicis legendum tulerunt, pro abstulerint. Faciunt hoc idem frequenter alij poetæ antiqui, vt familiares eorum habent compertum.

In vltimo libro Tropæi loquens de Elisabella principe Mantuanorum sic inquit,

-vires instaurare parum visa est.

vbi dicunt critici esse vitium, quod particula parum ponitur pro aliquantulum, contra morem antiquorum, penes quos hæc particula, vt aiunt, significat semper, id quod est non multum, vt cū dicitur, puer parū profecit: sic dicens non intēdit affirmare

pue-

puerum profecisse, sed magis negare multum profecisse: sic se aiunt obseruasse apud omnes auctores linguæ Latinæ. Credo criticos cum cauillationem istam vestigaturi essent more Carneadis elleboro se purgasse, ut non altius, sed potius profundius specularentur, & venirent paratiores ad nocendum.

Responderi ergo potest poetam per apocopen dixisse parum pro parumper, ut apud Lucretium,

-gannitu vocis adulant, pro adulantur.

Et Virgilius in versu illo,

O mihi sola mei super Astyanactis imago,

Posuit super pro superes, teste Prisciano de Constructione verborum.

Est autem parumper, teste Seruio, idem quod paulatim Virgilius.

-pulsusq; parumper Corde dolor

At quoniam responsio hæc licet vera ratione nitatur, & omnibus perturbatione carentibus satisfacere posit: exemplum tamen affero quod obstruat penitus ora criticorum.

Ostendo enim particulam illam parum, poni ab antiquis aliquando pro aliquantulum, ut videtur eam Poeta posuisse, & profero locum, qui quamuis in promtu sit omnibus, criticis tamen nostris est ignotus. si enim notus esset, numquam in dedecus suum sic delirarent.

Lucanus in quarto Pharsaliæ describens Curionem circumuentum fraudibus Pœnorum sic inquit.

Cum procul è summis conspecti collibus hostes,
Fraude sua cessère parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret aruis.

In his enim versibus, ut manifestò apparet, ponitur parum pro aliquantulum, quo modo poni posse negant aduersarij.

Est & in alio loco, cuius non memini, syncopa, ab his non comprobata, quia noua. ponitur enim redimendus pro redimiendus

dus a redimio, quod est orno

Sed harum omnium figurarum vsus, cum non fuerit æternus, aliquando fuit nouus.

Non est ergo nouitas, quæ rē faciat malā, licet aliquando reddat viliorem, quod careat maiestate antiquitatis.

Antiquitas enim nescio quid præstigij videtur habere, & mentes nostras ita afficere, vt videri faciat interdum, immo ferè semper, res meliores. hoc est quod in præfatione librorum de Naturali historia Plinius dicit, Rē scilicet esse perarduā antiquis nouitatē, nouis auctoritatē impartiri. Posuit Horatius in poetica valdius, p validius: soldū, pro solido: puertiæ pro pueritiæ: quæ omnia pari modo dānarentur forsan a criticis, nisi vetustatis timeretur auctoritas. Si quis etiam aduerterit qualibus syncopis vtatur Lucretius, desinet more puerorū post hos papiliones cursitare. Dicit enim dıditur, pro diuiditur: nilum, pro nihilum: suibus, pro suibus: finglariter, pro fingulariter: alid, pro aliud: initum pro initium: apisci, pro adipisci: remosse, pro remouisse,: donus, pro dominus

At cum membra donus persensit frigida seruis.

Dicit etiam metutum, pro metuitum: scibam, pro sciebam: vementi, pro vehemēti. Vtitur idem epenthesi aliquando fortasse adeo dura, vt à cruditate istorū poßit male cōcoqui: ponit enim indugredi, pro ingredi, quod & noster Pontanus vsurpauit. Item indupedita, pro impedita, nominicamus, pro nominamus, nominicanda pro nominanda: itiner, pro iter.

Redeo ad syncopas.

Posuit Propertius hospita, pro hospitia. Virgilius in decimo posuit Metum pro Metium.

Haud procul inde citæ Metum in diuersa quadrigæ.

Idem in vndecimo dixit vixet, pro vixisset, quæ syncopa videtur duriuscula.

Vixet, cui vitam deus, aut sua dextra dedisset.

Et circa finem primi libri Tropæi dicitur esse mendum, vbi

legitur in principio versus propagante: quasi dictio illa non possit habere primam longam, sic isti nouicij calumniantur, qui sensus exercitatos nondum habent.

Sed videant illud Lucretij in primo.

Propagare genus possint, vitamq́ tueri.

Item illud in quinto.

Vt propagando possit procudere saecla.

Obstinate ac temerarie volūt omnes, ne parū docti esse videantur, super obstrepere: et experimento didici, qui indoctiores sunt audaciores esse. Adeo enim sunt ignorantes, vt neque id sciant, quod nesciunt. Grammaticuli quidam vitio dant poetae, quod mediam syllabam in dictione Maria corripuerit. existimāt enim, & id in canonem redegerunt, cum dictio illa est Latina, vt apud Claudianum, mediam syllabam corripi debere: cum vero est Hebraica, sicut apud poetam nostrum, producendam. Astipulatur his Beda, qui dicit syllabam illam proprie produci, & aliquādo improprie per licentiam corripi: attestatur etiam consuetudo, & vulgaris accentus, qui nomen Matris Christi producta media semper pronunciat. Id cum poëtae retulissem, ille nihil cunctatus, mediam respondit huius dictionis neque longam esse, neque breuē. Super quo responso cum mirarer, ac suspensus essem, ille subintulit: Quod nihil est, quo pacto breuiari, lōgarìue potest? Tunc ego, nonne trisyllabū, inquā. est nomen istud? Quod si trisyllabū, nōne mediā syllabā habeat necesse est? Ergo aliquid est? Mox ille: Vide inquit ô Ptolemaee, quā periculosum sit iudicare, quā procul a vero sit vulgi sententia. Scis ne, vt inquit Vitruuius, & si nō sum Aristarchus, nō esse agrāmatō: & si nō sum Timotheus, nō esse amuson: & si nō sum Esras, litterarū Hebraicarū nō esse nō expertē. Dictio haec Maria: quidquid dicat Beda, apud Hebraeos est disyllaba, quo fit, vt mediā habere nō possit. Prima syllaba terminatur in r: secūda incipit ab i consonāte, non vocali. Sed nulli hoc dixeris, & sine eos circumagi opinionibus falsis, quae temeritati poena est debita. sic poëta. Ex quo patet, homo homini

quid

quid præstat vt inquit Comicus: et quam condemnanda sit horũ garrulitas, qui procacis linguæ fluxu omnia contaminare nõ vetur. Adiũgẽdũ heic, vt multis locis breuiter satisfiat, quod Beda in libro de Metrica ratione scriptũ reliquit. ait ergo sic ad verbũ Attamẽ intuẽdũ est nobis, quia & auctoritas nõnunquã & necessitas metricæ disciplinæ regulas licite cõtẽnit. Necessitas quidẽ in verbis, quæ nõ aliter in versu poni possunt: vt sunt ea quæ quatuor syllabas breues habẽt, vt basilica, Italia, relligio: vel tres primas breues, vt reliquiæ: vel vnã in medio breuẽ, vt veritas, trinitas, quæ neque dactylũ consuetũ, neque spondeũ facere possunt, quæ proprijs nominibus maxime solent euenire. huius exẽplũ. Italiam sequimur, longam posuit: quia non aliter Italiam, quam erat sæpe nominaturus, appellare valebat, nisi aut syllabam, quæ natura breuis est produceret, aut tribrachum loco dactyle poneret. Sic Beda. Heic excusari & potest, & debet poëta noster, cui necessarium fuit tales dictiones intexere versibus, vt Aurelianus, Valerianus, Theodosius, et huiusmodi alias, nec debent præsentes proterue accusare, quod maiores nostri benigne excusarunt.

In secundo Tropæi Mantuani fortunam vocat Rhamnusiam: quid & ego ipse cum inconuenienter dictum putarem, Nemesis enim, non Fortuna, dicitur Rhamnusia, à Rhamnunte opido Atticæ regionis, vbi colebatur. Conueni poëtam: Qui sciscitanti mihi, an satis examinasset locum illum: satis, respondit vt arbitror. Tunc vide, inquam, ne cum Tortellio forsan erraueris, Non erro, inquit, ô Ptolemæe: nam Fortuna & Nemesis diuersa quidẽ sunt nomina: sed res est vna: quod deprehẽdi ex Antimachi poetæ Græci versibus, quos in xiij. Geographiæ libro recitauit Strabo. sunt autem hi.

Est Dea quam dicunt Nemesim, Dea magna, potensq́:
Quæ bona cælestum concessu cuncta Deorum
Possidet: huic primum sacratam condidit aram
Fluminis AEsapi gelidas Adrastus ad vndas.

Vides ne inquit, vt dicat Nemesim Deorum concessione possi-
dere cuncta bona? Hoc idem dicitur de Fortuna: nam diuitiae, po-
tentia, honores, imperia, bona fortunae nuncupantur. Indicat hoc
clauus & copiae cornua, quae fortunae solent appingi. Si esset igitur
fortuna quid aliud a Nemesi, quae bona possidebit, si Nemesi cun-
cta vt inquit Antimachus sunt subiecta? Tū ego, cogit me, inquā
ratio, quam attulisti, confiteri Nemesim esse fortunam; sed obsta-
re videtur Plinij auctoritas non floccipendenda: in. xi. namque
naturalis historiae libro de Nemesi loquens inquit. Quae Dea no-
men Latinum ne in Capitolio quidem inuenit. Quae vero Pom-
ponius Laetus grāmaticus nostrae aetatis doctissimus rhetor quoque
clarissimus, et antiquitatis perscrutator eximius, in vita Diocletia-
ni dicit de Nemesi, partim pro te partim contra te videntur fa-
cere. Dicit enim Romanos in bellum profecturos Nemesi sacrifi-
care consueuisse, & quod virgo & alata fingebatur, quod pedi-
bus eius rota supponebatur. item quod eam plerique vim Fortu-
nae, plerique filiam Iustitiae putauerunt.

Legi etiam Nemesim esse vim Solis, & potestatem quae ob-
scura illuminat, & clara offuscat, sic ego.

Tum ille, Quid opus est, inquit, Pomponium citare, cum Pau-
sanias & Ammianus Marcellinus de gestis Galli imperatoris
multo plura referant de hac Dea? Praetereo autem consulto quae
Pausanias dicit: quaedā ex Marcellino decerpta subijcio. ait ergo
sic. Haec & huiusmodi innumerabilia vltrix facinorū impiorum
bonorumque praemiatrix, aliquoties operatur Adrastia, atque
vtinam semper, quam vocabulo duplici etiam Nemesim appel-
lamus. Ius quoddam sublime Numinis efficacis humanarum men-
tiū opinione, Lunari circulo superpositū: vel, vt definiunt ali-
substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fato:
quam theologi veteres fingentes Iustitiae filiam, ex abdita quadā
aeternitate tradunt omnia despectare terrena. haec disceptatrice
rurna sortium temperat accidentium vices alternans volunta-
tumque nostrarum exorsa interdum alio, quam quo contendebant
exitu

exitu terminans, multiplicesq́ actus permutando conuoluit. eadéq́ necessitas insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentes. Et paulo infra. Et nunc erectas mentium ceruices opprimit, & eneruat: nunc bonos ab imo suscitans, ad beneviuendum extollit. Pinnas autem ideo illi fabulosa vetustas aptauit, vt adesse velocitate volucri cunctis existimetur, & prætendere gubernaculum dedit, eiq́ subdidit rotam, vt vniuersitatem regere per elemēta discurrens omnia nō ignoretur. sic Ammianus quæ ex eius lib. xiiij. trāsumta sunt ad verbū, quoad fieri potuit inculpatè. Subijcit autem quædam de Agathocle & Dionysio Tyranno, quæ quia nō videntur ad Nemesim pertinere, consulto prætereo. Sed scisne subiecit, ô Ptolemæe, cur dixit Plinius Nemesim nomen Latinum non habere? nempe quod respexit etymologiam vocis Græcæ. Nemesis enim venit à νεμεσάω verbo Græco, quod interpretari potest succenseo vel indignum existimo: vnde in magnis Ethicis dicit Aristoteles, Nemesim esse indignationem ex malorum hominum prosperitate conceptam, et huic rei nomen Latini non fecerunt, sed vtebantur Græco vocabulo. Fortunæ vero nomen venit à fero, quod fortuna more ferarum sine ratione ferri videatur. Cicero in Rhetoricis refert carmen Pacuuij tale de Fortuna,

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam perhibent philosophi,

Saxoq́ instar eam globoso prædicant volubilem.

Res igitur eadē respectu diuersorū diuersā habet nomēclationē. Vocum autem istarum significatū nihil est aliud, quā id quod theologi nostri dicunt vim vel potentiam diuinæ prouidentiæ exsecutiuam, siue id sit diuina voluntas siue quid aliud præter voluntatem, puta intelligentia quædam munus id obiens & indispositione rerum Deo subseruiens. Res ea igitur quæcunq́ sit & Adrastia, & Nemesis & Fortuna nuncupatur. Verum Nemesis dicitur cum ratio facti deprehenditur: vt cum Tyrannus è patria expellitur: cum vero facti ratio non apparet, puta cum

tacum bonis mala, cum malis bona eueniunt, fortuna appellatur: non quod quidquã sine ratione fiat à Deo, vel ab eius ministris: sed quod facti ratio nobis occulta sit. Quæ autem Pomponius & Marcellinus dicunt ad nostra hæc alludunt, & nobis, si recte intelligas, non aduersantur. Rei hæc veritas: de qua non grammaticis (res est enim supra captum eorum) sed solis theologis disputare cõcessum est. Lege versus illos Tropæi Mantuani, & cognosces me inuenire fortunam esse Nemesim, cum ei attribuo quæ alij quidam tribuere fortunæ. In Agelarijs nostris clarius id expressi: illic enim scriptum est.

At quoniam nobis cælorum incognitus ordo,
Fortunam Nemesimq; homines, nam nomina quamquam
Sint duo, res tamen est, si quis consideret altè
Vnica, certatim accusant, vomitumq; furentis.
Proijciunt animi in vanum sine Numine nomen.

Dixi autem nomen Fortunæ vanũ esse, ac sine Numine, quod antiqui diuinitatis ignari crediderint fortunam vim quandam esse ex legem, meritis non respondentem: sed iustitiæ probitatisq; inimicam: iuxta illud Senecæ: Fortuna viris inuida fortibus quam non æqua bonis præmia diuidis. Plinius ad Vespasianum de Fortuna sic inquit: Sola laudatur, sola arguitur, &, cum conuicijs colitur volubilisq;, a plerisq; vero & cæca etiã existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. sic Plinius. Apud Scythas eius simulacrũ sine pedibus fingebatur, & manus tãtũ ac pēnas habebat. Apud Smyrnã caput simulacri fortunæ fulcire polum videbatur, & manu a tera cornu Amaltheæ retinebat. Neque ad ea respexeris subiunxit quæ in secundo Physicorũ libro dixit Aristoteles de Fortuna, quod sit videlicet causa per accidēs, non enĩ Fortunã, quẽadmodũ accipiebat illa ætas, pro vi scilicet quæ distribuendorũ bonorũ ius habebat, & ea non recto iudicio, sed pro libidine sua dispensabat. Sic igitur inquit: & facto heic fine quieuit. Videtis igitur, vt alucinentur isti mali rerum æstimatores: vt toties reprehensi numquam corrigantur? vt erra-

ta

in sequentes, in errata labantur. & certe verum est illud

Sordibus imbuti nequeunt dimittere sordes.

Nec mirum est, quod poëta dicit de Nemesi & Fortuna, quod eædem res sint. nam, vt meminit Seruius in primum Georg. Stoi ci volebant vnum Deum & vnam Deam, & eandem esse pote statem, quæ pro ratione nostrorũ officiorum diuersis nominibus appellaretur: etiam pro locorũ diuersitate sunt Deorum & rerum fere omnium diuersa vocabula. Venus apud Arabes dicebatur Alita per duplex tt. eãdẽ Sidonij vocabant Astrartem cui Salomon dicitur aram posuisse vnius concubinarum suarum amore deprauatus.

Critici nostri ad nocendum studiosi, ad vellicandum prompti, dum, cum aliorum dedecore putãt se posse claros euadere, dicũt poëtam in primo Parthenices libro discum pro mensa posuisse in versu illo.

Vt quando in leui stat ferrea lamina disco.

Hoc autem accidit, quod quid discus significet nondum satis sciunt. Poëta eo loco discũ accipit non pro mensa escaria, vt calumniantur, sed pro re plana, qualis est area, qualis est abacus: & proculdubio, si legeris Ouidium, Vitruuium, Appuleium, & Hermolai nostri glossemata in Pliniũ, inuenies discũ significare quid planum. Lege ergo Hermolai glossemata in verbo scaphium & in verbo lenticula. Appuleius de Asino aureo libro secundo sic inquit. Lucerna animo prægrandis, & oleum ad lucem luci sufficiens, & aqua cum œnophoris & calice, cœnarumq́ reliquijs discus ornatus. Vbi Philippus Beroaldus Iulij Pollucis documenta secutus, dixit discum esse vas escarium. Sunt qui contendant discum eo loco mensam significare: eo quod dicatur reliquijs escarum ornatus: id enim magis videtur mensæ conuenire quam vasi: vas namque, vt aiunt potius diceretur plenum, quam ornatum. Sed iudicio meo pro vase accipitur, & in Beroaldi sententiam vado. vas autem id non cauo ambitu, sed plano erat, quale id quod vulgo dicitur, tagliero.

Talis erat discus, quo in certaminibus Olympiacis exercebātur. Quod Ouidius in x. Metamorphoseos libro luculenter expressit dicens,

Corpora veste leuant, & succo pinguis oliuæ
Splendescunt, latiq; ineunt certamina disci. & infra.
Tollere Tænarides orbem properabat: at illum.

Vides vt discum dicat orbem latum? Sic ergo poeta noster ab omni errore procul discum accepit pro orbe lato plano ac leui, in quo lamina ferrea a magnete possit trahi: exponēdum ergo in disco, hoc est in plano. Confirmātur hæc per id quod Pausanias tamquam miraculum quoddam refert de Milone Crotoniensi, qui in athletica claruit: quod scilicet disco vncto insidens a nullo detrahi poterat: vbi discus vel pro mensa, vel pro re aliqua plana procul dubio accipi videtur.

Sunt qui non probent, quod poëta posuit pluribus locis festa Hymenæa pro nuptijs. aiunt enim vocē hanc Hymenæus nomen esse propriū & substātiuū: nec posse dici autumāt festa Hymenæa sicut neq; dicitur vestis Antonia sed Antoniana, facta inflexione a principali. Respondemus paucis reprehensionem hanc esse hominis audaculi, male in litteris exercitati, & qui hodie vel nudiustertius cœperit erudiri: Hymenæus enim potest esse proprium, vt cum pro filio Veneris & Liberi ponitur: potest esse appellatiuum, vt cum pro nuptijs sumitur, vt apud Virgilium in tertio AEneidos.

Ledæam Hermionem Lacedæmonioſq; Hymenæos.

Potest etiam esse adiectiuum, & iungi substantiuo, quod in simili patet. Licæus enim est mons in Arcadia, & ab eo fit Lycæus, Lycæa, Lycæum. Ouidius in ij. Fastorum

Quis vetat Arcadio dictos a monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.

Liuius in primo. Solenne allatum ex Arcadia instituisse, vt nudi iuuenes Lycæum Pana venerantes per luxum, atque lasciuiam currerent. Virgilius in octauo.

Par-

Parrhasio dictum Panos de more Lycæi. Papinius in ij. Theb.

Finitimisq; agitatur agris: iuuat vsque Lycæos.
Partheniosq; super saltus.

Dicuntur etiam ludicra Lycæa, quæ Ioui Lycæo, vel Panē celebrabantur. Itē Sigeum est Ciuitas in Troade, vt dicit Stephanus, à qua dicitur Sigeum promontorium, vt vult Suidas, & Sigeus, Sigea, Sigeum. vnde illud Ouidij in Heroidibus.

Hac duce Sigeo dubios a litore feci. Lucanus
Sigeasq; petit famæ mirator arenas.

Item Rhœteum promontorium, Vt Rhœteus, Rhœtea, Rhœteum. Virgilius,

Teucrus Rhœteas primum est aduectus in oras

Item dicimus AEgæum mare: & AEgæus, AEgæa, AEgeū. Tibullus.

Ibitis AEgæas sine me Messalla per vndas.

Similiter Alpheus dicitur primitiuum nomen fluuij, & Alpheus, Alphea, Alpheum. Virgilius in iij. Georgicorum.

Cuncta mihi Alpheum linquens. & in eodem.
Aut Alphea rotis prælabi flumina. & idem.
-Alpheæ ab origine Pisæ.

Item Pangæus promontorium Thraciæ, à quo fit Pangæus. Pangæa, Pangæum. Item Lilybæum promontorium Siciliæ: vnde Lilybæus, Lilybæa, Lilybæum. Stephanus.

Nec debet mirum videri, quod deriuatiuum a principali voce non differat: id enim frequenter reperimus. Tros nomen est regis, & Tros idem quod Troianus. Virgilius.

Tros Tyriusq; mihi nullo discrimine agetur.

Indus est fluuij nomen. & homo ex India. Idem dicendum de nominibus his, Thessalus, Græcus, Medus, Macedo, Phœnix, Lydus, Tyrrhenus, quæ & substantiua sunt & adiectiua substātiuis similia: vt etiam in quarto AEneidos.

-quos Africa terra triumphis Diues alit.

Sithonius, Sithonia, Sithonium. Virgilius.

Sithoniasq; niues hiemis subeamus aquosæ

Et quoniam apud Græcos id est in principio dictionis. videtur superesse vocalis & perse syllabam facere, vt in Iason, Iaspis, ne detur vitio poetæ, quod id non obseruauit: vt in hierotheus et in hierophāta, quæ in Dionysio ponit quadrisyllaba metri necessitate cōpulsus. Idem dic de dictione Hieronymus in libro de Fastis. Moneo lectorem alios quoque poëtas Latinos id non obseruasse: cuius rei subijcio duo exempla. Iaziges populi sunt septētrionales, et apud Græcos dictio est quadrisyllaba: quod Valerius Flaccus obseruat.

Increpat & stricto sic vrget Iaziges ense.

Ouidius in libro de tristibus non obseruat.

Iazyges, & Colchi, Metereaq; turba, Getæq;.

Virgilius quoq; facit Iasius trisyllabū: nā in x. AEneide ait.

Iasius Imbrasides, Hicetaoniusq; Thymœtes,

Quia existimo poëtam aliquando, licet loci non meminerim, posuisse tale pro quanto, vt si duā tantū æquor quale est AEgeū: moneo lectorem ne miretur. Terentianus enim grammaticus de positione lōgis dicit: siue duplum, quale & omnū, quādo producta est, habet nota duplum, quale.

Quoniam poëta in Dionysio dixit.

Istius ærumnis ducendi in millibus æui:

Admoneo te lector iucundissime, ne præcipites sententiā: posses enim forte putare non debere dici millibus ærumnis, sed millibus ærumnarum. Exempla subijciam quæ ostendent saluari posse figuram hanc loquendi. Vitruuius lib i. Ducentorum quinquaginta millium stadiorum, quæ faciūt passus trecenties quindecies cētena millia Item Plinius lib. ij, capitulo vltimo. Vt circuitu esse ccl, millia stadia pronuntiarent. Idem in iij. lib. capite de Corsica, Intra vero lx. millibus passibus à Corsica. Infra eodem capite. Mox à Surrento viij. M. passibus distantes Tiberij imperatoris arce nobiles Capreæ. Idem in octauo dixit milia præsagia:

rius hæc verba sunt. Mihi præterea vt poëtæ cum plurimis animalibus eadem natura rerum cæli quoque obseruatione et ventorum & imbrium et tempestatũ præsagia alia alijs dederit. Virgilius quoque in ix. Æneid.

—tot millia gentes arma ferunt Italæ.

Sic legit locum illum Georg. Valla. licet poßit legi gentis: & non gentes vt sensus sit, tot millia gentis Italæ ferunt arma, nõ tot milia arma

Videor recordari me legisse in poëmatis poëtæ nostri, locum autem nequaquã recordor, positum esse nedum pro nõ solũ: quod ne temere quis damnet putans apud nullũm idoneũ reperiri, subijciam heic exemplum Ciceronis ad Atticum, vbi sic inquit. Tu quoniam cares quartana & nedum morbum remouisti, sed etiam grauedinem.

Dixit quidam in suggillationem poëtæ nostri non minus imprudenter quam indocte dictionem filius non conuenire poëtis maximè grandibus, quod mendacium refellere possent etiam pueri. Horatius in Odis.

O matre pulcra, filia pulcrior.

Ouidius in primo Metamorphoseos,

Filius ante Diem patrios exquirit in annos. **Virg. in. vĝ.**

Filius huic fato Diuum prolesq̃ virilis. **Idem.**

Stabat in egregijs arcentis filius armis.

Cum interrogassem poëtam nostrum cur diceret cælos numero plurali, cum vt refert A. Gellius. lib. xix. Noctium suarum capite viij. Grammatici velint id semper dici numero singulari. respondit Gregoriũ doctorẽ ecclesiasticũ in prologo libri Moraliũ nõ ab re dixisse scripturã sacrã nõ subdi legibus grãmaticorũ. Nã cũ habeamus omnes fere codices sacros ex peregrinis linguis trãslatos ĩ Latinã, vt fideliter trãsferrẽtur, oportuit Latinitatis limites transilire in multis, & præsertim in hac dictione cælum Nã cũ in alijs linguis pluraliter declinetur oportuit & apud nos pluraliter poni. Quomodo enim tranferretur illud in Psalmis, Laudate

eũ cæli cælorum. Quod Hebraicè dicitur הללו שמי השמים & græce αἰνεῖτε αὐτὸν οἱ οὐρανοὶ τῶν οὐρανῶν nisi daremus ei dictioni numerum pluralem? Et ideo factum esse dixit propter auctoritatem maiestatemq́ non doctorum sacrorum tantum, sed etiam ipsius scripturæ diuinæ, quam immutare fas non est, vt sic nomen id declinandi consuetudo iam diu recepta sit passim, ab omnibus etiam doctissimis atque grauissimis. nec allegandos esse grammaticos, cum ipsimet confiteantur linguam Latinam sequi magis anomaliam quam analogiam, & vsu ac consuetudine gubernari.

Quod maximè probatur ex dictione fames, cuius genitiuus referente ipso A. Gellio lib. Noctium ix. fuit aliquando fames paulò mox famij, deinde famei, nouissime famis.

Quod vero sit recepta a neotericis talis cæli declinatio, probatur eo maxime, quod numeratur à grammaticis inter heteroclita in singulari neutra, in plurali masculina.

Subiecit quoq́ poeta, Aristotiles quidem loquens de corporea substantia dixit præter quatuor elementa esse vnam quinctam substantiam, seu essentiam, quæ cælum appellatur: cum ergo cælum dicis, quinctam illam substantiam dicis: cum vero cælos profers, dicis orbes cælestes, in quos illa quincta essentia distributa est: & cũ legitur in בספר תלים sepher tehilĩ id est in libro psalmorum. Aquæ quæ super cælos sunt, si super cælũ dicas falsum enunciabis, Aquæ enim illæ, id est cælum cryſtallinũ, quod aqueum dicitur, non sunt super cælum, hoc est super illam quinctam essentiam sed super aliquot orbes, id est super septẽ errones & firmamentum sub empyreo. Ergo locus ille bene aliter transferri non potuit. Sic poëta. Ego quoq́ memini me legisse apud Lucretium eam dictionem numero plurali positam, & ni male memini, in secundo eius libro est hic versus,

Quis pariter cælos omnes conuerteret?

In Dionysio lib. tertio est hoc hemistichium,

Sed adhuc seruire Luperco.

In quo Pana Deum olim Arcadiæ Lupercum appellat. Damnabant hoc quidã: putabant enim nomen id significare non Pana ipsum, sed eius sacerdotem: super qua re poëta interrogatus respondit. Sicut Bacchi sacrificulæ dicebantur Bacchæ, & vnum nomen, mutato genere, commune erat Deo & sacerdotibus: sic Pan & eius sacerdos latine Luperci dicebantur. De sacerdotibus id confessum. de Deo ipso mox constare faciam: & his dictis iussit codicem Iustini afferri, & confestim in libro xliij. sic legit. Post hũc tertio loco regnasse Faunum ferunt. sub quo Euander ab Arcadiæ vrbe Pallanteo in Italiã cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros & montem, quem ille postea Palatinum appellauit, benigne assignauit. In huius radicibus templũ Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit.

Cum audissem taxari poetam, quod in vita Diui Georgi ferum pro equo posuerit, cogitaui si apud aliquem antiquorum poetarum talē phrasim legissem: Et continuo venit in mentem illud Virgilij ex secundo AEneid.

In latus, inque feri curuam compagibus aluum,
Et illud ex quincto
-spumantiaq; addit
Frena feris, manibusq; omnes effundit habenas.

Marcus Manilius in vltimo, cum agit de imaginibus orientibus cum Ariete, dicit.

Exagitate feros, pronumq; anteire volantes
Idem loquens de Sagittario.
Terdecuma sub parte feri.

Videor recordari in poëtæ nostri opusculis legi alicubi marē nubere. id quoniã plerisq; reprehēdēdũ putãt, ne fiat tumultus inter criticos æque ea quæ nesciunt, atque ea quæ sciunt, si quid tamē sciũt, iudicãtes, monēdũ puto lectorē figurã hanc loquendi non dãnãdã, cũ ea sint vsi Latini antiqui litteratissimi. Nõ citabo Hieronymum litterarum sacrarum interpretē doctissimum, qui lit-

teres didicerat ab ipso Donato. Nã critici nostri nolunt eũ scribi in albo Latinorum: Barbarũ eum vocant. Si ei crederent afferrem illud ex euangelio: Neque nubent, neque nubentur. Quod exponens ipse Hieronymus dicit nubunt viri, nubuntur fortasse vxores. Et contra Heluidium alludens ad illud euangelicũ, Nubebant omnes, & nubebantur. Praetereo haec: venio ad gentiles, quibus magis credunt. Plautus in Cas. Charinũ libet scire quod agat nouũ nuptũ id est, maritũ, vt exponit Priscianus. Dicebatur ergo vir nuptus, sicut virgo nupta. participia haec deducunt à nubor. Sed praetereo etiam haec. Festus ex Pomponio. Meus frater maior post quam vidit me domo eiectum, nupsit posterius dotatae Vetulae varicosae Afrae. Posset hoc sufficere. affero tamẽ aliud testimonium momenti non minoris. Valerius libro. iiij. cap. de amore coniugali. Quid aliud adiecerim quam dignas quibus Minyae nuberent? Minyae Thessali erant viri, non mulieres, qui acceperant Spartanas mulieres: ideo dicit Valerius eis eos nupsisse.

Multa genera sunt stultitiarum: sed id quoque nõ minimũ dũ quis alienã turpitudinem vult palam facere, suam detegere: haec est misera conditio criticorum presertim nostrorum, qui dum conantur ostendere poëtam errasse, suos vbique propalant errores. Scriptum est nisi fallor in Siluis poetae hoc hemistichium.

-certamina ponat Olympus.

quo vult dicere gloriã Graecorum superari à nostris. Et quoniam de gymnico certamine, quod fiebat ad Alpheũ & Pisam in Arcadia videtur hoc dictum, critici insurgentes confestim exclamarunt illud euãgelicũ, Blasphemauit: quid vobis videtur, non opus heic testibus. Putat gymnicũ certamen fieri ad Olympum, qui est in Thessalia. quam sinus Corinthiacus partit ab Arcadia. Hoc cum rescissem mecum dixi, potest Olympus locus valde inlytus poni pro Graecia, sicut apud Virgilium Germania ponitur pro Occidẽte, & Euphrates pro oriente versu illo.

Hinc mouet Euphrates illinc Germania bellum.

Paulo mox euoluto codice Strabonis inuenio libro. viij. vbi loqui-

tur

tur de Pisa sic scriptum.

Vrbem autem in sublimi ædificatam vertice monstrant duos inter montes

Ossam & Olympum: quo nomine & alter in Thessalia nuncupatur. sic Strabo.

Corripio confestim Odas Horatij, & inquiro quonam modo Cõmentatores enarrent versus illos

-puluerem Olympicum collegisse iuuat,

& coniectis casu oculis in Christophori Landini comētum, video scriptū puluerem Olympicum dici ab Olympo Arcadiæ quo sit poëtam recte dixisse.

-certamina ponat Olympus:

Non qui in Thessalia, sed qui in Arcadia: hoc cum intellexerint critici, dubito ne forte exanimentur. ipse quoque Apollonij interpres in primum Argonauticum dicit sex Olympos, Macedoniæ, Thessaliæ, in quo & Olympia dicit Apollodorus fieri: Mysiæ Ciliciæ, Helidis, Arcadiæ.

Reprehendebat locum illum in vna Siluarum.

Siste tuos Helicon cursus.

Putantes poëtam deceptum posuisse Heliconem pro fonte Castalio, recurri ad protoco lum, & Silua inuenta vidi scriptum in versu, cursus, et superscriptum fluxus. vbi manifestū est poëtam per Heliconē intelligere Parnassum sicut ponitur frequēter à poëtis pars pro toto, vt carina et puppis p naui: axis & rotæ pro curru: mœnia pro vrbe: & per fluxum seu cursum intelligere fontem Caballinum, qui fluit ex radicibus montis Parnassi. Vel dicendum, quod imitatus sit Aratum, qui loquens de Pegaso dicit eū pede percussisse verticem Heliconis, & fluxisse latices, quibus nomen est Hippocrene: versus Arati subijcio.

Gorgonis hinc proles in Pierio Helicone.
Vertice cum summo nondum decurreret vnda
Musæos fontes dextri pedis ictibus hausit.
Inde liquor genitus nomen dedit Hippocrenen,

Idem

Idē refert Strabo in octauo de Helicone sic inquiens, Fama est equū Pegasum, cum potaret, in hoc loco à Bellerophonte deprehensum fuisse. alatum inquam caballum è Medusæ ceruice & de Gorgonis exsecto gutture prosilientem. Vulgatum est etiam Caballinum in Helicone fontem erupisse, cum subiectam rupem feriret vngula.

In vna item Siluarum loquens de Polycrate, qui vt aliquid in vita pateretur aduersi, & haberet vnde conqueri posset & dolere, anulum in mare dicitur proiecisse. dixit poëta,

Et ridens percußit aquas adamante marinas:

Proclamatum est à criticis gemmam illam non fuisse adamantem, sed sardonichem. vt inquit Plinius in vltimo libro naturalis historiæ. Hic recordatus sum libri illius, quem Aulus Gellius in xiiij. Noctium suarum scribit sibi datum, vt inde excerperet mera miracula. In eo enim scribebantur multa, quæ & si speciem doctrinarum haberent, non tamen delectabant, neque vtilia erant: vt quæ nomina fuerint sociorum Vlyßis. Vtrum Vlysses errarit in mari interiori, & ex quinq; operimentis, quibus Achillis clypeus munitus erat, quod factum ex auro dicit Homerus summum fuerit an medium: quæ omnia intempestiuam sonant vanitatem. Talis est curiositas horum criticorum, qui non aduertunt poëtas frequenter ponere speciem pro genere, vt cum ponitur ilex pro arbore: damæ pro quadrupedibus. & adamas pro gemma. Horatius in Odis,

Et superiecto pauidæ natarunt.
AEquore damæ.

Simile quid accidit Plauto poëtæ comico: dicentibus enim omnibus antiquis Iouem dedisse Alcmenæ in pretium stupri carchesium aureum, ipse in Amphitryone dicit vas illud fuisse cratera, cum vtriusq; poculi forma sit longe diuersa, hoc autem fecit, vt arbitror, quod versui suo magis conueniebat cratera, quam carchesium. Sic & poëta noster Plautum est imitatus.

Damnatur quod etiam poëta noster dixit in Siluis,

ecruda doctissimus artem.

dat enim superlatiuo casum quem regit positiuus. Sed ne tēpus in vanum conteramus, respondetur quod scire criticos oportebat talem loquendi modum reperiri apud auctores perquā idoneos, quorum duos citare sufficit. Cicero dixit, Proximus Pompeium sedebam: &, Propius vrbē mouent, Sallustius dixit, Proxime Hispaniam Mauri sunt. Oportebat etiā eos non ignorare poni aliquando superlatiuū pro positiuo. Virgilius facit AEneam sic alloqui Euandrum in viij.

Optime Graiugenū, vbi Seruius dicit poni optimum pro bono, vt sit sensus. Optime Graiugenū, ô tu, qui bonus es inter Graecos. Sic & Homerus in ij. Iliados.

δικαιότατος κενταύρων, hoc est, iustus inter Centauros

Sic ergo sero sunt docendi, qui praepostero ordine prius quam dicerent, iudicarunt.

Quidam Bauius cōtra Poetam nostram oblatrans dicebat nō debere dici, a teneris, nisi adderetur annis: cuius temeritati responsum est illud Virgilij.

Adeo à teneris consuescere multum est.

Eidem improperāti, quod poëta posuisset accingo sine accusatiuo cum datiuo: vt accingo fugae: accingo studio, responsum est pariter illud Virgilij.

Accingunt omnes operi, pedibusq; rotarum
Subijciunt lapsus.

Alius homo nauci futilibus nugis, vt aliquid esse videretur aiebat patriam pluraliter non inflecti, & in hoc volebat poëtam peccasse: continuo quidam bonae indolis adolescens Virgilianum illud ex Georgicis attulit.

Diuisae arboribus patriae, sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabaeis.

Quidam sciolus omnium bonarum artium inscius quaerebat vbi nam & apud quem idoneum auctorem poëta reperisset amorem esse caecum: cum ex tempore quidam vir frugi sic intulit, vbi nam

vbi nam repperit Seneca Iram esse cæcam, cum inquit, Cæcus est ignis stimulatus ira? Poëta ipse e: si alibi non legi, per se id no uit, qui talium affectuum & perturbationum naturas intelligit, sicut intelligebat Cato, qui apud Sallustium in Ca ilinario dicit, Omnis homines, qui de rebus dubijs cõsultãt, ab odio, ira, amicitia vacuos esse decet. & Diuus Gregorius inquit. Vbi regnat affectio, perit omne iudicium. Dantur interdum eidem affectui proprie ates contrariæ per contrarios effectus intellectæ: in quibusdam enim amans aliquando est cæcus, aliquando nimis ocu atus quod Ouidius in iiij. Metamorphoseos de Pyramo & Thisbe loquens expreßit, cum inquit.

Id vitium nulli per sæcula longa notatum,
(Quid non sentit amor?) primi vidistis amantes.

Facit ad hoc quod pastor quidam apud Theocritum vocat amorem cæcum. Moschus autem dicit ei esse ὄμματα δριμύλα καὶ φλογόεντα. hoc est, lumina acuta & flammantia.

Nõdum sunt pacati critici nostri, nondum conquiescunt: volunt totũ penus argumẽtorũ exhaurire. non remanebit in schedis eorum epicherema, non enthymema, non apodixis: totius supellectilis vim effundunt. Vitiosum dicunt in poëta nostro, quod locis nõ reddat antiqua vocabula: sed noua quædã proferat, quæ vt inquiunt, vulgus corrupit. Respondemus poëtam fere semper dare locis antiquis antiqua vocabula: aliquando etiam antiquis antiquiora: vt, cum pro Hierosolyma dicit Luzam: pro Antiochia Reblata: pro Bononia Felsinam. aliquando quoque noua, sed citra vitium, cum scilicet dubitatur de antiquis, an talium locorũ sint vocabula: vt de Ateste. Sũt enim qui dicãt Este opidum agri Patauini esse id, quod olim Ateste vocabatur. sunt qui id negẽt. Hermolaus in Annotationibus Plinianis non audet super hoc ferre sen entiam. Ideo poëta Ferrariensium duces dicit Estenses, nõ Astenses, quod ab eo opido descendisse ferãtur. Veteres etiã vsi sunt simi iter nouis vocabulis: dixerunt enim pro Anxure Trachinã mox Tarracinã: Narniã pro Nequino; Cære pro Agillin

At clamabunt, & nō loqui se de integris dicent: sed de his tantū, quæ vulgus corrupit. Pacifice & æquo animo respondemus, & huiusmodi etiā vti antiquos. Afferam causa breuitatis vnicum exemplum. Cōdidit in Daunia Diomedes vrbē, quā dixit Argos hippon, nomine isto vetustate corrupto dicta est Argirippa. Rursus hoc quoque nomine corrupto dicta est Arpi: testis est Seruius in xi. AEneid. Corruptè ergo vsus est Virgilius sic dicens.

Ille vrbem Argiripam patriæ cognomine gentis.

Vrbem, quæ modo dicitur Ferraria, sunt idonei auctores quī scripserint Forum Arij primum appellatam: mox vulgo corrūpente vocem illam, dicta est Ferraria; & eam ipsi critici vocāt Ferrariam. quærēdū ab eis, cur eam Forum Arij non appellent? quid ergo restat, nisi vt discant tacere, qui numquam recte loqui didicerunt?

Vidi quosdam dubitare, an scite fecerit poëta noster, qui quasdam syllabas nominum Hebraicarum modo producat, modo corripiat: sicut in Helias, cuius mediam nunc contrahit nunc extendit, secundam etiam in Andrea producit, quam in quodam epigrammate Græco vidi breuiari. Ne quis ergo temerarie & hoc, vt cetera supradicta, culpare nitatur, pauca subijcio. Priscianus in libro de accentibus sic inquit ad verbum. In peregrinis verbis, & Barbaris nominibus, vel interiectionibus nulli sunt certi accentus: Ideoq; in potestate vniuscuiusq; consistunt: vt quod necessarium videat, sic in metro ponat. sic Priscianus. quod si quis dicat de accentibus, non de syllabarum quantitate loqui Priscianum, respondeo paucis, Accentus sequi syllabarum quantitatem, & ideo nesciri accentus, quia syllabarum quantitas ignoratur. Meminisse etiam debet æquus iudex, licere poëtis vti pro arbitrio nominibus proprijs, vt Seruius ostēdit, & superius est dictum. Subijcio exempla antiquorum poëtarū Christianorum: quia id nomen apud poetas gentilium non est in vsu. Ausonius in precatione matutina.

Raptus quadriiugo penetrat super æthera curru
Helias, & solido cum corpore præuius Enoch.
Fortunatus,
His venit Helias, illis in curribus Enoch.

Moneo etiam lectorem dictionem hanc Heliias scribi ab Hebræis per duplex יי. quorum vnum iungitur cum l. aliud cum a. & hæc potest esse ratio producendi mediam syllabam: quod scilicet secunda i. ponitur inter duas vocales, sicut fit in dictione maior. Simile quid accidit apud Græcos in dictionibus Harpyia, Orithyia, cynomyia & similibus, vbi duplex ii, ponitur, scilicet ypsilon & iota: quæ tamen videntur accipi pro vna: quia diphthongum faciunt apud Græcos. Ex his patet poëtam nostrum nulla ex parte posse redargui. De nomine Iohannes dicetur in Corollario. Venio ad Andreas. Nomen hoc aut Barbarum est, aut Græcum: si Barbarum, poëtarum arbitrio relinquendum est, vt tradit Priscianus, et sic vsus est epigrammatarius ille Græculus.

Ἀνδρεᾶ σὺ ζῶσιν, Andrea tu viuis. Si vero est Græcum videtur deduci: ἀπὸ τῆς ἀνδρείας, id est a fortitudine. Et propterea secundam syllabam longam esse, sicut in AEneas, quod Pompilius in libro de metris approbare videtur. vbi Fortunati versum hunc citat.

Nobilis Andream mittit Achaia suum.

Ex his ergo patet quod noster poëta fecit, scite consultissimeque esse factum.

Cogam heic in vnum locum quæ videtur poëta noue vel inusitate dixisse, vsus illa licentia, quam dicit Horatius concessam Catoni, & Ennio, & concedendam similiter Virgilio, & Vario. Stapes formauit, sicut formatum est antiquitus sonipes, æripes, loripes. Audio tamen hoc inuentum fuisse Philelphi, diuisco quod est fio diuus, sicut ditesco, senesco, adolesco: dixit etiam siluas alticomantes, quod habeant altas comas, id est frondes: & diuiniloquencia, id est, sermo excedẽs modum humanum, vel oratio de diuinis:

diuinis: sicut Lucretius finxit leuisomnus vt illo versu.

Et leuisomna canum fido cum pectore corda.

& cæcigenus pro cæco nato. ait enim in ij.

Nam cum cæcigeni, Solis qui lumina numquam
Dispexere.

Medio, medius, verbum non tam finxit, quam ab alijs iam diu fictum vsurpauit. In sacris enim litteris. vt ipse dicebat, reperitur sæpe mediator nomen verbale. Christus enim dicitur esse mediator Dei & hominum. Legit etiam in Euangelio secundum Iohannem capite vij. Iam vero die festo mediante: & sic transtulit Georgius Trapezuntius cum traduxit Cyrillum in Iohannis Euangelium: & necessarium fuit sacris doctoribus, vt rem nouam exprimerent, illo vti nouo vocabulo, iuxta illud Horatij.

-si forte necesse est.
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq; licentia sumta prudenter.

Cicero inquit, dura qui fingit esse intelligit. sed molliet vsus. Vt idem refert, Zenoni licuit cũ rem aliquã inuenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere. Cur ergo sacris doctoribus ad explicanda diuina mysteria idem non licebit? Erant & apud antiquos quædam vocabula formata adiectione medius, non multum dissimilia: vt dimidio verbũ actiuum, & dimidior passiuum. Item dimidium & dimidiatum: mediastinus quoque, quo significatur seruus quodãmodo publicus: quod in medio stet, vt seruiat omnibus. Vsurpat similiter hoc verbum appropio, id est, appropinquo: deductum a prope, sicut è longo à longe: Reperitur id verbum, vt inquit poëta, fuisse in vsu ante annos ab hinc mille. Legitur enim in editione vulgata psalmorum, quæ Hieronymum antecessit, Dum apropiant super me nocentes. Vtitur similiter hoc verbo approximo, quod in eadem editione vulgata reperitur, illo versu: In chamo & freno maxillas eorum cũ

stringe, ut non approximēt ad te. Dicebat & poëta se legisse
prolixus nomine, verbum prolixo deriuatum, sicut à proximus,
fit proximo, proximas. Columella enim libro quincto dicit, moné
dus est putator, ut prolixet aciē ferramēti: quid si suppresso nomi
ne Columellæ, quæratur à criticis an sit Latinum, dicent de pro-
lixo, quod dicunt de medio.

Vtitur etiā hac dictione potentatus, quæ in sacris litteris fre-
quenter reperitur, ut in illo psalmo. In potentatibus salus dex-
teræ eius: & Ecclesiastici capite x. dicitur, Omnis potentatus vi
ta breuis. Guarinus Veronensis magnæ vir auctoritatis, transfe-
rens Strabonem in decimo, cum sermo est de Epiro & Acarna
nia, dicit, Infreni potētatus successionē. Iohannes Placētinus Car-
melita, qui Lexicon Grecum, opus laudatissimum composuit, cum
interpretatur, δυναςαν, dicit potētatus: & in psalterio quod ipse
ex Græco in Latinum transtulit, ubi est, δυναςαιω, dixit potentati
bus, quamuis illo loco, in quo psalmista loquitur de vitæ humanæ
annis, conueniētius, ut poeta dicebat, transferri potuerit fortibus:
in Hebræo enim est בזדידו quod deriuatur. לבזר quod inter-
pretatur fortis vel potens. Sed quid mendicamus testes? Afferā
unum, cui critici tantum tribuunt ut eum iurent irrefregabi-
lem: Iohannes Pontanus ea ipsa dictione uti non est veritus: Le
ge Commentationes eius in Centiloquium Ptolemæi: videbis in
Commentatione xlix. eum sic dicere. Non modo rei domesticæ
cura, verum etiam reipublicæ ac potentatus moderatio illis red
datur. Idem in libro de fortuna vtitur hac dictione, dominatus,
quartæ declinationis: similiter & prædicta dictione potentatus:
Formatur autem potentatus à potente per analogiam, puta sicut
à principe principatus: à Consule Consulatus: à summo summa-
tus, qua dictione vtitur Lucretius: à Duce ducatus, quo vti ne
Iustinus describēs mortem Philippi Macedonum regis. Sic enim
ait: Et honoratum insuper ducatu cernens aduersarium, iram
in ipsum Philippum vertit. Vtitur etiam Lacænus dictione, &
quibusdam alijs in masculino genere contra Græcorum morem

& à Genio formauit Geniosus, quod est noue dictum. Sed de his suis locis satis supra diximus.

Vocabula Latina non vna die formata sunt omnia, sed longo annorum succedente curriculo: quo fit, vt necesse sit omnia aliquando noua fuisse. si ergo quia noua, fuissent repudiata, vt fieri debere critici dogmatizant, nullam hodie linguam haberemus: quod si antiqui noua receperunt, cur nos quoque non recipiemus?

Sat excusati erimus, si quod illi fecerunt & nos fecerimus.

Fuit enim antiquis ista cõcertatio, dũ cõtraria studia alij noua cuderẽt, alij repudiarẽt: semper tamẽ inualuit inualescetq́ cõsuetudo linguã propagãdi. Quid ergo agẽdum? Dicã quod sentio, & quod Ciceroni, Horatio, Quinctiliãoq́ placuit, Nõ omnia noua passim recipienda. non omnia repudianda: sed ea recipienda, quæ videntur magis regulis Horatij consentanea. qualia sunt quæ nostris temporibus finxerunt Hermolaus, & Politianus, & paulo ante nostram ætatem Theodorus Gaza. Aristoteles in Metaphysicis, vt ad vocabulorũ inuentionem reuertamur, dicit artes inuentas per additamenta, ideo dicit tempus esse omnium sapientissimum, quod consummatio artium non repente, neque in momento, nisi forte diuinitus fieri possit: sed tempore egeat, & quidem non breui. opus est ergo addere prius inuentis donec consummentur. Additio autem, de grammatica loquor, fit aliquando per analogiam, vt docuit Aristarchus. sicut cum instar antiquorum noua formantur: aliquando per anomaliam, vt Crates fieri præcipit. Anomalia respectum non habet: sed vsum consuetudinemq́ sectatur. Si ergo per additamenta fiunt artes, quærendũ est à criticis, an putent iam consummatas esse artes? si consummatæ sunt, fieri nulla potest additio: cur ergo dixit Horatius,

-licuit semperq́ licebit.

Signatum præsente nota producere nomẽ? Si consummatæ adhuc nõ sunt, licet ergo addere donec consummẽtur. In sciẽtijs

rerum; quales sunt mathematicæ & philosophia. naturam rerũ imitamur: & quod indies deprehenditur esse in rebus, id si non est missum, in regulas mittitur. Primi qui astronomiã inuenerunt, de epicyclis mentionem non fecerunt: Posteriores epicyclos addidere: quos Aristoteles, & Auerrois eius interpres non recipiunt. Geometræ a tempore Aristotelis & Archimedis huc usq; circuli quadraturã quæsiuerũt, nec dũ inuenerũt. Medici à tempore Hippocratis, & AEsculapij hucusq; quæsiuerunt remedium quartanæ & podagræ, nec dum repererunt. Theologiæ terminos Christus ampliauit: & quotidie magis ac magis extenditur. Hæc ergo est artium scientiarumq; natura, vt accipiant quotidie incrementa. Conqueritur Aristoteles in Ethicorum libro, propter mutabilitatem atque inconstantiam rerum humanarum se non posse de moribus loqui ad amussim, & certum atq; infallibile dogma conscribere: leges quæ ad moderandos contractus humanos sunt inuentæ, quia, vt aiunt, plures sunt casus, quã leges, diu consistere nequeunt, correctione indigent, & sepius æquitas pro lege vsurpatur. & volunt indisciplinati isti disciplinæ limites figere, sermonem infrenare, qui nullo vnquam tempore freno est vsus. Propterea bene dixit poëta in epistola, quam ad me scripsit, quadruplicem fuisse linguam: ante Latinum regem priscam: à Latino vsque ad reges exactos Latinam: à regibus vsque ad Imperatores Romanam: ab Imperatoribus vsque ad nos mixtam, qua nos vtimur, & posteri nostri post nos vtentur, donec ars, quod nunquam futurum puto, sit cõsummata. Dicebat autem poeta se de industria quędam vocabula ecclesiastica suis inseruisse opusculis: sicut etiam res & historias sacras inseruit, vt pro virili portione satageret & conaretur religionem Christianam illustrare, ac quoad posset celeberrimam reddere: maluisseq; se hoc pacto minorem gratiam consequi apud homines gentilitatis studiosos, & cum aliquo suæ gloriæ detrimento sanctorum patrum vestigia potius sequi, quam de religione, in qua saluamur, male meritum videri. Damnabatq;

batq; episcopum Sipontinum, quod cum esset primi ordinis in ecclesia, tantopere laborauit in enarratione Martialis poëtæ gentilis epigrãmatarij. Accusabat etiã perquã acerrime litterarũ studiosos nostræ ætatis, quod sacras litteras sic exhorreãt, vt eas legere nõ dignentur, cũ antiqui gentiles libros Sibyllinos, pontificios, ac rituales æque rudes & incultos insumma reuerẽtia semper habuerint. Dolebatq; non quidẽ quod homines essent veræ Latinitatis amatores: sed quod multi Christianorum viderentur male de ecclesiasticis litteris sentire, & nescio quid gentilitatis in animo retinere, falsoq; iudicare Latinam linguã à religione nostra dissentire. cum fidei nostræ doctores Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Cyprianus, Tertullianus, Lactantius, Leo, Hilarius, & alij quam plures litteras sacras cum humanis ita coniunxerint, vt intelligere volentibus constare fecerint Latinæ orationis splẽdorem magis Christo conuenire, quam Ioui. Dixitq; mihi aliquando inter ambulandum, si nonnulli nostræ ætatis sunt tam seueri censores poëtarum, quid dicturi essent, si nunc primum ederetur AEneis Virgilij nostri, in cuius prima pagina tot licentiæ, ne dicam errores, legenti se offerunt? Suspicor eos voce, vultu, gestuq; inhumano facturos, aut saltem conaturos ne inuulgaretur. Dicerent enim quod Tuccæ & Varo quoque visum est, Maronem tantum opus male inchoasse, & quatuor primos versus ex fronte tollendos. Itẽ quod dicenda male proposuerit, cũ dicit,

Arma virumq; cano.

nam eodem ordine proponere debemus quo exsequimur: ipse autem primo exsequitur de viro, postea de bellis. Item quod falso dici videatur.

Troiæ qui primus ab oris. nam AEneas non primus, sed Diomedes ab oris Troiæ venit in Italiam: nam tempore AEneæ iã condiderat Argyrippam. Item quod Italiam dixerit, pro ad Italiam. quod primam syllabam dictionis Italia produxerit, quæ natura breuis est. Item cum dixit.

Multum ille & terris. ille superfluit.

Item

Item quod cum dicitur, - terris iactatus & alto, improprie locutus sit, iactatus enim conuenit non terris, sed solum mari. Sunt etiam qui dicant debuisse eum dicere, non venit sed venerat. Et quod in illo versu, Multa quoque & bello, superfluat vna illarum duarum copularũ. Item quod dixerit Laiio pro in Latium: & genus Latinum descendisse ab AEnea, cum ante AEneam fuerit Latium, & Latinum genus. Item quod dixerit Deum pro Deorum. Item quod illud, - tot voluere casus, per contrarium intelligẽdum, id est volui tot casibus. Et quod in illo versu, Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere, deest quam

Damnatur item quod Iuno fingatur nescire futura, quod Virgilius attribuit Palinuro cum dixit,

-portusque require Velinos.

Item quod inconcinne fingat eam velle fatis resistere, quibus sciebat AEneam mitti in Italiam: dicitur enim de ea,

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci.

Audierat.

Ecce dicunt quomodo sciebat fatis id fieri. Item quod ponat præsens pro futuro: dicit enim Seruius duci exponendum pro ductum iri. quod ponat etiam nomen pro participio, cum dixit.

Hinc populum late, & cum dixit, -heic illius arma, corripuit secundam in illius, quæ natura longa est. Et quod in illo versu,

Si qua fata sinant, qua superfluit. Item quod collisionem non fecerit in illo versu.

Posthabita coluisse Samo, heic illius arma.

Item quod in particula illa -spretæq́ iniuria formæ, superfluit quæ. & in illo, Troas relliquias, geminat ll licentiose: vt producat syllabam natura breuẽ. Itẽ quod proijcit scilicet finalẽ in dictione Achillis. Quod si dicas pathos fieri: concedo. sed pathos, tropus. schæma quid sunt, nisi nomina vitiorum, quæ poetæ veteres commiserunt? Quomodo tot licentias, ne dicam errores, critici in pri-

ma

ma pagina conspicati, quot fere in magno volumine satis essent, possent parcere graui censuræ? Quomodo non acclamassent poëtam hunc nimis licentiosum, in quo fere tot licentiæ reperiuntur, quot & versus? Hoc volui subiunxisse, vt lector aduertat non in poëtæ nostri tantum operibus, sed multo magis in antiquis, quorum auctoritas irrefragabilis, fama immortalis, facundia cælestis, criticos amplissimam carpendi & taxandi habere materiam: & eos illis ideo parcere, quod iam extra omnē aleam positi sint: sed mira sedulitate contra nouos inuehi, ac velle genuinum infringere in illis prius quam legentium consensu fiant omni exceptione maiores. Vident enim breui futurum vt cum quidam noui poëtæ calumniarum istarum nubes euaserint, & in altis gloriæ tractus per humanas laudes fuerint eleuati, vituperando perdant operam & impensas. Circumeunt, satagunt, & vigilanter intentis oculis, lucernis accensis rimantur & vestigant, si quisquilias & peripsema aliquod inueniāt, & ad omnem auiculā, vt aiunt, retia trahunt, ne domum reuertantur sine præda. Nec locos illos ex Virgilio citaui, vt reprehenderem, dixit poëta: sunt enim ab antiquis excusati: & si defensione egerēt defenderemus: sed vt Maronis auctoritas nos eriperet inquit a labijs iniquis, & à lingua dolosa. Velim critici mihi respōdeāt, an voces à Theodoro Gaza, ab Hermolao, à Politiano nuper inuētæ sint Latinæ. Latinas non esse probat ratio criticorū: quod videlicet apud nullū antiquorū sunt in vsu: solas enī tales volūt esse Latinas. Quod vero Latinæ sint argumēto hoc probatur, quod videlicet formatæ sunt à Latinis ex partibus Latinis, et à dictionibus Latinis deriuatæ, & secūdū regulas traditas à Latinis, hisq; antiquissimis, quorū vnus est Horatius. Nec videtur vera definitio Latinitatis data per criticos, dicētes Latinā esse dictionē, quæ sit in vsu apud antiquos: sed videtur addēdū, vel quæ formata sit secūdū regulas ātiquorū, vel quod apud nouos Latinos sit in vsu: nec enim minor est nouorū Latinorū auctoritas circa vocabula quā fuerit priscorū: quippe qui nouā grammaticam possent condere,

sicut

ſicut antiqui fecerunt, qui nouis vocabulis, nouis declinationibus, nouis caſibus, nouis generibus, nouis coniugationibus veterem grammaticam excluſerunt. Dicebant antiquiſsimi, precipes, ancipes, bicipes, pro quibus poſteriores dixerunt præceps, anceps, biceps. dicebant item lapi, pro lapide. Ennius.

Occubunt multi letho, ferroq́, lapiq́.

Aut intra muros, aut extra præcipe caſu.

Item dicebant hæc amnis, hæc anguis, hæc funis: nos maſculina facimus. Dicebant item hoc ſexus neutri generis: Plautus in Rudente. Virile ſexus numquam vllum habui. Dicebant hic aluus, genere maſculino. Actius:

Maia nemus retinens grauido concepit in aluo.

Tunc pario erat quartæ coniugationis, quod modo eſt tertiæ. Ennius,

Oua parire ſolet.

Similiter & ſapio, quod emittebat præteritum in iui, vt ſapiui: dicebatur etiam tunc ſepelitus, ſicut auditus: nos dicimus ſepultus. Dicebant inſuper bina media: quam locutionem Cicero pertæſus cœpit dicere medietates. Meſſalla reatũ primus dixit: Auguſtus, numerarium. Piraticam velut muſicam non audebant dicere Quinctiliani præceptores, quod in vſu adhuc non eſſet. Terentius primus dixit obſequiũ. Sed exempla non adducã plura nõ quod deſint, cum prope infinita ſint: ſed quoniã alibi ſatis multa congeſsi, & ne ſim oneroſus auditori, illud cõmorare non omittam, Quinctilianum dare quædam antidota volentibus impune vti nouitate: ſunt autem huiuſmodi vt ita dicam, ſi licet dicere, quodã modo permitte mihi. Quid eſt autem antidota hæc docere niſi nouitati viam aperire?

Cũ in vita Diui Georgij quidã litteris intinctus hemiſtichiũ illud legiſſet - Proteum remige Pontum, putans Proteum nomen eſſe primitiuum Dei marini, quod Græce ſcribitur πρωτεὺς fecit vngue ſignum in margine. Tum preſbyter Iohannes Gazoldus noſter, vir litteratiſsimus, qui caſu aderat: quid facis inquit

lepidum caput: putas Proteum esse primitiuum? si primitiuum esset, diceretur Protei Pontum, non Proteum. Continuo pudait hominem semidoctũ, & rubore genarum culpam confessus est. Subiecit Gazoldus, Vinum es omphacinum, quod ex vuis immaturis est expressum, & audes certare tum Falerno. Enarra versum illum Virgilij.

Ilionea petit dextra, læuaq; Serestum.

Ilionea nonne casus est accusandi ab Ilioneus, quod in fine habet Græcã diphthongum, sicut Theseus, Orpheus, Achileus? et tamen penultimam habet longam, nec potest dicere esse possessiuum: est enim nomen proprium viri Troiani. Disce ergo a me hodie, quod preceptorem tuum forte adhuc latet, disce tales casus habere nonnumquam penultimam longam etiam cum veniunt à recto primitiui. Sic Gazoldus, & confestim attulit versum alium ex tertio AEneidos. Idomenea petens. Item alium ex Statio, Pentheumq; trahens: & alium ex Iuuenale.

Perq; tuum pater AEgei Neptune tridentem.

Nomina hæc inquit Ilioneùs, Idomeneùs, Pentheùs, & AEgeùs habent eus diphthongum in fine, sicut Orpheùs: & tamen pænultimam in obliquis, habẽt interdum longam, non apud Latinos tantum, sed etiam apud Græcos propter varia genera linguarum,

Sapientia nostrorum criticorum dicit non reperiri apud ideoneus, inaro verbum, compositũ ex in & aro, aras, qui tamquam rudes pueruli merentur verberari ferula & scutica. quod non legerint Plinium in octauo sic dicentem: Sunt qui iam natas inarent segetes. & in xviij. lib. capite de lupino: Si depastum sit in fronde inarari protinus solum opus est. & in capite xviij. Dicũt etiam habitudinem non esse antiquum vocabulũ, quòd nequaquã dicerent, si Ciceronem in libro quarto ad Herẽnium legissent. ibi enim sic dicit: Nam vt corporis bonam habitudinem tumor sæpe imitatur: ita grauis oratio sæpe imperitis videtur ea, quæ turget & inflata est.

In libris poëtæ nostri est hemistichium hoc in versu pentametro, Abbreuiante dies: quod quidam superstitiose existimantes dicebant breuio verbum apud idoneos non reperiri: habebam tum ego forte in manibus volumē quorundam grammaticorum Mediolani impressorum, quod cum aperuissem primum mihi occurrit opusculum Victorini de metris, vbi sic scriptum erat, il in fine breuiatur: & paucis philyris euolutis, occurrit Seruius de naturis vltimarum syllabarum ad Albinum, & in sex paginis saltim lectitans verbum illud vigesies repetitum inueni: contentus ergo duorum insignium grammaticorum auctoritate, nihil amplius quærendum existimaui.

Sunt quidam qui supra modum se mirantur, & inflati gloriantur se poëtarum familias nosse, domos eorum perlustrasse vsque ad penetralia, vsque ad scrinia, & cum veniunt in conflictum, vt virtutis suæ periculum faciant, vix vestibula vidisse deprehenduntur: & cum se putent esse Achilles, vix inueniuntur esse Patrocli: de horum numero erat qui nuper notare studebat poëtam, quod naturas dixerit numero plurali. Tum Marius Oliuetanus, vir doctissimus atq; ornatissimus, qui facto intererat, dixit.

Hæc fierent, si testiculi vena vlla paterni.
Viueret in nobis?

& adesdum clamauit Francisce, paucis te volo. Erat autem Franciscus Sismundi Cantelmi principis Sorani viri fortissimi filius, puer optime spei & indolis regiæ: cui cum prodysset, meministi ne, inquit Marius, legisse te apud Ciceronem, vel apud Maronem naturas numero pluratiuo? Puer se colligens, aliquamdiu hæsit cogitabundus: mox versus illos ex quarto Georgicorum Virgilij protulit:

Nunc age, naturas apibus quas Iupiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, & reliqua,

Tum Marius, vade iam inquit in rem tuam grammatice tam

præclare

præclare doctus a puero: & da operam litteris: quod si feceris vel Priscianus, vel Caper breui euades.

Quidã ex illorum numero, de quibus dicitur illud Terẽtianũ.
Faciunt ne intelligendo vt nihil intelligant.

cũ nuper legeret Tropei librũ quartũ, incidit in versum illũ,
Mox Capuanæ arcis vexillum in culmine fluctu,

& volens suo sale pultẽ adspergere: credebat enim quidquid loqueretur, sal merum esse: dixit Capuanum apud idoneos nusq̃ reperiri, & debere eum qui Capuæ sit natus dici Campanũ. non Capuanũ. Continuo protuli Valerium Maximum: nam meminẽram in eo legisse Capuanũ & in vltimo capite tertij libri sic legi, Capuanum senatum impij decreti auctorẽ funditus delere cõstituit. & paulo infra, litteras a patribus conscriptis nequaquam Capuanis salutares accepit. Protuli & Stephanũ de vrbibus, in quo sic legitur ad verbum. Capua vrbs Italiæ à Capy Troico, gentile, Capuanus vt Asianus.

Volo heic venturæ criticorum calumniæ paucis occurrere. Poëta in Dionysio ponit Sequanam, qui fluuius est Galliæ, Parisios irrigans, & in Oceanum Britannicum descẽdens, genere fœminino, cum secundum grammaticos nomina fluuiorum sint masculina. Respondeo igitur perquam breuissime, ne tempus inaniter cõteramus. Fecit hoc poëta Ouidiũ imitatus qui in iij. de Fastis li. sic inquit. Hospes Auentinis armentum pauit in aruis.
Clauiger: & tanto est Albula pota Deo.

Et hæc loquendi figura talis est: qualis est cum Terentius dixit, suam Eunuchum, respiciens ad comœdiam: & cum Virgilius dixit, Preneste sub ipsa, respiciens ad ciuitatẽ, non ad nomẽ sic Ouidius & poëta noster ad aquam, non ad nomen respexerũt.

Posuit aliquando poëta adolere, pro crescere: quod qui pauca legerunt damnantes, dicebant adoleo significare tantum incendo Vnde Virgilius in Bucolicis.
Verbenasq̃ adole pingues, & mascula thura.

Ego vero respondebam verbum id vtrumq̃ significare, & incendere

& incēdere scilicet, & crescere quod Lucij Flori testimonio proban,ait enim sic in principio Epitomatis, Si quis ergo populum Romanum quasi hominem consideret, totamq́ eius ætatem percenseat ut cœperit, utque adoleuerit, ut quasi ad quandam iuuentæ florem peruenerit.

Subijciam & hec, magis ut agnoscatur, quales sunt qui poetam vituperant. quam quod sit locus annotatione dignus. Fuit quidam maioris auctoritatis, immo & temeritatis quam doctrinæ, qui volebat sibi credi præcipito verbum esse neutrum, sicut cado, per illud in secundo AEneidos

-& iam nox humida cælo.

Præcipitat, suadentq́ cadentia sidera somnos:

cui responsum est, teste Seruio, poni loco illo præcipitat, pro præcipitatur: quod vero actiue ponatur, sicut poëta noster ponere consueuit, ostenditur per illud Virgilij in ij. AEneidos.

-furor iraq́ mentem.

Præcipitant, Et per illud Senecæ in Hippolito

Et noctem breuibus præcipat rotis

FINIS.

PTOLEMÆI HISPANIOLI, DE LICENTIIS ANTIQVORUM Poetarum,

COROLLARIVM.


E quis fortè putet licentiam Poëtarum intra breuem ambitum locorum istorũ, quos in apologia diximus, limitari, libet aliquantulũ latius euagari, & colligere plures locos, vt memoriæ occurrent, ex immensitate prope infinita licẽtiarum harum, simul vt Scioli isti discant pro quouis minimo delicto vocem non attollendam contra Poëtas. Videmus antiquos Poëtas aliquando &, i, & u, consonantes vertisse in vocales. Horatius. *Nunc mare nunc silüæ*: vbi siluæ est trysillabum. In carmine obsceno scriptum est,

Pallorem, maciemque larüalem: vbi larualem fit quadrisyllabũ. Propertius quoque,

Pristina vota tuo munere dissolüo. vbi dissoluo fit quadrisyllabũ, simile fit in illo Catulli, *Qui zonam solüit diu ligatam.*

Seneca in Hippolyto ponit subiecta quadrisyllabum, & facit ex, i, consonante vocalem in illo versu Sapphico.

Si qua feruenti subiecta cancro est.

Et aliquando ex vocalibus fecerunt consonantes. Virgilius, *Intexunt abiete costas*. vbi, i, &, e, in vnã syllabam cõtrahuntur, & ex dictione quadrisyllaba fit trisyllaba. Similiter in illo eiusdem Poëtæ,

Tenuia nec lanæ.

Idem fit in dictionibus ariete, & pariete, & aliijs multis, cum venit occasio. Simile facit Silius in dictione sinuatis, quam fecit trisyllabam,

Cætera sinuatis glomerat sub pectore curis.

Sic saluantur loca illa secundum Probum grammaticum classicarium.

Qui Latinitati student, debere poni inchoo, sine infinito præcipiunt, nec dicendum inchoo legere, sed iungendum ei accusati-

cusatiuum, vt inchoo librum, contra Lucanus in vltimo,

- longis Cæsar producere noctem.

Inchoat eloquijs. & Claudianus contra Ruffinum in,ij.

Infandis iterum terras incendere bellis.

Inchoat. Dant verò infinitum verbo incipio, vt incipio legere, non accusatiuum. Contra tamen hoc pręceptum venit Virgilius.

Incipe Menalios mecum mea tibia versus.

Videntur etiam dedisse aliquando ipsi,v, vocali vim cōsonantis,vt cum alia consonante longet syllabam, vt in illo Lucretij. *liquor aquarum.* vbi producitur prima in dictione liquor contra leges.

Mutant etiam terminationes nominū. Nam dicunt vallis, cum debeat dici valles in nominatiuo singulari: quod suum diminutiuum ostendit. facit enim vallecula, sicut vulpecula fit à vulpes: huius rei meminit Seruius in,xj. AEneidos,exponens versum illum. *Est curuo amfractu valles accommoda fraudi.*

Item cum quædam nomina vtrunque genus habeant, masculinum scilicet & femininum,vt pauper, hospes, leo: Poetæ tamen per licentiam faciunt declinationis alterius feminina, & dicunt paupera. Plautus, *Paupera est mulier.* Item hospita, dracena, leæna, lea. Similiter cum dicatur hic & hæc nepos, dixerunt tamen Neptis: quod propter successionis discretionem admissum est. Meminit huius licentiæ Seruius in illud duodecimi AEneidos.

Ars fuerat, pauperque domus.

Fuerunt qui posuerunt tribrachum in quincta sede versus hexametri, vt Papinius. *- crebris arietibus vrbem.* & Virgilius in vndecimo.

Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi. Item,

Molli fultus hyacintho. Et Pontanus noster in tertia Vraniæ, capite de lyra & Orpheo.

Et centum geminus Ophialtes: & in prima, vt Virgilius, *Priamides Helenus.* & dactylum in vltima. Lucretius enim ponit omnium in fine versus hexametri, sequēti versu,a, vocali non incipiēte, sic enim posset fieri collisio. Similiter secundum quosdam Virgi-

Virgilius: Nam versum illum in Georgicis.

Et spumas miscent argenti, ac sulfura viua, volunt sic legi:

Et spumas miscent argenti, viuaque sulfura.

quibus & Seruius assentitur ac Macrobius. Similiter & illum in sexto AEneidos.

-quin protinus omnem Perlegerent oculis: volunt legi debere: *quin protinus omnia:* & hos versus vocant dactylicos.

Ionium scribitur per ω mega: tamen Virgilius breuiat eam syllabam: vt,

Ionio in magno.

Orichalcos habet diphthōgum ει. in secunda syllaba, & tamen breuiatur ab Horatio in poetica.

Tibia non, vt nunc, orichalco iuncta, tubaque. & Virgilius finit sic versum in lib. AEneidos.

-alboque orichalco.

Dicit Hermolaus se putare Etruscos dictos ab Atria, quæ aliter dicitur Adria: vnde sinus Adriaticus: & licet ea dictio scribatur cum diphthongo: tamen breuiat primam Martialis:

Quantum sollicito natura parentis Etrusco.

Sunt quoque qui putent eos dictos ἀπὸ τῆς αἰθέρας: quod æthera propter auspicia considerent. vbi est similis ratio producendi primam propter diphthongum. Martialis in septimo.

Hæc est illa tibi promissa Theophila cani.

producitur o micron in Theophila, nisi recurratur ad licentiam, quæ in proprijs est nominibus, peccatum est vel ponitur tribrachus pro dactylo.

Sithonia pars Thraciæ teste Stephano: vnde fit gentile Sithonius, Sithonia, Sithonium, & scribitur per ω: tamen Virgilius breuiat.

Sithoniasque niues hiemis subeamus aquosæ.

AEmonia scribitur à Græcis per ω. αἱμωνία: tamen Poetæ Latini breuiant mediam syllabam eius dictionis. Ouidius.

Tiphis in AEmonia puppe magister erat. Item:

Pelion AEmoniæ mons est, obuersus in Austros.

Item verbum φέρω fero quod per ω scribitur, nos breuiamus. similiter δύω duo. sed hoc defendi potest, quia secundum communē linguā scribitur, non per ω mega, sed per ο micron.

Idem fecit Virgilius in Orion, cuius prima est longa, *nimbosus Orion.* vbi dicit Seruius ex ου diphthongo Græca, cum qua olim nomen id scribebatur: nam Vrion dicebatur, dempta secundam literā scilicet υ. & remansisse ο micron, quod est breue. dum ergo Poëtam purgat vno crimine, coinquinat alio, Græci tamen Orion per ω magnum in principio scribunt.

Virgilius in Ciri, in scoria breuiat primam syllabam, quæ per ω magnum scribitur à Græcis.

Sordibus & scoria patiar tabescere tali.

Epar quoque scribitur per η à Græcis, tamē Latini breuiant primam eius syllabam, vt illud in medicinalibus.

Inter ter ternas absynthi potio luces
Curat epar, coniungatur modo Gallica nardus.

Crepida scribitur similiter per, η, & tamen Persius breuiat. *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit.* Et Catullus

- *& crepidas lingere carpatinas:*

vel vt aliqui legunt *coprotinas*, à κόπρος quod est stercus.

Similiter pater, mater per η scribuntur: tamen à Latinis breuiantur. Aer videtur seruasse longam vltimam syllabā, & eam plerique obseruauerunt propter η Græcum: Claudianus tamē id contempsit cum dixit.

Lucidus vmbroso miscebitur aër Auerno.

Et hoc exemplo Poëta noster aër & æther breuiauit: quod Probus grammaticus non improbat: ipse enim in libro de Institutis artium ad Cælestinum sic inquit. Nominatiuus singularis, r. littera terminatus in omni genere Græcis, Latinisque nominibus breuem habet: Grçcis, vt Hector vbi est. Latinis, vt ager ille malus. sic Probus ad verbum. Idem sentit & Victorinus Hieronymi prçceptor, qui Romæ in foro Traiani statuam meruit. ait enim sic. Quidquid in, r, finitur genere masculino breue est. Et per hoc criticis sit responsum, qui hoc in Poëtam nostrum crimen impingunt.

Hector quoque per ω magnum scribitur, à Græcis, nostri

nostri tamen breuiant. Ouidius,

Hic alacer missos terruit Hector equos. & Virgilius,

- decimum quos distulit Hector in annum. Silius in,xiiij cõtra morem produxit primam dictionis Cosyra.

Et bellare Tabas docilis, Cosyraque parua.

Scribitur enim per,o, micron. Vide Stephanũ de Vrbibus. Romphæa pænultimã producit. Valerius Flaccus in sexto breuiat.

Æquaque nec ferro breuiór nec rhomphæa ligno.

Nemo est qui nesciat chorea & platea scribi à Grȩcis cum diphthongo ει in penultima, & tamen antiqui Poëtæ nostri breuiant eam in vtraque dictione, quandocunque aliqua minima etiam difficultate laborant. Tibullus,

Hæc choreæ cantusque vigent. Catullus,

Istos qui in platéa modo huc, modo illuc. Ouidij est hemistichion,

Orpheon esse ratæ. vbi Orpheon accusatiuum ponit, non secutus Latinos, neque Grȩcos. Latini namque Orpheum, Græci vero Orphea dicunt.

Horatius, qui tam emunctȩ naris esse videtur, Grȩcam ortographiam minimè obseruauit: illi enim ptissana, quod est hordeum decorticatum per duplex,σ σ, scribunt, vt notat Theodorus in ortographia: ipse autem primam eius dictionis breuem ponit.

Quid cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.

Lacus scribitur à Grȩcis per duplex κ λακκος tamen Latini breuiant primam. Virgilius in Geor.

Atque arguta lacus circum volitauit hirundo.

Item grabatus scribitur à Grȩcis per duplex,b, Latini tamen breuiant primam. Virgilius in Moreto.

Membra leuat sensim vili demissa grabato.

Item Horatius, qui clamat: *vos exemplaria Græca,*

Nocturna versate manu versate diurna.

Et qui gloriatur se obseruasse ad vnguem mores & leges Græcorum Poëtarum notatur ab Attilio Fortunatiano, quod in carmine illo choriambico

Lydia dic per omnes

recesserit ab Alcæo, pro iambo spondeum infarciendo.

Iuuenális longat secundā in phrenesis. Q. Serenus breuiat.

Ex vitia capitis phrenesis furiosa mouetur:

quanquam non phrenesis, sed phrenitis dici debeat, sicut & pleuritis non pleuresis.

Propertius in secundo breuiat primam in Electra, quā Virgilius producit.

Electra, vt Graij perhibent, Atlantide cretus.

& Ouidius in iiij. Fastorum.

Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum.

& rectè quidem: nam per η scribitur à Græcis, quæ vertitur in e longum: quod videtur Propertius contempsisse.

In Cous primam longat Propertius. *Callimachi Manes, & Coi sacra Philetæ.* & Ouidius,

Si Venerem Cous numquam pinxisset Apelles.
Illa sub æquoreis nuda lateret aquis.

Tamen Papinius breuiat in prima Silua, ni malè memini.

- hunc ipse Coo plaudente, Philetas.

Macer, si tamen ille liber Macri esse credendus est, breuiat secundam in clystere, quæ per η scribitur à Græcis. ait namque sic,

Appositus digitis aut intus clystere missis.

Græci scribunt Ganymedes per duplex n n. Latini verò per vnum, & primam syllabam breuiant. Virgilius in primo AEneidos, *- rapti Ganymedis honores.*

Virgilius in tertio AEneidos.

Infandi Cyclopes, atque altibus montibus errant.

Et paulo infra.

Lustra, domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas.

longat & breuiat secundam in Cyclopes, quæ scribitur per ω Quidam tamen iuniores, qui Græcas litteras venerantur, versum Virgilij correxerunt, & loco atque, ponentes, &, imprimi fecerunt:

Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.

Sed hi mihi videntur fuisse parum cauti: Accidit enim eis, quod dicitur:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

sic namque scribentes cæsuram semiquinariam, & semiseptenariam tollũt è versu, quod vitium videtur maius quam longam syllabam breuiare. Quod si dicant posse fieri metrum sine cæsuris: Respondeo posse id fieri: vitium tamen esse. vnde Terentianus inquit,

Rarum concedam: fieri non posse negabo. Respondeo item syllabam longam breuiari, quod itidem vitium, & iudicio multorum minus vitium, quam prætermissio cæsurarum, cum minus recedat ab euphonia, ratione cuius cæsuræ obseruantur. Et tanti erat euphonia apud antiquos, vt, (quod sæpius dixi in apologia) solo iudicio aurium regulas grammaticorum cõculcarent. His ergo pensitatis, li, quæ à nona annotatione ponuntur, vsque huc percurrantur, videtur satis esse Poetæ, si vel regulis, vel aliquo probato auctore nitatur. vnde sit vt mirer, cur Hermolaus Sidonium Apollinarem vsque adeo insectetur, vt propter huiusmodi licentię vsum dicat eum litteras Græcas non sciuisse. Accusat eum quod corripiat primam in phonascus, & producat secundam in syllogismus: quod breuiauerit penultimam in Heraclitus, & primam in Ctesiphonte. item pænultimam in diastema, & primam in Iohannes. Si enim antiqui reperiuntur breuiasse η & ω mega, & diphthongum, vt puta in Virgilio & Persio magnis auctoribus: cur hoc neotericis imputatur? Si antiqui, vt breuient syllabas, destruunt diphthongos, vt in dictione AEneas, ex qua abijcitur iota: vt,

AEneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

Si hæc inquam, multaque alia similia faciunt, & impune: cur pro huiuscemodi delictis iuniores quotidie in ius trahuntur? Si pro his culpis pœna infligenda est, qui prius peccauerunt, prius puniantur. Et hæc quoad Græcas dictiones pauca dixerimus.

De dictione autem Iohannes quod scribatur apud Græcos per ω magnum, non est negandum. Est tamen dictio Hebraica, sic à Græcis mangonizata, & ortographiæ Græcę partim sine ratione, partim contra rationem subiecta. Cur enim

per ω magnum ſcribi debeat, magis quam per, o, paruum, ratio non apparet: quæ ſi vlla eſſet, petenda eſſet ab Hebræis, non à Grecis. Hanc tamen rationem aſſignabat Poëta noſter, quod ea dictio, ſcilicet Iohannes, ſcribitur ab Hebræis cum vau, & holem: nam vau litera cum puncto quod dicitur holem ſuperpoſito ſonat o. & eſt de maioribus vocalibus apud eos: habent enim quinque magnas, & quinque paruas vocales, ſi tamen puncta illa licet vocales appellare: nam Iohannes Reuchlin, qui grammaticam Hebraicam fecit Latinam, puncta illa non vocales, ſed voces appellat. In dictionibus ergo externis, vt ex ſententia Priſciani principis grammaticorum dixi in apologia, non videtur habēda ratio Grecę ſcripturę: quod vnico, ne ſim longior, pateſiat exemplo. Scribunt Grçci Ariminum per, ει, diphtongum in penultima ſyllaba. vide Stephanum de Vrbibus. breuiat tamen Lucanus illā ſyllabā: ait enim ſic in primo.

Vicinumque minax inuadit Ariminum: & ignes.

Quod vero fiat à Grçcis hoc nomen quadriſyllabum, non inficiamur: non ſunt tamen in hoc ſequendi, quando intelligimus in propria lingua eſſe triſyllabum. Vulgare namque prouerbium eſt, non ſequenda veſtigia, cum lupum videmus. Iungitur enim apud Hebręos in hac dictione i cum o, & fit conſona: ſicut in dictione iocus apud nos. Quod item ſine aſpiratione ſcribatur pęnultima eius ſyllaba, vt ſcribunt Grçci, eſt contra rationem: habet namque manifeſtam aſpirationē, cum per ahet ſcribatur ab Hebręis. Vnde, teſte Hieronymo in libro quęſtionum Hebraicarum, ſeptuaginta interpretes, qui ſub Ptolemæo Philadelpho legem Moſis ex Hebręo in Græcum tranſtulerunt: pro chet littera Hebraica, quę duplicem, ſeu maiorem importat adſpirationem, χ Gręcum, quod aſpirationem habet poſuerunt. Id patet in dictione Rachel, quę ſcribitur ſine c. apud Hebreos, ſicut nihil, & mihi apud nos. Vnde ſi vellemus ſeptuaginta imitari, ſcriberemus Iochannes per ch. ſed melius eſt more noſtro adſpirationem interponere, quam more Grecorū non adſpirare. Hermolaus ergo reduxit id nomen ad canones Grecos: quia neſciuit Hebraicos, qui ſunt indices harum dictionum.

Satis

Satis imprudenter nonnulli ex litterarum Hebraicarum ignorantia reprehendebant Poëtam nostrum, quod Nemrod, & Mamre nomina Hebraica sine b. inter m & r. contra Latinorum & Gręcorum consuetudinē scriberet: quibus ipse prolato codice Hebraico confestim satisfecit. Viderit ergo quisque quid garriat, ne in eum dicatur illud prouerbium, Sus mineruam: & supra crepidam ne adscendas.

Solent etiam truncare dictiones, & litteras longas in breues mutare, vt testis est Seruius in illud octaui AEneidos.

Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant.

Ait enim sic, Tarcho nominatiuus est de Gręco veniens, ab eo quod est Tarchon, perdito n, & ω, mega muta in o micron, vt ἀπόλλων Apollo πλάτων Plato. sic Seruius.

Papinius quoque idem fecit in dictione Agamemnon: dixit namque,

-stimulatque Agamemno volentes.

Fecit idem & Poëta noster in Agelarijs, vbi Laco vltima breui pro Lacon posuit.

Sidonius in panegyrico Maioriani dicit:

Attis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon oliuum.

eo loco Baptista Pius accipit Lacedæmon pro Lacedęmonio, vt apud Vegetium lib. iij. Athenienses, & Lacedæmones, ac Macedones rerum potitos prisci testantur annales. ibi aliud noto. Lacedæmon enim per ω, scribitur: & tamen breuis ponitur, non seruata reuerentia linguę Græcanicę.

Puteus habet primam breuem. Virgilius.

- aut puteis manare cruor cessauit.

Ouidius tamen in xiiij. dicit.

Puteolosque sinus, Messapiaque arua reliquit.

Puteoli enim locus prope Neapolim dictus est à puteis.

Idem Ouidius ij. Metamorphoseon,

Sors mea principijs fuit irrequieta, pigetque
Actorum sine fine mihi.

Videtur iungere piget cum mihi.

Propertius in ij.

Non Amphiaraæ prosunt tibi fata quadrigæ:

producit secundam syllabam in Amphiareæ, vel ponit tribrachum cum dactylo.

Virgilius in primo AEneidos,

Aurea composuit sponda, mediamque locauit.

fecit synæresim trahendo e & a in vnum, & fecit spōdeum: vel amphimacrum. vt alibi:

Insulæ Ionio in magno.

In antecedenti versu, vbi legitur.

Cum venit: auleis iam se regina superbis,

ponitur impropriè cum particula: non enim indicatiuo, sed subiunctiuo debet iungi. vel ponitur venit, pro veniret: vel ponitur cum, pro dum. & dicit Seruius, cum & dum apud Latinos malo errore esse confusa. Priscianus in translatione Dionysij.

Continuoque iacent Gymnasiæ: has Baleares. producit secundam in gymnasiæ, quam alij corripiunt: breuiat diphthōgum per sequentem vocalem, & non facit debitam collisionem.

Ponunt etiam tempus pro tempore. Virgilius in Georgicis.

Quam, quibus in patriam ventosa per æquora vectis.

ponit enim vectis, pro his qui vehuntur. Similiter ponitur orsus, pro eo qui incepit loqui: vt Virgilius, *sic Iupiter orsus:* & pro eo quoque qui finiuit loqui: vt Virgilius,

- sic orsus Apollo.

Mortales medio adspectus sermone reliquit,

vt notat Seruius.

Virgilius in xj.

Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:

vbi Seruius dicit bellantur, pro bellant. & in Georgicis.

- & placidam paci nutritor oliuam.

vbi dicit Seruius futurum tempus à passiuo poni, pro præsenti ab actiuo: atq; ita duplex est vitiū, dum scilicet genus pro genere, & passiuum pro actiuo, & tēpus pro tēpore vsurpatur.

Sidonius Apollinaris de laudibus Consentij & Narbonæ ciuitatis.

Hoc centesima laudium tuarum.

Omnes alij dicunt laudum, ipse addidit i, satis licentiose.

Item

Idem Priſcianus in tranſlatione Dionyſij,

- Procurrens Pachyno longe. & paulo infra.

Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynuſque ſub ortum.

in quibus locis corripit ſecundam in Pachynus, quam omnes alij produxerunt. & dicit Lilybe pro Lilybæo per apocopē.

Idem ibidem.

Qui Syriam medius deſterminat Arabiamque, producit primam in Arabia, quam alij corripiunt.

Virgilius in xj. AEneidos.

- lachrymis ita fatur obortis.

Tene inquit miſerande puer cum læta veniret.

Cum ſuperius dixiſſet fatur: ſuperfluum certe eſt, inquit, & id addidiſſe videtur inaduertenter. quod critici noſtri in quouis neotericorum deriderent.

Virgilius ectaſim fecit in illo verſu.

Exercet Diana choros:

producit enim primā in Diana, quę breuis eſt natura. Item in illo.

Italiam fato profugus:

nam Italia habet primam breuem, vel poteſt dici ponere tribrachum pro dactylo. Similiter Propertius.

Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

vbi producit primā in Arabię. Cum omnes fere Poetæ producant ſecundam in Latona, vt Virgilius.

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus,

tamen Papinius in primo Thebaidos breuiat, loquens enim de Apolline inquit.

Latonidem votis iterumque, iterumque canamus.

Facit Lucanus ſyſtolem in dictione Edonis.

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

nam Edonis habet mediam longam. Idem in dictione Fidena, Virgilius. *- vrbemque Fidenam.* Item Iuuenalis in ſatyra,

- Cum poßis honeſtius illic:

nam poſſis habet vltimam longam. E quoque aliquando ſequente alia vocali ſupprimitur à Poetis, vt dicit Priſcianus in vij. in cap. de Caſibus quartę declinatiōis. Virgil. in Georgicis,

Seu

Seu lento fuerint aluearia vimine texta,

Claudianus de laude Serenæ,

Theodosius, priuatus adhuc.

Propterea dicit Victorinus ex quatuor syllabis breuibus fieri aliquando spondeum : vt genua labant. vbi prima e supprimitur. Iuuenalis.

Incude, & luteo Volcano.

vbi luteo est dissyllabum. Virgilius in vi. *Ferreique Eumenidum thalami.*

Probus dicit Virgilium corripuisse secũdam in feruere, quia tertiæ est cõiugationis: et simili modo corripuisse fulgere, cum tamen sit secundæ.

Ille autem, paribus quas fulgere cernis in armis.

quod non nisi licentiæ vel negligentię potest adscribi. Seruius tamen deriuat à fulgo, quod Virgilium taxare non audeat. Lactantius in libello de phœnice ponit duodecies quadrisyllabum.

Duodecies vndis irriget omne nemus.

Epentesim sæpissimè faciunt antiqui medias augendo dictiones, vt patet cum dicunt Induperator, pro Imperator: Indugredi, pro ingredi, quo vtitur Lucretius: & noster Pontanus cœlituum pro cœlitum: alituum, pro alitum. Item cũ addunt vnũ t. in rettuli, & in quattuor: & l. in pollypus, & in relligio, & in relliquię, & in Cybelle: & a, in trabaæ, Virgilius. *tribulaque trabaæque.*

Addit & Virgilius t, in dictione Pattagia. Similiter n, in Porsenna. Nam Seruius in illud octaui AEneidos.

Tarquinium eiectum Porsenna iubebat.

dicit ad producendam syllabam, n, adiunctum. Propertius addit r, in dictione Perrhæbi. Et similiter Ouidius in xij. Metamorphoseos,

Perrhæbum Crenea vidi. Cenea Perrhæbum. Est autem Perrhæbus ciuitas Thessalię, quę per simplex r scribitur à Gręcis, & habet primam breuem. Vide Stephanum de Vrbibus. Lucretius, vt longet breues syllabas in reficit, duplicat ff: in recidere duplicat cc. in reducit duplicat dd. Papini⁹ ĩ syluis diuidit dictionẽ huic.

Lætus

Lætus huic dono videas dare iura nepotes.

Similiter Paulinus:

Cum subito aut illis corda hostibus, aut huic ora.

Idem diuisit cui.

Conscia seruitij quid gesseris, & cui tandem.

In dictione quoque Pleiades abijcit e, & i retentam breuiat. Idem coniungit e cum i.

Ast alius pictis accendit lumina cereis.

Idem, sibi ipsi contrarius, primam dictionis Ilissus modo corripit, modo producit.

- riparum incuruus Ilissos. Et alibi.

Celauit Geticos ripis Illissus amores.

Id autem nomen fluuij Musis sacri in Attica. Dicit Beda quosdam resoluisse r litteram in duas litteras, scilicet in se, & in e, vel in i, & dixisse interesfectus, pro interfectus: intericeptus, pro interceptus. Prudentius in Psychomachia.

Palpitat atque aditu spiraminis intericepto.

& hoc dicit factum, vt r minus dure sonaret, quod pertinet ad Euphoniam, sicut & illud:

- atque immitis Achilli, pro Achillis. & cum dicit Virgilius olli, pro illi. Priscianus adducit versum Ennij, in quo producitur secunda in annuit, licet sequatur vocalis.

Annuit sese mecum decernere ferro.

Catullus diuidit au diphtongum: & ex vna syllaba facit duas breues.

Si linguam clauso tenes in ore. Item:

Verbosa gaudet Venus loquela.

facit trisyllabum clauso, & gaudet. Lucretius in iiij. diuidit œ diphtongum: licet quidam eius nouus corrector ad id euitandum addiderit coniunctionem que. Vetus lectio sic habet, *Premere ac siccare cœpit*: ipse autem sic mangonizauit, *Premere exsiccaréque cœpit.* Aliquando faciunt synalœpham: vt, *Ille ego.* Aliquando non: vt, *vale, vale inquit Iola.* Aliquando breuiant vocalem longam, quę suscipitur à vocali sequentis dictionis.

Insulæ Ionio in magno. Item:

Te Corydon ô Alexi. Item:

Credimus

Credimus an qui amant.

vbi duplex vitium est: & quod synalœpha præteritur, & quod longa breuiatur. Aliquando prætermissa synalœpha vocalis longitudo seruatur. vt, *Aoniæ Aganippes.* & secundũ Bedam in illo versu Virgilij in primo Georg.

Sit pecori: apibus quanta experientia parcis.

sic enim ipse legit sine atque. Item in illo.

Antiqua cedro, Italusque, paterque Sabinus.

Victorinus dicit vocalem dichronam modo corripi, modo longari in eadem dictione. Virgilius.

Hic amor & studium.

hic *mor* corripitur.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

hic *mor* producitur: quod addidi propter quosdam, qui dicunt talem vocalem in eadem dictione poni semper eodem modo: licet in diuersis modo longa, modo breuis poni possit.

Catullus: *Non, ita me diui, vera gemunt, iuerint.*

pro iuuerint. Syncopa iudicio meo duriuscula. breuiat quoque primam dictionis *iuerint*, quæ natura longa est, ipso teste: nam alibi dicit:

Non possum reticere, Deæ, qua Mallius in re.

Iuuerit, aut quantis iuuerit officijs.

Iambum in secundo loco ponit Valerius Flaccus:

Sed qualis & quanta viris. Item Silius Italicus:

Ni decoris adsint. Lucanus quoque:

Dum sanguis inerat. Item Virgilius:

Drymoque Xanthoque. Item idem:

Eurique Zephyrique. Ouidius:

Sideraque ventique nocent. Item idem:

Sarculaque rastrique graues. Idem:

Eurytidos Ioles. Virgilius:

Liminaque, laurusque Dei.

Et hoc videtur excusari per cæsuram, vbi productio spiritus in pronuntiando, defectum quantitatis supplere videtur, & hoc commento Poetæ excusantur.

Antiqui s nõ pronunciabant: vt, *dignu loco*, pro *dignus loco*: sed

Seneca

Seneca tales coactiones pronũtiari iubet, cõtemta auctoritate antiquorũ. quod facit cõtra eos, qui sunt antiquitatis nimium studiosi.

Ausonius longat primam in Diogenes contra leges.

Diogenes obijt. non obijt, sed abit.

Aliquando etiam apud antiquos sequens vocalis breuiat diphthongum. Pontanus noster in Meteoris:

Vt cum Mæoniæ in campis vada ad alta Mæandri. Virgilius:

-sudibusque præustis. Idem:

-frenisque aduersa prehensis. Idem:

-flerunt Rhodopeiæ arces. Terentianus dicit poni creticũ pedem, qui aliter dicitur amphimacrus pro dactylo, vt illo loco:

Insulæ Ionio in magno. & item illo:

Solus hic inflexit sensus: (batur.

quia hic est lõga, quod ab antiquis hicce per duplex cc scribe-

Similiter de syllabam natura longam Virgilius corripit.

- vnda dehiscens. & o longum Virgilius breuiat.

- sub Ilio alto. Idem:

- imponere Pelio Ossam. Ouidius:

Quod tibi donaui perfide littus emi.

In Epistola Didonis ad AEneam: vbi primã in emi breuiat contra legem. Idem in ix.

Hic Cacus horrendum Tiberino gurgite monstrum.

vbi breuiat primã in dictione Cacus: quã Virgilius in octauo sæpius ponit longam: vt, *Semihominis Caci.* Et paulo infra.

At furis Caci mens effera.

Hinc patet licentia quę in proprijs est nominibus.

Ponũt primitiuum pro deriuatiuo. Virgilius in quarto AE-

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto. (neidos.

Dardanus, pro *Dardanius.*

Solent etiam duo u u cogere in vnum, Virgilius.

Quæ gratia curruum. Martialis:

-duo millia passuum.

Duo ii in vnum, Virgilius:

Dijque Deæque omnes. Martialis:

Desijt fingere Cælius podagram.

Martia-

Martianus Capella producit primam Adonis.
Hammon arentis Libyes & biblios Adon.
ponit autem Adon pro Adonis: vbi eſt apocope. Virgilius breuiat eandem.
Et formoſus oues ad flumina ponit Adonis.
Ouidius in iiij. Faſtorum breuiat primam in calones, quam alij producunt. Claudianus producit primam in nomine Darij, vel Darei.
Dareum famulis manibus doluiſſe peremtum.
Sidonius ad Felicem breuiat.
Et primum Darij tumultuantes. Hendecaſyllabus eſt verſus: vbi etiam ſecundam eiuſdem dictionis breuiat contra legem.
Propertius in ſecundo breuiat ſic,
Non ſic Electra ſuum ſaluum cum aſpexit Oreſten.
Paulo poſt producit in eadem Elegia.
Non ſic incolumem Minois Theſea vidit.
plerique omnes producunt. Virgilius in xj.
Sic ait, & paribus Meſſapum in prælia dictis, Idem in xij.
Sic omnes amor vnus habet decernere ferro.
Sidonius in panegyrico Soceri.
Vltima iam claros quærunt poſt damna Ticini.
breuiat primam in Ticini, alij producunt. Idem breuiat primam in ſtipendio ad Lampridium.
Poſsit fœdere ſub ſtipendiali.
Alibi longat. *Quæ captiua dedit quondam ſtipendia Barce.*
Similiter Catullus ponit longam: Ouidius breuiat primam in dictione Catullus.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.
Ipſe autem Catullus producit.
Otium Catulle tibi moleſtum eſt.
Idem Catullus producit ſecundam in tepefacio, quam alij breuiant.
Alta tepefaciet permixta flumina cæde.
Elegia primas duas breuiat. Ouidius in epiſtola; Sapphus longat:
Flendus amor meus eſt, elegia flebile carmen.

Hoc versu tamquam monstro exterriti grammatici discordant. Georg. Merula vult legi, non elegia, sed elegi, ab eligo verbo: alij diuidunt diphthōgum Græcam, quę est in pænultima syllaba, scilicet ει, & legunt elegeia, *vt Priameia*. Verum heic quoque duplex est diuisio, scilicet diphthōgi, & productio vocalis ante vocalē: producitur enim e ante i, vel erit tribrachus pro dactylo. Sed vt ostendamus viam euadendi ex istis angustijs, aduertendum est secundum linguam Ionicam mutari aliquando ει diphtongum in ηι. vt in locum ε micri vel parui succedat η, quę cōuertitur in e longam: cui cum succedat iota, quę de diphthōgo subtracta per se facit syllabam, fiunt ex vna diphthōgo duę syllabæ, quarum prima iure prolōgatur: & sic legendum erit locis supradictis elegeia quinque syllabarum, quarum duę primę sunt breues. Sic saluatur versus eiusdem Poetæ in vj. Meta.

Et Nelea Pylos, nec adhuc Pitthēia Troezen. Nam quia Troezen dicit esse dissyllabū per œ diphtongū, quę est in prima syllaba: scribitur enim Græce τροιζην oportet eadem ratione dictionem pręcedentem augere, & Ionice soluere diphthōgum ηι in ει, & sic resultabit Pittheia quadrisyllabum. Sed plerique omnes codices antiqui sic habent vt prędixi: & sic citatur ille locus à Pompilio diligentissimo grammatico in libello, quem nuper scripsit de metris.

Est etiam in principio tertij libri amorum Ouidij similis versus.

Venit odoratos elegia nexa capillos.

vbi plerique diuidunt diphthongum & scribunt elegeia, vt ante dictum est. Silius in xiij. Punicorum primam in Pelio breuiat: alij longant.

Ossaque cum Pelio, cumque Hæmo cesserit Othrys.

Priscianus in Dionysium Antiochensem,

Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta.

lōgat primā in beryll⁹. Prudētius in Psychomachia breuiat.

Hinc tibi sapphirum sociauerat inde Beryllum. Virgilius.

-mæstamque Eriphylen. At Tibullus aliter:

Eriphyle Phœbo grataque quod monuit. Virgilius.

Qui Cerete domo, pęnultimã producit in Cerete: alibi corripit.
- prope Ceretis amnem.
Est locus in Virgilio, quem nullus commentatorum, quos legi, visus est aduertere: iiij. enim Georg. dicit.
Magnanimosq́ue duces, totiusq́ue ex ordine gentis, vbi breuiat primã in dictione totius: fecit ergo systolem: vel us abijcitur, vel secunda syllaba secatur per medium, id est, ti & t, iungitur cum prima, vt dicatur tot: & i iungitur cum tertia, & fit consonans, vt dicatur ius: sicut Probus dicit fieri in ariete & pariete: & sic totius erit disyl..bu.. .
Primam dictionis Catholicus, quę natura breuis, Sidonius contra Claudianum prolongat.
Si quæ Catholicam fidem lacessunt:
hendecasyllabus est versus. Virgilius in x.
- noua gaudia Cydon. at in xij.
Partbus, siue Cydon.
nunc primam in Cydon breuiat, nunc extendit. Virgilius:
Conuulsum remis rostrisq́ue stridentibus æquor.
i breuiat primam in stridentibus contra legem.
Iuuenalis: *- & sonat vnctis strigilibus.*
longat primam in strigilibus, quam breuiat Persius:
I pucr & strigiles Crispini ad balnea defer.
Cupido generis masculini sumitur pro filio Veneris. Horatius.
Quam volat circum Iocus, & Cupido.
generis vero feminini est effrenatus habendi appetitus. tamen Seneca in Hippolyto actu secundo dixit:
- nullus his auri fuit.
Cæcus Cupido:
ponit enim masculinũ pro feminino. Virgilius dicit modo hic cortex, modo hæc cortex in Bucolicis.
Tum Phaëthontiades musco circumdat amaræ
Corticis. in lib. AEneidos. *- raptus de subere cortex.*
Q. Serenus. *- quem fundit tilia succum*, longat primam in tilia: alij breuiant. Ouidius:
Quoq́ue minus dubites tiliæ contermina quercus.
Auso-

Ausonius: *I, tineas, cariemque pati te charta necesse est.* primam in tineas breuiat, quam producit Q. Serenus.
Natura interno cum viscere tinea serpens.
Catullus & Horatius producunt primam in dictione inulus: Propertius longat.
Atque inuli pellis totos operibat amantes.
Lucanus in sexto.
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelat.
extendit primam Typhonis: Martianus Capella contrahit, *-Fortemque Typhonem.*
Virgilius: *Mater Cyrene, mater quæ gurgitis huius.* producit primam in Cyrene: Catullus breuiat.
Laserpiciferis iacet Cyrenis. hendecasyllabus versus est.
Diuidere diphthongum Grecum ai, familiarissimum est antiquis, vt Lucretio. *ponunt enim animai, pro animæ: vitai pro vitæ: materiai, pro materiæ.*
Est etiam apud Virgilium, *- pictai vestis & auri.* vbi duplex est vitium: diuisio scilicet syllabæ, & productio vocalis ante vocalem.
Iuuenalis: *Additur imperijs Hispania, Pyrenemq; transilit:* producit primam in Pyrene, quam corripit Tibullus. *- tua bella Pyrene, Testis, & Oceani litora Santonici.* & Lucanus in quarto:
Tamque Pyreneæ quas numquam soluere Titan.
Sidonius in panegyrico Maiorani.
Texta Nabathæum pro remo sulcat Hydaspem. producit ba, in Nabathæum: Ouidius breuiat.
Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit.
Sidonius ad Felicem.
Philoctete tibi dedit pharetram. producit primam in Philoctete: Virgilius breuiat.
Parua Philoctete subnixa Petilia muro.
Sidonius: *Vel Taurominitana quos Charybdis.* producit secundam in Taurominitana: alij breuiant. Iuuenalis:
Taurominitanæ rupes.

Horatius in Sermonibus breuiat primam in pituita.
Lenta ferat pituita vides. Persius producit in satyra secunda.
Somnia pituisa qui purgatißima mittunt.

Vltimam dictionis palus breuiat Horatius, quam alij longant. Virgilius:
Limosoque palus obducat pascua iunco. Et in sexto.
Fata obstant tristique palus innabilis vnda.

Victorinus quoque producendam arbitratur. eius hęc verba sunt. In genitiuo cognoscuntur nouissimę syllabæ plerunque nominatiui quales esse debeant: vt est paupertas & palus. tas enim ideo longa est, quia genitiuus producit eam: dicimus enim paupertatis, ta producta, & paludis media syllaba producta.

Martialis:
– Aequalis liber est critice qui malus est:
longat primam in criticus, quam breuiat Horatius:
Vt critici dicunt, leniter curare videtur. Virgilius:
Claudit nos obijce Pontus.
longat primam in obijce, quam breuiat Silius in quarto:
Et fidos certant obices educere silua.
Actius contra legem breuiat primam in verbo procuro:
Exercent epulas læti, famulosque procurant.
Propertius:
Hæc quoque profecto ludebat Iasone Varro: producit primam in profecto, quam breuiat Statius in duodecimo.
Huc ego te coniux ad debita regna profectum. Sunt tamen qui versum Propertij aliter legãt, & loco profecto supponãt perfecto. Vult enim dicere Varronem perfecto, id est, finito Iasone, id est, libro de Argonautis, quem conscripsit, ad elegos versus redijsse.

Ouidius breuiat primam in sopitus:
Purpureo iacuit semisopita toro:
quod est contra leges: licet nonnulli contendant semisupina corrupto textu supponendum: alij vero semisepulta. Sed hæ sunt industrię coniecturales, quibus tolli possent ex Poetis omnes figuræ. Sic enim dici posset in Virgilio legendum non esse.

esse. *Connubio iungam stabili: sed coniugio*: quod ęque dici potest. Legendū est ergo sicut habent vt plurimū textus antiqui manu scripti: nec corrigendi sunt auctores, sed librarij. Est quidem versus huic similis in fine tertij libri de Arte in quo conuenientissimè legitur semisupina, ait enim.

Cum iacet in dextrum semisupina latus.

Sed huic versui, qui est in elegia, qua consolatur puellam, cui comæ deciderant magis conuenit semisopita, legitur nāque sic, & sic habent codices etiam impressi.

Sæpe etiam nondum digestis mane capillis

Purpureo iacuit semisopita thoro.

Est apud Martialem versus.

Nouerunt cui seruiunt leones.

in quo ponit secundo loco spondeum pro dactylo: vel secundum quosdā diuidit, cui, in duas syllabas, & breuiat i, quę natura longa est. Vide quantum licentiæ sibi vsurpet. Hoc si facerent nostri æui poetæ, credo dicerentur litteras nescire.

Academia ponitur a poetis secunda breui: vt.

Atque inter siluas academi quærere verum.

Cicero tamen longam ponit.

Inque academia nitida, nitidoque Lycio, vel *Liceo*.

Sidonius Apollinaris in epithalamio Polemij primā dictionis Thales longat, more poetæ nostri, licet alij breuient.

Thales hoc etiam numeris inquirit & astris.

Idem ibidem

Quantus Anaxagoras Thaletica dogmata seruat.

Claudianus:

Mergit se subito vellitque coralia Chloe.

breuiat primam in coralia, quam longat. Q. Serenus:

Coralium vero si cocto nectare malis.

Sidonius in epithalamio Ruritij breuiat candē, & eā dictionem facit trisyllabam, expuncta, i, littera.

Lactea puniceo sinuantur colla corallo.

Catullus.

Coniugis in culpa flagrantis quotidiana:

facit in dictione quottidiana dactylum & spondeum. Sed

ſecundam eius dictionem longat Martialis, & breuiat primam.

Cinctus ſindone non quottidiana.

Verſus eſt hendecaſyllabus.

Virgilius in tertio AEneidos.

Arduus inde Acragas oſtendit maxima longe.

breuiat primam & ſecundam in Acragas, Priſcianus autem in tranſlatione Dionyſij producit.

Hic ſalis Acragas miracula poßide: vnus.

Sidonius in epithalamio Polemij.

Materiam cunctis creaturis aera cædens:

breuiat ſecundam in creaturis, quæ non poteſt eſſe niſi longa. Ibidem dicit.

Araneola micat proprias conferre laborat:

Producit primam & breuiat ſecundā in araneola: cōtrario modo ponitur, à, Virgilio breuiat enim primam & producit ſecundam.

Namque vt araneoli tenuem formabimus orſum.

Pius fruſtra nititur verſum corrigere: nam apud Virgilium eſt nomen appellatiuum: apud Sidonium eſt nomen proprium mulieris.

In panægyrico Soceri ſui breuiat vltimam in Alciden, quæ ſolet poni longa.

Nec quæ Cadmeis pariens Alciden in oris.

Ibidem producit primam in Priene, quæ neceſſariò breuis eſt: ſcribitur enim per, i, que ſequente, n, eſt breuis.

Prienæe Bia pluris ais eſſe malignos. Alibi breuiat.

Et tu quem dederat Bias Priene.

Idem in epigrammate trium capitum.

Læſtrigones nos eſſe puta.

breuiat ſecundam in Læſtrygones: contra Iuuenalis producit.

Fingentem immanes Læſtrygones atque Cyclopas.

Ibidem producit ſecundam in Geryone, quam alij breuiāt, Virgilius in octauo.

Tergemini nece Geryone, ſpolijsque ſuperbus.

Forte

Forte voluit ponere tribrachum pro dactylo, vt in illo Virgilij.

-- Molli fultus hiacyntho.

Versus hic Sidonij.

Nulla tamen fuso prior est Geryone pugna.

Rubigo habet primam longam, tamen Prudentius breuiat.

Condere vagina gladium ne tecta rubigo.

Similiter & Martialis.

Veteris ore aliter, nimiaque rubigine captus.

Grammatici antiqui ac neoterici dicunt genitiuos quartæ declinationis in us producere us finalem, ad differentiam nominatiui. Baptista Fiæra philosophus, & medicus ac Poëta illustris putat Virgilium id non curasse, & talium genitiuorum syllabas pluribus in locis breuiasse: & eius imitatione tales syllabas de industria se breuiare. adducit autem hos præsertim locos ex Virgilio in tertio AEneidos

Quamuis increpitent socij & vi rursus in altum.

Vela vocent. In Georgicis.

Martis equi bijuges & magni currus Achillis.

In Bucolicis.

Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.

Vult ergo in primo exemplo cursus: in secundo currus: in tertio spiritus esse genitiuos. Et nemo est, modo versuum peritiam habeat, qui non assentiatur sic opinanti, nisi syllabæ quantitas obstaret. sic enim, vt ipse dicit, esset constructio verborum magis simplex, ac minus violēta, & Virgilianæ puritati ac maiestati consentanea. Si nominatiuos dixeris, videntur verba venire in cōstructionem non sponte, sed inuita, & Syntaxi repugnare, ac vultu innuere Maronem dissentire, & protectione hac insulsa non egere. Quid ergo obstat ne genitiuos putemus? nempe grammaticorū sola traditio: qui assidue conqueruntur canones vim pati, & regulas suas conculcari. Quid ergo? Sic regulas verebimur, vt aliquid regulis melius omittamus? Dignissimi Poëtarū id nō faciūt, sed quo spiritu ferūtur, illuc eunt. Cū hesterno vesperi codicē Iliadis euoluerē repperi casu versum quēdā Homeri, vbi animaduerti cōtra grāmaticos

poni pedem quatuor tempora excedentem: est enim ex numero illorum versuum, quos Greci προκοιλίους vocant, quod sint inflati ac prominuli ventris, vt sit necessarium scandenti syllabam vnam nō tangere, sed transilire. Habent enim Greci quosdam versus, in quorum principio syllaba superfluit, & dicuntur procephali: quosdam in quorum initio syllaba deest, & dicuntur acephali. Sunt alij apud eos, in quorum medio syllaba superabūdat, & sunt, quos dixi, procœlij. Alij in quibus deest syllaba in medio supradictis contrarij, & appellantur lagari, id est, vacui, vel exiles. Sunt & in quibus syllaba in fine superfluit, & vocantur dolichouri, id est, longę caudę: & in quibus syllaba deest in fine, & dicuntur miouri, id est, caudę succinctę, vel diminutę. Quid ergo dubitamus credere Virgilium syllabas illas corripuisse, qui toties inuenitur ad systolem & ectasim confugisse?

Est in vltimo Silij Italici libro hic versus.

Subdatur, cæsique cadant exercitus omnes.

vbi nonnulli putant exercitus esse nominatiuum pluralē, alij singularem, & cōstrui cum omnes, propter inclusam pluralitatem: vt, *Pars in frusta secant*: alij genitiuum singularem, vt sic construatur, *omnes scilicet milites cæsi exercitus*: & hi vadunt in sententiam Fiærę nostri, quod non displicet.

Operæpretium est videre duos grammaticos clarissimos, immo principes classicariorū nostrę ætatis, Merulam, scilicet, & Politianum de ignorantia quantitatis syllabarum se redarguentes. obijcit Merula Politiano, quod breuiet primam in imolo, & duas primas in matutinus. Politianus de pari vitio Merulā accusat, quod in fine versus hexametri locauerit pati. Vide quam pueriliter ambo errauerint: quę profecto est, vt inquit rusticus in quadam nostri Poëtæ Eclogarum, *risu res digna trimestri.* Hoc volui addidisse, vt nemini mirū videatur, si aliquando Poëtę alucinātur in syllabis, quādo isti, vt ita loquar, grammaticissimi sic prolabantur.

Rudo rudis primam longat. Persius:

– pecuaria rudere dicas.

tamen Virgilius breuiat.

-ferta

- fera sub nocte rudentum.
Vbi Seruius dicit Virgilium fecisse systolen.
Excudit mediã longat: tamen Virgilius breuiat:
Quis Deus hanc Musæ, quis nobis excudit artem.
Pulex primam regulariter producit. Martialis:
- Pulice, vel si quid pulice sordidius. tamen Ouidius corripit.
Parue pulex.
Propertius in secundo:
Non sic incolumem Minois cum Thesea vidit.
corripit primam & secundam in Minois contra leges. tamen si demeretur cum, legitimus esset versus.
Profiteor breuiat primam & mediam: tamen Ouidius longat eas in Corinna.
- quam profitebar amare.
Virgilius longat primam in subiicio. *Subijciunt lapsus.*
Papinius breuiat, *- subicit gauisus Vlysses.*
Ille per duplex ij scribit: iste per simplex.
Dolonis primam longat Ouidius:
-Rhesum Dolonaque cæsos. Virgilius in xij. breuiat: *Antiqui proles bello præclara Dolonis.*
Virgilius in x.
Inde Lycam ferit. Paulo post quam breuiarat, protrahit.
Protinus Antæum & Lycam prima agmina Turni.
Scyros insula vnde Scyrius prima longa. Virgilius:
Armiger Automedon vna omnis Scyria pubes. Contra Sidon. Apollinaris. *Vel Scyrias vacuasse colus, vel Serica fila,*
ponit primam breuem.
Hyle nomen est loci, cuius primam Papinius breuiat:
Qui breue litus Hyles.
Homerus eam longat.
Horatius in primo libro Epistolarum, epistola secunda.
Militat in siluis catulus. nunc adhibe puro.
Pectore verba puer:
ponit Anapæstũ in quinta sede pro dactylo, quod & Poëta noster fecit in Epithalamio Ptolemæi & Dorotheæ *sic per valles Aganippaeas.* Ego tamen existimo legendum in versu Horatij

adbibe, pro *adhibe*. licet omnes codices, quos legi, habeant *adhibe*.
Tibullus in primo,
Hanc forte Aquitanas possent qui fundere gentes. Et in secundo:
Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumphis.
primam, & secundam, & tertiam syllabam in Aquitanus modo corripit, modo longat.
Milonis primam Græci producunt, vide Theocritum in Corydone. Latini breuiant.
Græci in Alpheo mediam aliquando corripiunt: nostri semper longant.
Ouidius in Ibim dixit non Orphea, sed Orpheon.
Strimoniæ matres Orpheon esse reæ.
qui accusatiuus neque Græcus est, neque Latinus: Græci enim dicunt Orphea, Latini Orpheum.
Seneca in Hercule furente breuiat primam dictionis Proserpina.
Vidisti Siculæ regna Proserpinæ.
Est enim metrum Asclepiadeum, quale illud Horatij.
Mæcenas Atauis edite regibus. Alij longant. Virgilius:
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem.
Ouidius de Ponto breuiat primam Rutilij.
Et graue magnanimi robur mirare Rutili.
Martialis producit:
Famæ Rutilium suæ relinquas.
Iuuenalis longat secundam in Apulia.
– maiores Apulia vendit. Persius dicit:
– sitiat canis Apula tantum.
Catullus:
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
eodem versu breuiat & longat eandem syllabam in Pharsalia, quam Lucanus semper producit. Sicut Homerus Ares, Ares.
Lucretius.
Crassaque conueniunt liquidis, & liquida crassis.
breuiat & longat primam in liquidus, quæ ab omnibus alijs breuiatur.

Idem in sexto.

Inter se quædam poßint copulata teneri.

vbi breuiat primam in copulata contra morem. Ibidem.

Nam quid Britannis cælum differre putamus.

producit primam in Britannis cõtra legem & morem aliorum. Virgilius:

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Idem in quincto: *Arboris amplexus stipites.*

breuiat primam in stipites contra morem.

Producit etiam sextum casum tertiæ in e: vt lapide, arte. Virgilius in tertio AEneidos.

Hesperium Siculo latus abscidit.

vbi Seruius dicit corripuisse eum secundam in abscidit syllabam per Poëticum morem.

Iuuenalis: *Et phthisis, & vomicæ putres.*

breuiat primam in vomica, quam Q. Serenus longat.

Vomica qualis erit vel eidem proxima quædam.

Notatur Lucretius, quod dixerit in vocatiuo casu Memmius: verum id non dixerim ego factum licentiose: nam teste Seruio in primum AEneidos, cum exponit illud:

Huc primum in luco noua res oblata timorem Leniit.

Talia nomina, vt Mercurius, Domitius, Ouidius, apud maiores emittebãt vocatiuũ similẽ nominatiuo, & sequẽtibus annis pertulerunt apocopen. propterea accentũ retinẽt acutum vbi prius fuit, scilicet in pænultima, quę tunc erat antepęnultima: eadem ratione Virgilius in Octauo dixit fluuius in vocatiuo.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Adsis ô tandem.

Scaber primam producit: tamen Virgilius breuiat in Georg.

Et tophus scaber, & nigris.

Plautus in Asinaria diuidit iam monosyllabam. *Hoc agite sultis spectatores nunc iam.* Vbi ex iam facit iambum vel Pyrrhichium. Idem in quotidie primam & tertiam breuiat.

AEta habet in prima diphthongũ æ, secunda cũ e scribitur, & est trisyllabũ. tamen Ouidius fecit dissyllabum in septimo.

v subit Aeta relictus.

Aedon

Aëdon trisyllabum est: sed Calpurnius dissyllabum fecit. vocalis superat:

Sit turpior Aedona bubo.

Laturus, latura, laturum, longat primam: tamen Virgilius in Cyri breuiat.

Omnia me potius digna, atque indigna laturam.

Non omittendũ etiam, quod antiqui poetæ faciebãt quosdam versus vocatos tibicines à grammaticis, in quibus dictionem aliquam superfluam ad metri sustentationem inserebãt. Virgilius. *Nunc dextra, ingeminans ictus, nunc ille sinistra.* vbi superfluit, ille.

Idem in VI.

Adspectans siluam immensam & sic forte precatur.

vbi Seruius dicit superfluit forte, nec enim possumus intelligere fortuito rogasse.

Idem in x.

Rhœbe diu res si qua diu mortalibus vlla est.

vbi superfluit qua, vel, vlla. satis enim fuerat dicere, si qua, vel si vlla.

Claudianus.

Compulimus durum Syphacem fractumque Metello. mediã in Syphacem breuiat, quam Ouidius longat.

Postera lux melior, superat Masinissa Syphacem. Martialis.

Tolle tuum precor Hannibalem, victumque Syphacem.

In Phæaces pænultima longatur: sed eam Propertius breuiat.

Nec mea Phæaceas inter pomaria siluas.

Ablatiui primę in a, longant a. Virgilius hoc non obseruat.

Vna eademque via sanguisque animusque sequuntur.

Neque Propertius. *Hac eadem rursus Lygdame curre via.* Item Propertius in principio tertij libri. *Nõ datur ad Musas currere lata via,* posset tamen construi sic. Nom datur lata via currere, pro currendi ad Musas: tu videris qui legis.

Secũda in Stymphalides longa est: Ausonius tñ ponit breuẽ.

Stymphalydes pepulit volucres.

Contamino longat secundam: tamen Martialis breuiat,

Ausus tam notas contamminare manus

Sicanus

Sicanus longat secundam. Virgilius:

– fluctus subter labere Sicanos.

tamen Silius breuiat: *Sicana nunc tellus, nunc litora Ibera cruorem.*

In Cyane Ouidius sibijpsi contrarius: nam modo breuiat, modo producit in ix.

Cognita Cyane præstanti corpore Nympha. Idem alibi:

Quaque suis Cyanem miscet Anapus aquis.

Serapis longat secundam: Capella tamen breuiat.

Te Serapim Nilus Memphis veneratur Osirim.

Anas in obliquis secundam apud quosdam breuiat: apud quosdam longat. Sext. Rufus:

Latipedemque anatem cernes excedere Ponto. Martialis:

Et anatis habeas vropygium macræ.

Primus pes est anapæstus, vt vult Pompilius, in quo tertia longa est.

Macedo breuiat secundam: Ouidius tamen in xij. Metamorphoseos.

Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque sarissa.

Hoc autem fit ad imitationem Græcorũ, qui in ea dictione mutant aliquando ε in η: hoc autem faciunt sequentes analogiam: nam nomina in don, vt Sarpedon solent habere η ante don: quam litteram licet non habeat communiter dictio Macedo: scribitur namque per ε micron: licentia tamen Poëtica non nunquam scribitur cum η, ratione analogiæ.

Es, a sum verbo, est breuis. Virgilius.

Quisquis es armatus, qui nostra ad limina tendis.

Propertius tamen in secundo longat,

Si puer es aliò traijce tela tua. Sunt tamen qui scopulum hunc metuentes legant in eo loco, nõ puer es, sed pudor est, dicẽtes.

si pudor est aliò traijce tela tua.

Puluis masculini est generis secundũ Priscianum. Horatius.

Puluerem olympicum colegisse iuuat. Propertius tamen in secundo ponit femininum.

Et duo sunt versus qui nunc iacet arida puluis.

Idem in primo ponit masculinum:

Et meus oblito puluis amore vacet.

Martia-

Martialis producit secundam in ficedula, ait enim sic:
- paulo ficedula lumbo. Iuuenalis breuiat.
- mergere ficedulas.
Liquefactus breuiat secundam apud Virgilium:
- liquefactaque voluere saxa. Ouidius in vij. eam longat:
Tura liquefaciunt.
Vindemio longat secundam: Horatius breuiat:
Vindemiator & inuitus cum saepe viator.
Lucretius in iij. longat secundam in vietus:
Nec supra caput eiusdem cecidisse vietam.
Horatius breuiat in Epod.
Quis sudor vietis & quam malus vndique membris.
Numicus longat secundam: tamen Horatius breuiat.
Brundusium Numici melior via ducat an Appi.
Destino secundam breuiat Virgilius:
- & me destinat arae. Iuuenalis longat.
Et domini gladio iam destinata.
Delirus secundam longat Horatius.
Quidquid delirant reges plectuntur Achiui. Lucretius breuiat:
Quod facit hic idem perdelirus esse videtur.
Ouidius longat secundam in Tentyra:
- saltus Tentyra petenti. Iuuenalis breuiat:
Qui vicina colunt vmbrosae Tentyra palmae.
Egnatius medicus longat secundam in butyro:
- mollique subacta butyro. Valgius breuiat:
Lac niueum, butyrumque nouum. Similiter Macer:
Cum butyro modicoque oleo.
As finita breuiant nominatiuos nominum Graecorum facientium genitiuos in dos. vt: Pallas, dos. Martianus tamen longat Arcas, dum Mercurium significaret.
Arcas in thalamum venire iussus.
Est hendecasyllabus versus: potest tamen dici esse trocheus, vt in illo Catulli:
Arido modo pumice expolitum.
Concionor paenultimam longat. Sidonius breuiat:
Concionaturum plebs sedula circumstetit.
Ouidius

Ouidius ad Liuiam breuiat secundam in confudit.

Confudit atque fugæ Barbara terga dedit.

Ennius in annalibus longat. Sunt tamen codices, qui in illo loco Ouidij habeant non confudit, sed concudit.

Gothus apud Græcos primam longat; scribunt enim per duplex th, vltimo adspirato, vt est in ponte ad viam Salariam.

Qui potuit duras Gotthorum subdere gentes.

Nostri vero eam breuiant. Ausonius:

Huc possem victo: inde referre Gothos. Et Sidonius:

Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus.

Nomina Greca mittentia genitiuum in is, vt Tigris, crescũt in genitiuo & datiuo: vocatiuum & ablatiuum pares habent: declinantur enim Tigridis, tigridi, ô tigris, a tigri. Lucanus tamen id non aduertens dixit tigride:

Ocyor & cæli flammis, & tigride fæta.

Hannibal in obliquis corripit pænultimam: tamen Ennius in iambico senario eam produxit.

Seruius in illud quarti AEneidos:

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando.

dicit precando & cantando, do breuiant naturaliter. hoc modo Terentianus:

Vt vitæ dubius varios renouando dolores.

plerumque tamen à Virgilio producitur. sic Seruius: quod si dicas syllabam esse communem, respondetur id factum per abusum Virgilij & aliorum Poëtarum.

Ouidius producit primam in vacillo:

Spes mea vacillat. Lucretius breuiat:

Imbribus aut tabe membrorum arbusta vacillent.

Cicero in Arato:

Occidit Andromede clarum caput, & fera Pistrix.

breuiat primam in fera: omnes alij producunt. Virgilius:

fera sub nocte rudentum,

Iuuenalis:

Hæc tetigit Gradiue tuos vrtica nepotes.

produxit primam in Gradiuus: quam Silius breuiat in xv.

Qui consulta ducum flagret meliore Gradiuo.

Virgilius

Virgilius in vi.

At qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

ciuica debuit dicere, ſed mutauit. vt contra Horatius:

Motum ex Metello conſule ciuicum, pro ciuilem.

Virgilius in x.

Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.

vtitur duplici licentia in vna dictione Mneſtheo: nam interponit e, inter m & n, & vltimam ſyllabam facit ſynæreſim trahendo e & o in vnum. Statius:

Fluctibus inuiſis iam Nereis imperat Helle. breuiat ſecundam in Nereis, quam Ouidius in Oenone producit:

Vſque celer venias virides Nereides oro.

Bene & male corripiunt finales ſyllabas: tamen Ouidius in primo de arte producit.

Sæpe male dixit cum iam properaret Achilles.

Sic Pompilius noſter. Tamen ego aliter longe ſentio: nam non male, ſed manè loco illo legendum eſt: dicit enim Ouidius Deidamiam rogaſſe Achillem, vt maneret, cum iam poſita colo & ſumtis armis properaret ad Troiam.

Horatius in primo Carminum diuidit diphthongum *ei*, & producit vocalem, ſequente vocali: & corripit y, ſequentibus m & n conſonantibus, in illo verſu.

Euterpe cohibet, nec Polymneia.

facit ei Polymneia quinque ſyllabarum: & eſt verſus ille ſimilis iſti.

Mæcenas Atauis edite regibus:

& hoc fecit Grecorum licentiam imitatus.

Horatius longat vltimam in vale.

Vale, vale, caue ne titubes.

Ouidius de Triſtibus breuiat non ea ratione, qua Virgilius id eſt, propter vocalem ſequentem: vt - *vale inquit Iola.*

Idque quod ignoti faciunt vale dicere ſaltem.

Tribrachum in ſecunda ſede ponit Virgilius:

Inualidus, etiamque tremens, etiam inſcius æui.

Excuſat tamen eum Atilius Fortunatianus dicens: omnem ſyllabam, quę partē orationis finit, in omni verſu indifferentes accipi,

accipi. Idem facit Horatius in primo sermone
Quid igitur suades vt viuam Memus autem sic:
vbi est tribrachus in prima sede.
Virgilius in VII AEneidos:
Non erimus regno indecores. & in xi,
tur indecores in limine primo, facit systolem: nam in dictione, indecores, pænultima longa est: sicut in dictionibus, fauores, & lectores.
Catullus dicitur peruertisse legẽ metri hendecasyllabi Phalecij: cuius primus pes debet esse spondeus. Ipse enim eo loco aliquando spondeum ponit: vt,
Passer deliciæ. Aliquando Trochæum: vt,
Arido modo punice expolitum. Aliquando iambum: vt.
Meas esse aliquid putare nugas.
Tamen Atilius Fortunatianus excusat eum, dicens hũc morem fuisse antiquis auctoribus, puta Sappho & Anacreonti.
Qui longa est: tamen Virgilius breuiat:
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingant? Idem corripit o.
Te Corydon ò Alexi.
Corripit etiam te, quod est natura longum:
Nomen & arua locum seruant, te amice nequiui.
Adiungenda heic quæ Probus grammaticus dicit ad Cœlestinum de Virgilio: ait enim sic, Sunt aliquæ syllabę apud Virgilium, quę necessitate metrica cum vitio barbarismi, qui apud Poëtas metaplasmus appellatur, contra rationem corripiũtur. Sunt aliquę, quę cum breues sint, necessariò producuntur. corripiuntur in his.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Item
Illius arma. &
Ipsius ante oculos. mediam syllabam pronominum, cùm sit longa, corripuit. Item:
Obstupui, steteruntque comæ.
te syllabam longam in verbo corripuit. Item:
Egerimus nostri, ri syllabã corripuit. Item: - *vrbemque Fidenam.* corripuit Fi syllabã, cùm sit longa. Item: - *Fluctu nimbosus Orion.* o syllabam corripuit, quę lõga est. Deinde de breuibus dicam,

quæ pro longis sunt positæ.

Italiam fato profugus.

primam syllabam cum sit breuis longam posuit. Item:

Exercet Diana choros. dissyllabā producit, quę breuis est. Etiam positione longas de breuibus facit: vt,

Relliquias Troiæ. &, Relligione sacræ.

l litteram consonantem contra rationem geminauit. Ideo hæc intelligenda arbitror, vt caueri possint. Virgilius enim propter operis magnitudinem & auctoritatem sui, quę multū valet, non sine necessitate metrica syllabarum naturam conuertit. sic Probus. Ex quibus plus satis constat, antiquos Poëtas fuisse nouis licentiosiores.

Lucanus breuiat o finalem ablatiui secundæ declinationis.

Hoc solum metueris incauto ab hoste tueri. Propertius:

Hoc eodem ferro stillet vterque cruor.

quæ omnia sunt licentiæ.

Ouidius modo producit, modo breuiat imperatiuum fac.

Philli fac exspectes. In Remedio.

Durius incedit: fac ambulet.

Horatius: *Ludere par impar, equitare in arundine.*

ar longat. Suetonius in epigrammate ad Traianum breuiat:

Nitor ad impar opus.

Foras longat vltimam: tamen Lucretius breuiat.

Littora iam reboant, foras eructatur aquæ vis.

Finalem syllabam secundæ personæ verborum quartę coniugationis, vt audis, sæuis. producunt grammatici: Ouidius tamen in epistola Mędeæ breuiat.

Nescis an exciderint mecum loca, venimus illuc. Item Propertius:

Et soror, & cum qua dormis amica simul.

Versum prædictum Ouidij sic legit Pompilius, diligens perscrutator syllabarum: licet quidam alij pro nescis, nescio imprimi fecerint, metuentes Poëtæ à tali licentia. Sed alia quamplurima exempla reperiuntur.

Seneca in Troade posuit Troiæ trisyllabum:

Misit infestos Troiæ ruinis.

Non semel arcus. Et in eodem choro.

Dum lucem tantam Troiæ atque Achiuis.
In eodem choro diuidit cui, & facit disyllabum.
Mittat, & donet cuicunque terræ.
Mutant o in u, vt syllabas producant. Persius:
Ne mihi Palidamas, & Troiades Labeonem. Virgilius in Bucolicis:
Venit & vpilio: tardi venere subulci.
Iuuenalis finit versum.
– & frustra rogante. vbi vltimam in frustra corripit contra regulas.
Georgius Valla taxat Horatium, quod in primo Sermonum dixerit.
Communi sensu planè caret, inquimus. Item quod alibi dixerit.
O mi Laertiade quidquid dicam, aut erit, aut non.
in Laertiade, ex a & e, facit vnam syllabam: aut abijcit vnam illarum vocalium.
Lucretius in quarto ponit anapæstum in principio versus. sic enim dicit: *Aciebus binis.*
Cicero in Arato ponit genus pro genu in pluribus locis:
Ac propter læuum genus omni ex parte locatus. & iterum:
Hoc genus ad læuum nixi delapsa resedit. Item:
Tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit.
Marcus Manilius in vltimo Astronomiæ.
Incubuit tellus, timuit naufragia Pontus.
Producit secundam in naufragia: alij breuiant.
Sidonius in panægyrico Maioriani contra vsum producit antepænultimam in matricida:
Matricida pius, sed ne spreuisse dolorem. Ibidem producit secundã in dictione Nabathæum contra vsum, ait enim:
Texta Nabathæum pro remo sulcat Hydaspem. Contra Ouidius:
Eurus ad Auroram Nabathæaque regna recessit.
Venit in mentem aphęręsis I lauti, quã aliquãdo tamquam ineptam risisse me memini. Plautus enim dixit, & hoc refert Probus ad Cœlestinum:
A Preneistinis conias, pro ciconias appellari.
Licuit ergo Poëtis antiquis quidquid libuit. Tulerunt principia dictionum. vt Virgilius: *Omnia fert ætas*, pro aufert.

Tulerunt media, vt cum dicunt: *audieram*, pro *audiueram*. Finem, vt Lucretius:

Gannitu vocis adulant, pro adulantur.

Item addunt in principio dictionum, vt Virgilius in ix.

Vel quibus obsessos posit concredere muros. con enim vacat, teste Seruio. In medio: vt *indugredi*, pro *ingredi*: *nauita*, pro *nauta*. In fine: vt *potestur*, pro *potest*. Virgilius in ij. Georg.

Hic pinguem & placitam paci nutritor oliuam.

ponit nutritor, pro nutrito.

Longant breues, breuiant longas, diuidunt diphthongos, litteras supprimunt, plures in vnam contrahunt. Sed quò demens sino me ferri redundantia exemplorum tantę licentiæ! Vt ergo tandem his finem imponam: prora nostra conuertatur ad portum.

Quid aliud est pathos? quid aliud sunt metaplasmi, & tropi, ac schemata, figuræque omnes, quam nomina licentiarum poeticarum seu vitiorum, quæ apud antiquos propter insitam carmini difficultatem inoleuerunt, & apud neotericos perdurante eadem difficultate perseuerant? Addamus & pauca quędam ex Quinctiliano.

Quinctilianus in primo capite de ortographia dicit, docēdos esse pueros, quę in carminibus barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: & sequitur, non vt ex his vtique improbentur Poetæ, quibus, quia plerumque seruire metra coguntur, adeo ignoscitur, vt vitia ipsa alijs in carmine appellationibus nominentur: metaplasmos enim, & schematismos, & schemata, vt dixi, vocamus, & laudem virtutis necessitati damus. sic Quinctilianus circumspectissimè.

Item in primo de tribus virtutibus in elocutione, cum de Barbarismi vitijs locutus esset, subintulit: Scire autem debet puer hæc apud scriptorem carminum, aut venia digna, aut etiam laude duci.

Parco igitur iam plura: satis enim ex his constat licentia Poetarum antiquorum, nec eos in hoc cum criticis redarguo: non enim volo vnius defensionem omnium aliorum esse calumniam: immo cum Quinctiliano eos excuso, ac grāmatistas accuso,

accuso, qui eos accusant perquam inique. Habent Poëtæ priuilegia, quibus contra Grammaticorum scita possunt ire: & habent canones grammaticæ pro aranearum telis: sicut, vt inquit Anacharsis, habent potentiores viri leges ciuiles. Cõcordat his quod Plinius Cæcilius in epistola ad Caninium dixit. Si datur Homero potestas & mollia vocabula, & Grȩca ad bonitatem versus contrahere, extendere, inflectere: cur nobis simul prȩsertim non delegata, sed necessaria non dētur? Et Varro in Analogia inquit: Orator non debet in omnibus vti analogia: quod sine offensione non potest facere, cùm Poëtȩ transilire lineas impunè possint. Consentit his quod in tertio Tusculanarum quæstionum dicit Cicero: Cùm enim adduxisset Actium Poëtam dicentem,

Florem quisnam liberûm inuidit meum?

subijcit, Male Latine videtur. sed prȩclare tamen Actius: vt enim videre, sic inuidere florem rectius, quam flori dicitur. nos supple Oratores, consuetudine prohibemur: Poëta ius suũ tenuit: & dixit audacius. Ecce, vt iudicat Cicero, licere Poëtæ discedere a consuetudine: sequi analogiã & lineas transilire: quod concessum non est oratori. Discant ergo grammatici, & hoc à Quinctiliano discant, posse nos non seruatis grammaticæ legibus loqui Latine. Eius enim hæc verba sunt in primo libro, capite de tribus virtutibus in elocutione, Quare mihi non inuenuste dici videtur, aliud esse Latine, aliud grammatice loqui. sic ille

Quod exȩmplo quoque patȩt: *Qui namque Tigride* dicit, Latine loquitur, quia consuetudinẽ sequitur: grammatice non loquitur, quia regulas non seruat. Nam Tigris, & Isis, & similia secundum regulas emittunt ablatiuum parem recto, vt inquit Seruius in illud decimi AEneidos.

-secat æquora Tigri: tamen Poetȩ dicunt Tigride. Discant etiã more suo certare cum pueris, non cum Poetis, qui supergrediẽdi regulas ius habent. Sicut Olympionicȩ poterant nõ per portas solum, sed etiam dirutis muris vrbem intrare. Quod si quis Poëtarum nostrȩ ætatis dignus est hoc honore: profecto ille est Poeta noster, qui tanta conscripsit, de Poetis loquor, quanta nemo alius Latinorum.

BAPTISTAE MANTVANI CONTRA NOVAM OPINIONEM DE LOCO CONCEPTIONIS CHRISTI, TRACTATVS.

Reuerendiss. in Christo Patri ac illustrissimo Domino, D. Sigismundo Gonzagæ Episcopo Mantuano, S. R. Ecclesiæ Marchiæ Antonitanæ legato, protectori pientissimo, Bapstista Mantuanus, theologus salutem, felicitatemque perpetuam dicit.



X antiqua consuetudine sicut patronos decet, paterna clientes caritate complecti: sic debent & clientes loco parentum habere patronos, & præsertim tales, qualem se nobis exhibet tua Dominatio, scilicet benignos, affabiles, strenuos, fideles, & ad protectionem semper intentos. Propterea opus est clientes aliquod eis gratitudinis signum ostẽdere, & frequenter protestari se acceptorum beneficiorũ non oblitos. Hac de causa breuem tractatum super rixa Quadragesimæ præteritæ, pro qua tua Reuerendiss. Dominatio tãtum laborauit, paulo post pascha editum, tuoque clarissimo nomini dedicatum tibi mitto, vt gaudeas nos quoque qui tui sumus, pro Christi fide laborare, cognoscasque nos de quæstione illa recte sensisse: quando eundem exitũ lis habuit Romæ, quem sub te prius habuerat Mantuæ. Mitto etiam breue Apologema in quo respondeo

deo quibusdam maledicis, qui contra Ordinem nostrum nuper inuecti sunt, vt tua Reuerendissima Dominatio tãto diligentius tueri nos studeat, quanto magis ab inuidis premi nos viderit, & vt simul accipiat aliquam degustationem rerum nostrarum, videatque quanta Ordinis nostri fuerit antiquitas, quanta sanctitas, quanta nobilitas: nec assumtæ protectionis eam pœniteat, cum sciat se apud Deum intercessores habere, non solum nos qui viuimus, sed & quotquod ex antecessoribus nostris ab Helia hucusque in cælum recepti sunt, ipsamque matrem Christi, quæ peculiari patrocinio semper nos fouit. Subiũxi & epistolam de causa varietatis translationum sacræ scripturæ, ad fratrem Hieronymũ Mediolanensem, quod eam fore iudicauerim tuæ Reuerendiss. Dominationi non iniucundam, cum plura contineat quæ viros ecclesiasticos ignorare non deceat. Lege igitur feliciter, & nos sub Reuerendiss. D. T. protectione constitutos, die noctuque custodire digneris. Vale.

BAPTISTÆ MANTVANI CONTRA NOVAM OPINIONEM DE LOCO conceptionis Christi tractatus.



NVPER prædicante in Ecclesia Cathedrali Mantuæ Petro Lucensi canonico regulari, nata est quæstio, vtrum beata virgo Maria in præcordijs, an vtero Christum conceperit. Dicebat ipse Petrus cuidam mulieri sanctitatis eximię fuisse diuinitus reuelatum Christum non in vtero, loco communi humanæ geniturae: sed iuxta cor in pectore fuisse conceptum, fotum, & alitū: & huic opinioni satis adstipulari honestatē rei: videtur enim longe honestius tantum hospitem, nostræ salutis gratia, ad nos diuertentem, quodam peculiari hospitio recipi, quam ad commune xenodochium mitti. Afferebant alij contra eum textus scripturarum, in quibus dicitur, Christū in vtero fuisse conceptum. nam in Matthæi Euangelio legitur: Inuenta est in vtero habens de Spiritusancto: & ipse Matthæus allegat Esaiam dicentem: Ecce virgo concipiet in vtero: & in Luca dicit Angelus ad Mariam, Ecce concipies in vtero. Respōdebat Petrus: poni nonnunquam vterum impropriè pro aluo & ventre: & metaphoricos pro loci concauitate, vt apud Virgiliū in secundo AEneidos,

- vterumque armato milite complent.

Super quo loco vterum esse mulierum dicit Seruius: & multis tandem verbis vltro citroque habitis in rixam non mediocrem res euasit. Videtur ergo aliquid super hoc lucubrandū, vt veritas elucescat, & fidei puritas, quam discordiæ seminator diabol⁹ technis huiusmodi pergit lacerare, integra cōseruetur. Volentes autem probare, quod fuerit in vtero facta conceptio, petemus argumenta à veritate scripturæ, & ab ordinata operatione naturę: mox subinferemus quid de opinionis promulgatore sentiamus. Notandum igitur per vterum proprie significari id quod medici neoterici vocant matricem, quod recto vocabulo dicitur vulua Et propterea nostri putant vanam esse quæstionē, vtpote quæ sine vlla vlteriori vestigatione ex ipsis scriptu-

scripturę verbis sit soluta. Si enim supradicti testes, Matthæus, Esaias, Angelus, & Lucas dicunt in vtero: iam quodāmodo videtur lata sententia: nam, vt aiunt, Dialectici & Aristoteles ipse, *cum duæ syllogismi propositiones rite sunt præmissæ, statim quid sequatur, videt inducens.* Sed isti non aduertunt, quod neque Mattheus, neque Esaias, neq; Angelus, neque Lucas Latine loquebatur: & propterea nullus eorum dixit in vtero, Sed quia res gesta est inter Hebreos, fuit necessarium loqui Hebraice. Quod si dicant isti se presupponere translatores bene fideliterque transtulisse? Respondetur, quod periti scripturarum sciunt interpretes sepe numero discordare, decipi, & errare, vt in multis & pene infinitis scripturarum tam gentilium, quam nostrarum locis apparet: & si huic certamini se exponerent nostri amici, magnum eis ab aduersarijs daretur negocium: quod vt exploratum habeas subijcio exemplum In Psalmo. CX. cōmuniter legimus, & à tota Ecclesia tam Grçca, quam Latina mos iste receptus est. Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Tamen Hieronymus in translatione ad Chromatiū, quam secūdum Hebraicam veritatem dicit factam, multo aliter transtulit: dixit namque, Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ: in montibus sanctis de vulua orietur tibi ros adolescentię tuę. Et hinc cognosci potest, quam sit periculosum in re tanti momenti fidere translationi, & per locum tam salebrosum clausis luminibus, & sine aliquo adminiculo pertransire. Ista autem tanta varietas propter quid accidat alias dicemus. Cum ergo supradicti cō testes non fuerint vsi hoc vocabulo vterus, Græcę litteraturæ petendum est auxilium. Prius enim scriptura sacra deuenit ad Grçcos per septuaginta interpretes: per Theodotionē, & Aquilam: per Symmachum & Origenem: & videamus quid apud eos legatur pro vtero. Cum huius rei gratia perquirerem hos locos in libris Grçcanicis, continuo mihi occurrit pro vtero γαστρός, qui est tam ablatiuus, quam genitiuus à recto γαστὴρ γαστῆς, γαστὴρ autem neque vterum, neque vuluam, sed ventrem significat, qui vterum & aluum continens à pectore ad pubem terminatur. Ostendit hoc gastrimargia, quod interpretatur

ventris voracitas seu gulositas. Componitur enim ex γαστὴρ & μαργάω, quod est festinanter ago vel deuoro. Per hoc ergo nondum inuenimus quod vestigabamus: nisi quis dicat nos per verba hæc saltem hoc lucratos, quod fœtus in ventrem descendit ex pectore: licet adhuc in vterum non sit redactus. Ista ergo considerans cogor admirari, cur supradicti interpretes ab Hebraica veritate, vt infra patebit, recedentes ita transtulerint, cum haberent vocabula magis idonea, & quæ ad propositum magis faciebant, & vtero ac vulue examussim conuenirent, puta νηδὺς, μήτρα, δελφύς, ὑστέρα quibus si vsi fuissent per Græca exemplaria lis terminaretur, & non esset ad Hebræos prouocandum. Ergo propter istorum negligentiam volentes huius dubii propulsare caliginem, cogimur ad Hebræos, tamquam ad eos qui facto interfuerunt, transmigrare, & in rem, vt aiunt, præsentem venire. Hoc animaduertens codicem Hebraicum psalmorum euolui, & in illo versiculo psalmi, quem supra citaui, vbi Hieronymus dixit de vulua, repperi scriptum mirebem רחם; Et quia translatio hęc secundum Hebraicam veritatem titulatur, aduerti dictionem illam non posse verti vere proprieque latinè, nisi in vterum transeat vel in vuluam. Habent quidem Hebræi aliam dictionem, scilicet בטן beten quæ ventrem significat, & Prouerbiorum tertiodecimo capite est posita, vbi dicitur, Venter impiorum insaturabilis: transfertur quoque nonnumquam in vterum, vt Hieremiæ capite primo: Priusquam te formarem in vtero, noui te. רחם reben quoque vertitur in ventrem, sed solum muliebrem, cum venter inproprie ponitur pro vtero, vt supradicto loco, Ante quam exires de ventre. quo fit, vt beten בטן commune sic vocabulum ad vterum, & ad ventrem tam muliebrem, quam virilem: rebem רחם vero proprium est vuluæ & vtero: conuenit etiam ventri muliebri, quando scilicet venter ponitur pro vtero, siue pro vulua. Sed heic est vigilantissimè aduertendum, quod in Esaię loco preallegato non ponitur vtero: imo ita legitur ad verbum. מ־ עהן חוב בהט יהו הלת id est, Ecce puella concipiet, & pariet

pariet filium vnde patet verbum illud vtero, falſo eſſe addi tum tam in Græcis codicibus quam in Latinis : falſo inquam ſecundum litteram, non ſecundum ſenſum : nam ſuper illum Eſaię locũ dicit Hieronymus Mathæum accepiſſe non verba, ſed ſenſum. nam quod in Hebræo dicitur ara', id eſt, concipiet, Mattheus dixit in vtero habebit : & hunc eſſe Eſaiæ ſenſum exiſtimauit. Et ſic credendum eſt Angelum locutum, vt dicit Lucas, cum Mariæ *myſterium* hoc nuntiauit. Concludimus ergo ſcripturarum veritate nos compellente debere heic accipi vterum proprie pro vulua,, & pro eo quod neoterici dicunt matricem, & quod apud Hebręos rebem ארא & apud *Gręcos*, νηδὺς, δελφὺς, ὑστερα, & μητρα nuncupatur. Ex quo infertur quod dicere Chriſtum extra vterum fuiſſe conceptum, ſit contradicere euangelio Matthęi, & prophetię Eſaię ſecundum ſenſum, vt inquit Hieronymus. Et hęc ſunt quę ex ſcripturarum veritate ſunt collecta, vt in diſtinctione xxxvij. Decretorum capite relatum Clemens papa docuit faciendum. Ex ordine naturę, vt ad ſecundum veniamus, videtur idem poſſe concludi. Hic ergo ſunt nobis tria peragenda. Primum quomodo in conceptione natura procedit, & quo ordine ad maturitatem fœtus perducatur. Secundum quid ex his quę naturalis ordo requirit, fuerit heic retentum, quid pretermiſſum. Tertium an conceptio iſta dicenda ſit naturalis, an miraculoſa. Circa primum videnda ſunt decem, quę hec ſunt, videlicet generationi tempus idoneum, commixtio ſeminum maris & femine : ex quo ſequitur tertium, quę eſt violatio clauſtri virginalis. Quartum eſt ſeminum receptaculum. Quintum materia formandi embryonis. Sextum inſtrumentorum animę conſtructio, ſeu, vt neoterici dicunt, organizatio. Septimũ animatio. Octauum fœtus immaturi nutrimentum. Nonum parturitio, ſeu partus vel partio. Decimum via partus educendi. Generationi tempus idoneum ſecundum omnes eſt pubertas : tunc mulier eſt fecunda, viro matura, & propagationis officio deleganda. Quod autem dicit Hieronymus in epiſtola ad Vitalem preſbyterum

de

de Salomone & Acham, quod in vndecimo anno filium generatint, non fuit ex communi lege: sed ex speciali priuilegio naturæ: sicut illud quod de Lynceo quodã dicitur, videlicet eum à Lilybæo Siciliæ promontorio numerasse naues è portu Carthaginensi exeũtes, cum inter ea loca centum trigintaquinque millia passuum legantur interesse. Item quod de Gn. Papirio Carbone, & de Marco Curione Dentato recitatur, quod scilicet cum dentibus nati sint. Talia enim sunt rara, & à communi ordine naturæ recedentia: & ideo inter miracula à Valerio Maximo recitata. hæc hactenus de primo.

De seminibus autem quod erat secundum, breuiter transigendum. Dicit Aristoteles in libris de animalibus in generatione prolis, marem tenere personam artificis: feminam vero solum materiam ministrare, & esse in virili semine quandam virtutem, quam vocat diuinam, quæ, quasi sapiens architectus, materiã tractat fingit & perficit, & ad animæ officia, variasque functiones corpus accommodat. Hanc dicunt medici vim formatiuam, quæ resultare creditur ex compositione trium spirituum, scilicet animalis, vitalis, & naturalis, qui ita remanent in illo quarto, sicut elementorum virtus in mixto. Qui vero ex Galeni sunt diatriba, dant etiã mulieri vim actiuam, minus tamen principalem, minusque efficacem, & aiunt virtutem mulieris actiuam non procedere naturaliter ad agendum, nisi à virtute maris prouocatam: & hoc est, quod aiunt philosophi causam inferiorem, cum sola est, cessare, & habere quodam modo potentiam remotam ab operatione, sed à superiore fieri propinquam. Vis enim mulieris apta generare, tanquam sui oblita, videtur dormitare, donec vi masculina fuerit lacessita. Hæc autem virtutis excitatio non fuit naturalis in Maria: sed magis diuina: ideo dixit Damascenus Spiritum sanctum dedisse Mariæ virtutem receptiuam diuini verbi, & generatiuam corporis humani: quia videlicet eam expergefecit, & ab otio ad negotium suscitauit. De tertio, scilicet virginitatis violatione, nihil fere attinet dicere: scitum est enim virginalem pelliculã, quæ hymen dicitur, in primo coitu frangi, & propter seminis immissionem oportere pudoris portam aperiri, & carnis integritate

gritate violata fieri ex virgine mulierem. Et hæc eſt molis naturæ corporeæ, vt nequeat locum ſubintrare, niſi corpus aliud, quod locum occupabat, extrudatur. hoc idem in ſerendis frugibus obſeruatur: neque enim in tellurem integram ſemen proijciunt, ſed prius verſatur & aperitur. Quartum eſt, ſeminum receptaculum, quod aruum genitale appellat Virgilius. Ipſe eſt vterus, & vulua, vel volua, ab inuoluendo fœtu ſic nuncupata. de qua in prima parte plura iam diximus, & plura mox dicemus. Locus iſte inter ea quæ ad generationem cõcurrunt ſic eſt neceſſarius, vt eum Deus & natura, qui, vt philoſophi aiunt, nec deficiunt in neceſſarijs, nec in ſuperuacuis tempus amittunt, mirabili artificio fabricarint. Et propterea de induſtria ventrem mulieri fecerint ampliorem, vt eſſet capax vteri prægnantis, & creſcente fœtu late intumeſceret & laxaretur. In vtero inſuper tamquam in naturæ penore menſtrua conſeruantur: ex quibus, vt mox dicetur, multiplex in fœtum manat vtilitas. Denique videmus naturæ prouidentiam generandis omnibus certos locos, tamquam ſuos vteros, aſſignaſſe, ſine quibus concreari nullo modo poſſint. Habent oua & nuces ſuas teſtas: habent legumina ſiliquas, frumenta ariſtas & paleas, quibus inuoluantur. Sunt purpuris & margaritis ſuæ conchulæ: habent ſemina pomorum ſubſtantiam illam corpulentam, quæ manditur à nobis: ſunt etiam vino vitiſque ſeminibus ſui folliculi: nec metallis deſunt ſuæ vuluæ, quas vocant mineras: extra quas, quidquid dicant Alchimiſtæ, metallica corpora gigni non poſſunt. Quintum eſt, materia formandi embryonis: vbi ſecundum medicos eſt ſciendum, membra embryonis eſſe duplicia: ſpermatica ſcilicet, & carniformia. ſpermatica quoque duplicia: magis & minus principalia. prima fiunt ex ſpermate maris: ſecunda vero ex ſpermate mulieris. dicunt enim & fœminas habere ſemen, quod ſemine virili ſit liquidius minuſque efficax: habere tamen vim actiuam: & ex ſimilitudine filiorum hoc arguunt. Aiunt namq; filios nonnumquã euadere matri perſimiles, quod eius ſemẽ fuerit potentius: Agens namque, vt ait Ariſtoteles, nititur aſſimilare ſibi paſſum, & quod fortius agit, magis aſſimilat. Sed id argu-

mentum

mentum videtur inualidum, cum possit aliunde similitudo fluere: puta ex imaginatione, vt recitatur de virgis Iacob, & de illa muliere, quæ propter AEthiopem in thalamo pictum dicitur peperisse filium nigrum. Hanc opinionem de semine muliebri videtur sequi beatus Bernardus, cum in sermone de laudibus sanctissimæ Virginis ita inquit: Qua enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur conceptus, cum ex vnius eiusdemque fontis origine secundum physicos vterque liquor emanare probetur. Membra carniformia componuntur ex menstruo: dicunt nãque medici ex vna menstrui parte carnem generari, qua membra vestiantur, loca vacua oppleantur, & decentissime figuratum corpus resultet. dant nutriendo fœtui partem vnam: partẽ etiam mittunt in mamillas, vt illic excoquatur, & in lac conuertatur, ex quo post partum viuat infantulus. Quartam vero partem, nam quadrifariam diuidunt hunc humorem, dicunt vsque ad partum reseruari, vt cum fœtu effluat, & per eum fiat ad faciliorem partum via lubricior. sic est prouida, vigilansque natura. Sequitur sextũ, id est, instrumentorum animæ formatio: proposita enim materia vis illa formatiua, de qua supra diximus, massam illam complexa corpus orditur, ossa coagmentat ac tubulat, neruos extendit, cerebrum, cor, eparque coagulat, venas arteriasque disponit, villos, chordas, ligamenta contexit, fistulas, spiramentaq; expedit, metatur loca sensibus nutrimento, & excremẽto vias præbet. Intrinsecus vtilitatis, extrinsecus habetur ratio venustatis: reddit membra leuia, &, ac si torno rasa sint, teretia: demũ si corpus est masculi, quadragesima: si vero est feminæ, octuagesima die capax est animæ. Sequitur ergo septimum, id est, animæ infusio: quæ tamquam flatus viuens vitæque spiraculum mox per totum corpus illabitur, eique colligatur adeo firma solidaque compage, vt non possit amplius, nisi cum à Deo reuocatur, absolui. Immergitur enim anima corpori per eas potentias, quas, quod instrumentis vtantur, dicũt organicas. sicut arbor telluri per radices, & quemadmodum arbor trunco & ramis exstat: sic animæ pars rationalis voluntatem, intellectumq; complexa, supra corpus eminet, eiq; dominatur, & pre-

& præſidet. De octauo, hoc eſt de nutrimẽto verba non faciã, cum ſit dictum ſupra, menſtruum fœtus eſſe nutrimentum. Tranſeundum ergo ſine mora ad nonum. Tempus pariendi nonus eſt menſis: ſeptimum etiam natura non reſpuit: octauũ vero damnat, quod eo editus infans non viuat. Cauſam eſſe aiunt, quod primo menſi Saturnus, qui planetarũ eſt primus, dominetur, & ſic viciſſim ſingulis menſibus ſinguli planctæ vſque ad Lunam, ſub qua qui naſcitur, vitam auſpicari feliciter creditur: qui vero tranſierit ad menſem octauum, quia relabitur rurſus ad Saturnum, quod eſt ſidus maleficum, dicunt male affici, nec tute poſſe naſci, niſi nono menſe Iouis benignitatem exſpectarit. De exitu fœtus decimo eſt agendum, nec dubium, quin via naturalis ſit porta pudoris: qua namque cecidit ſemen, naturale eſt vt exeat germen. At quia ſunt qui dicant natũ nullo modo dici debere, qui ad lucẽ venerit aliunde: cogor hęſitare, altiuſque meditari, an tali naſcendi modo ſit natiuitatis nomen obnoxium. Audio frequenter in eccleſia cantari, ex Patre natũ ante omnia ſæcula. Ecce nati appellatio, vbi non eſt talis fœtus explicatio. Videmus etiam ſemina arborum & herbarũ, ſi aliquo impedimento prohibita nequeãt, vbi ſunt ſeminata, germinare, quęrere nouas vias, alibiq; fruticari. Legimus etiã filios quomodocũque ſint editi appellari natos, & id nomen etiã ad nepotes Modeſtinus extendit. Dicũt etiam, quod omnia naſci faciat, appellari naturam vim rebus inſitam, quam Seneca Deum eſſe exiſtimauit. Memini etiã in quintodecimo Metamorphoſeos libro legiſſe me olim, quid ſit naſci. Ingenioſiſsimus enim poeta Ouidius dogma Pythagoricum verſibus intexens ita inquit.

Non perit in toto quidquam, mihi credite, mundo:
Sed variat faciemque nouat. naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quã ꝙ fuit ante: moriq; Deſinere illud idẽ.

Ex his cogor dicere mihi videri tumdemum rem quampiam naſci, cum debita naturæ periodo iam completa quauiſcunque via prodit ex vtero atque ita plures modos eſſe naſcendi: & ſi enim natura vnum inſtituit ſciens, tamen illum poſſe impedri alios reliquit, quibus, cum opus eſſet, vteretur.

Quod si maturo iã partu porta pudoris sic obstruatur, vt nulla naturę vi possit recludi, negabitur ne fœtui posse aliter nasci? Legimus vnũ Gorgiã Epirotã in funere matris de vtero elapsum. Scipio Africanus, & plerisque alij cæsis matrum vteris leguntur exemti, & nihilominus dicuntur nati & geniti. Ad verba Vlpiani, quæ sunt in ff, de verborum significatione glossema quoddam vidi appositum, quod taliter exemtos velit esse natos, licet dici non possit matrem peperisse: parere enim est vi materna fœtum emittere: vnde quæ peperit dicitur connixa, id est, simul cum fœtu nitendo exonerata: fœtui etenim danda est actiuitas in hoc actu, qua se etiam ipse nitatur exsoluere: & id patet in exemplo supradicti Epirotę, qui de matre iam mortua legitur elapsus. Videndum iam breuiter, quænam ex istis decem in Christi generatione concurrerunt: ex quo patebit naturalem vterum fuisse nullo pacto prętermissum. Primum omnino fuit obseruatum. Virgo enim erat, in pubertate, cum ab Angelo salutata, concepit. In secundo cœperunt prodire miracula: Patris enim semen, quod in generatione naturali maxime est necessarũ, fuit prętermissum, & Spiritussanctus, imo tota Trinitas suppleuit hunc defectũ: quod exprimitur cum dicitur, Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Nam, vt dicit Hieronymus in expositione symboli ad Laurentium papam, per altissimum intelligitur Pater, per eius virtutem Filius: & in hoc concordant omnes theologi, quod Dei operationes circa creaturas sint comunes toti Trinitati, penitusque indiuisæ: tribus nãque personis vna est essentia, vna voluntas, vna potentia. Cur vero sic factũ sit, beatus Bernardus in sermone de virgine causam hanc assignat. Non enim, inquit, alius decebat partus virginem, nisi Dei filius: nec alia mater decebat filium Dei, nisi virgo. Tertium pariter, hoc est virginitatis violatio, fuit exclusum: postposito namque maris officio, nihil fuit circa hoc attentandum: nec sit aliquis adeo ineruditus, vt putet per eam viam diuinitatem Verbi subintrasse Mariam: Deus enim cum per essentiam & pręsentiam sit vbique, non potest de loco ad locum accedere; sed, vt inquit Boethius Seuerinus, stabilisque

manens

manens dat cuncta moueri. Vnde dicitur ab Augustinó quod Deus est intra omnia non inclusus, & extra omnia non exclusus: quod dictum quidam Poeta Hebræus volens vsurpare, dixit Deum מיצים הכל ואז הכל מיצמי, id est Deum esse omnem locum, & omnia non esse locum eius. In Virginem ergo non venit: sed in ea existens humanitatem induit. Venio ad quartum, scilicet ad vterum: vbi ne primæ quæstionis videamur obliti, &, vt quod nunc instat peragamus, est aduertendũ: quod si aliquis fuisset locus in muliere, qui esset idoneus generationi, Deus vterum nunquam fecisset: quia frustra fecisset: theologi enim & philosophi in hoc conueniunt, quod Deus & natura nihil frustra faciunt. Item si Christus extra vterũ fuisset conceptus, Deus videretur condemnare seipsum: quod scilicet fecerit instrumentum, quod non esset conueniens suo fini: nec ad Manichæorum dicta quis recurrat: dicebant enim Manichæi maiestati diuinæ non conuenire in sordes illas descẽdere, in fæcibus illis volutari, venire in sentinam humorũ putridorum, & multa his similia, quę procedunt ex dicentis imperitia. Si enim Deus vbique locorum est, nec potest quod plus est vbique non esse, quæ dementia est putare sordes ei displicere?

O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes.

Nihil præter peccatum Deo est immundum.

In actibus Apostolorum recitat Lucas, Petrum audiuisse vocem hanc de cœlo: Quod Deus creauit immundum ne dixeris: Omnis ergo creatura Deo est munda. Quod si Deus detestatur loca sordida, non erit in Auerno Campanię lacu, quẽ prę putore non possunt volucres super volare: non erit in Amsancto, fugiet Mephitim: non poterit ferre Lazarum mendicum, cuius vlcera purulenta tabe manantia lingebant canes: Iob in sterquilinio iacentem, & testa latericia saniem abradentem intueri non poterit. quod si sordes nõ detestatur, cur ergo exhorrebit Virginis vterum, qui nõ exhorret cloacas, qui non abominatur Stygem & Infernum. Scribitur enim de eo, Si adscendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Videmus Solis radios transire super sordes, nec contaminari,

& credimus Deum posse inquinari: quā vanæ sunt nostræ cogitationes, quam falsa iudicia, quam stulta prudentia? Dicunt theologi rationalem animam in qualibet parte corporis esse totam: habitat in pudendis, versatur in obscœnis, exsequitur sordida officia ęque ac splendida, & ęquali caritate curat vniuersa. Ex quo patet incorporea non timere sordes: sed vbique viuere munda ac nitida. Confirmatur hoc per id quod quotidie cantat ecclesia, quę Ambrosij, & Augustini verba fuerunt. Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterū. quod si hæc alicui forte non sufficiant, & obstinate dicat magis conuenisse dignitati Christi extra vterum concipi, respondemus non debere heic dignitatis eius haberi rationem: Ipse enim sic voluit: nam cum in forma Dei esset, vt inquit Apostolus, non rapinam arbitratus est esse æqualē Deo: sed pro nostra redemptione, vt Gręci aiunt αὐτόματος, venit: non coacte, sed sponte semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominū factus, & habitu inuētus vt homo. Confitentur theologi nostros defectus eū assumpsisse, non qui ad culpā pertinent, sed qui ad pęnā, excepta ignorantia: quā licet ad pœnā pertineret, nō assumsit: quia legislatorem, & Dei atq; hominum mediatorē, esse non decebat ignorantē. Et quomodo, rogo vos, potuit credi locū esse in pectore mulieris tātæ capacitatis, vt capiendo infanti esset idoneus? Solet vsu euenire, vt nōnunquam feminę pregnantes respirandi difficultatē, & nescio quid asthmati simile patiātur: vter' enim latæus effusus, & crescēte fœtu sursum extentus, præcordia pulmonemq; coarctat, & nōnunquā cordis lædit officiū, syncopimque inducit. Quomodo ergo si supra vterū proles fuisset, matrē non suffocasset? Sed nō minus ea quæ de Ioseph scribūtur, probant Christū in vtero conceptum. Scribit enim Euangelista, quod voluit Mariā occulte dimittere, eo quod esset inuēta in vtero habere. Nam cū ab Elisabeth visitatione post tres ab annuntiatione menses rediisset, vterū eius intumuisse deprehendit: ex quo arguebat eā pręgnantē. Si non fuisset in vtero fœtus, nō intumuisset vterus, sed alius locus, vbi fuisset fœtus: & non fuisset pręgnans iudicata, sed aliquod morbi genus incurrisse.

fuisse. Præterea, vt dicit Origenes, inter alias causas, propter quas Deus Virginē maritauit, hęc quoque affertur, vt diuinus partus diabolo celaretur. Quomodo ergo celaretur, si nouo & inusitato modo, & nunquā amplius viso conceptum cognouisset? Quomodo nō cōtinuo iudicasset diuinitus fieri, quod vi disset cōtra naturę legē potestatemque procedere? Possem hæc cōfirmare per conciliorū decreta & per sanctorū dicta, & maxime Cyrilli nostri patriarchæ Alexādrini, qui in laudē Virginis multa disputauit, & pręsertim, quod theotocos, id est Dei genitrix appellanda sit, dū illis cōcilijs interesset, quorū euāgelio par est auctoritas. Duos enim Cyrillos habuit ordo meus: istum, scilicet de quo nunc est sermo, & aliū presbiterū natione Græcū, cui multa diuinitus super statu ecclesię fuerūt reuelata. Possem inquā ad confirmationē istorū multa producere: sed institutū nostrū est ista probare ex ordine naturę potius, quā ex doctorū testimonio & auctoritate. Quintū quo ad Virginē fuit seruatum: ipsa enim materiā præstitit: & oēs theologi volūt ex purissimis eius sanguinibus Spiritusſancti potētia, quæ virtutis formatiuę gerebat officiū, Christi corpusculū fuisse concretum. Sed siue isti sanguines in vteri receptaculo congregati fluxerint ex corde, vt aiunt voluisse Albertū Magnū: seu sint aliunde deriuati, quia scitu est impossibile, nihil nobis curandū, nec inquirendū. Transeo ad sextum, hoc est ad instrumentorum animæ formationem. Heic ordinem naturæ voluit pretermissum: nam quod natura diebus quadraginta vel circiter consummasset, subito Spiritusſanctus creditur absoluisse, & hoc propter infinitam Dei potentiam, quæ in momento, immo sine momento & sine mora temporis operatur. Propterea philosophi frenādæ illi rapidissimæ virtuti secundarum causarum, sine quibus eam nolunt operari, tarditatem annectunt, & aiunt successionem inde procedere. Potest tamen Deus, quia voluntate, vt nos dicimus, non necessitate, vt illi fingebant, operatur: vim suam temperare, pedetentim ire: sicut patet in mundi creatione, quem absoluit sex diebus: & cooperantis imbecillitatem exspectare: quod plerique in hac formatione factum putant: & huic opinioni

videtur adſtipulari dictum Auguſtini.quod per theologorum ſcholas circumfertur. Ait enim Auguſtinus: Sic Deus res, quas condidit, adminiſtrat, vt eas agere proprios motus ſinat. Tres autem motus in tertium ſententiarum recitat Scotus, qui, cum generatio ſit naturaliter, animę infuſionem ſemper prçueniũt. Primo namque ad naturalem locum, qui eſt vterus, mouetur materia: ſecundo accipit figuram quandam rudem ac diminutam: tertio fit denſior, ſeſeque contrahendo minus loci capit. Ad hos igitur tres motus potuit concurrere matris actiuitas, niſi fortaſſe fuit omnino Spiritusſancti virtute prçuenta, de quo quid tenendum, nec doctores definiunt, nec humana ſpeculatione poſſumus conſequi. Circa infuſionem animę, quod erat ſeptimum, à nobis videndum fuit naturalis ordo proſtergatus. ſtatim enim ſine conſueta mora, ſine temporis intercapedine figuratis organis, atque diſpoſitis ſuperuenit vita, & infuſa eſt anima rationalis, continens virtute duas inferiores, vegetatiuam ſcilicet, & ſenſitiuam: quarum operationes prius apparent, ſcilicet nutrire, creſcere, ſentire, & moueri: proprię vero rationis functiones defęcationem membrorum prçſupponunt. Circa octauum & nonum nullum accidit naturę prçiudicium: vſa eſt enim libere ſuo iure: miniſtrauit mater alimentũ, & tempore opportuno partus eſt editus. At quoniã, vt volunt grammatici, parturire eſt in partu laborare: parere vero fœtum emittere: ſciendum eſt Virginem peperiſſe quidé, ſed non parturiſſe: nam ſine doloris anguſtia, ſine omni laboris moleſtia fœtum emiſit. De decimo autem, ſcilicet de exitu dubitatur: ſunt namque qui dicunt Chriſtũ naſcendo ſeruaſſe quidem clauſtra pudoris: ſed tamen per id clauſtrum exiuiſſe: neque enim, vt ſupra meminimus, aliter concederetur eſſe natus. Sunt qui id nõ curent, dicentes, poſtquam exiuit ſalua virginitate, non minus potuiſſe prodire aliunde: ſicut quando ad diſcipulos intrauit ianuis clauſis, tam potuit intrare per alium, quam per ianuæ locum. Illud autem quod dixit Deus ad Ezechielem de porta orientali, quod ſcilicet clauſa eſſet, & ſolus princeps tranſiret per eam, Hieronymus exponit de intellectu ſcripturarum per ſolum Chriſtum aperto: ſed tamen, quia quidam vo-

dam volunt de beatissima Virgine hoc fuisse dictum,quod scilicet Christus intrauerit exiueritque per eam, respondent id verum esse,sed viam illam nō tamē obseruasse. sic enim de diuina maiestate putandum est, cui nuda & aperta sunt omnia. Addunt etiam,quod ab istis sensibus mysticis,expositionibusque allegoricis firma trahi non possunt argumenta : nam pro ingeniorum varietate mutantur: vnus enim per portam illam dicit intelligendum scripturarum intellectum : alius beatam Virginem:alius introitum vitę ęternę,quę aperta est per Christum, vt ipse in multis fratribus teneret principatum. Sed his iam posthabitis videamus breuiter, an generatio hec dicenda sit naturalis, an miraculosa. Non sum nescius Anselmum in libro de conceptu virginali, videri dicere miraculosam potius, quam naturalem. nos autem putamus ex parte miraculosam, & ex parte naturalem:miraculosam quoad ea quę Spiritussanctus fuit operatus:naturalem vero quatenus Marię virtus concurrisse videtur. Ipsa enim, vt dictum est, corpori formando materiā pręstitit:vterumq; subministrauit:alimētum prębuit: nouem mensibus fouit. Simili modo theologi dicunt theologiam, partim naturalem respectu intellectus eam recipientis, qui habet naturaliter hanc capacitatem : partim supernaturalē respectu reuelantis. Et magister sententiarum dicit Christum, si ad Dei operationem spectes,dici factum: si ad matrem respicis,appellari natum: dicit enim Apostolus: Natum ex muliere factum sub lege. Superest vt aliquid de opinionis promulgatore subiungamus. Prius ergo notandum, quod dogmatis huius inuentrix est mulier, quę spiritum prophetię dicitur habere,& vitę sanctitate creditur pręcellere: sed propter hoc tamē vestigia non muto, ex proposito non discedo. Scriptum est enim à Paulo Apostolo, quod Satanas in Angelum lucis se transfigurat, & quod probare debemus spiritus an ex Deo sint, & eatenus audiendi,quatenus doctrinę Christi sunt conformes. dicit item Paulus spirituum discretionem donum esse Dei,nec omnibus concedi. Ex his profecto dictis reuelationes huiusmodi redduntur suspectę: nec eis leuiter adhibendę sunt aures. Vtrū putem is,qui ista promulgauit,sit habendus hęreticus,vt volū t

eius aduersarii, grauiter atque acrociter eum insectãtes, dicam quod sentio. Omnes theologi concorditer asserunt, & presertim Guido ordinis mei, qui fuit Episcopus Maioricensis & generalis Inquisitor hæreticorum, ad veram hæresim plura concurrere, quę hic subnectam. Primum est error in intellectu, circa aliqua quę sunt fidei: nã si circa omnia erraretur, nõ iam hæreticus, sed apostata diceretur. Dicitur autem in intellectu, quia quando erratur à sua voluntate, peccatum quidem committitur, sed peccans hæreticus non constituitur. Item obstinatio, & incorrigibilitas: & hęc est consummatio talis malitiæ. Addunt alij errorem in voluntate, qui tamen comprehenditur in obstinatione: potest etiam ad illud referri quod dicit Augustinus, & habetur in Decretis causa xxiiij. quęstione tertia, vbi dicitur hæreticum esse, qui alicuius temporalis cõmodi & maximè vanæ glorię, principatusque sui gratia falsas ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. Accedo iam ad Petrum. Videbatur vir iste modestissimus, sic sentire propter tria. Primum erat, quod mulierem illam celebrem faciebat sanctitatis opinio, & magnam authoritatem sibi consciuerat, non apud vulgus solum, sed etiam apud primarios ciues vrbis Bononiæ: adeo vt cum ad eam ibant, viderentur ad quandam Sibyllam accedere. Secundum erat, quod opinio videbatur ex reuerentia Christi proficisci, & magnam pietatem præseferre. Tertium, quod putabat dictionem hanc vterus posse extendi, & improprie poni pro thorace. Legerat enim in hymnis ecclesiasticis, qui de hac conceptione faciunt mentionem, venerabilem illum vterum vocari aliquando viscera, aliquando ventrem, nonnumquam etiam aluum, atque claustrum, vt est videre in hymno qui incipit: Quem terra pontus æthera. Et his de causis permotus pendebat in hanc partem, citra tamen contumaciam: semper namque protestabatur, si doceretur de errore, pariturum se vtique saniori doctrinæ, dicebatque hoc modo Christi decus se procurare, sanctissimamque eius conceptionem honestare, magisque Deo honorem quærere, quam humanam gloriam sibi aucupari. In omnibus etiam dictis ac respõsis, quamuis esset ab aduersarijs atrocissimè prouocatus, mitis-

mitißime, modestißimeque semper se habuit. Audiui eum publice concionari, & videbatur mihi consummatus orator, id est, vir bonus, dicendi peritus. His igitur consideratis iudico cum eo mitius agendum, & pro hæretico nequaquam habendum, & de eo posse dici illud Christi, Hæc infirmitas non est ad mortem: cito enim futurum est Deo, cuius honor procuratur, largiente, vt ableget à se hanc febriculam, & recuperata sanitate perfruatur. Ad rationes eius, quæ reuera sunt eneruės, & imbecillæ, & à quouis etiam minus litterato solui possunt, nihil respondeo: videtur enim per illas potius tentare voluisse, quid aduersarij responderent, quam dictam opinionem confirmare. Dum hęc dictarem, superuenerunt litterę de litis terminatione, &, vt mihi relatum est, non fuit ipse Petrus condemnatus: sed tali ordine iudices processerunt: Conuocatis enim ex omnium religiosorum ordinibus viris theologię peritis, quęstio fuit proposita, & ad dubium examinandum tempus aßignatum. Demum secundum responsa eorum lata est sententia: atque ita Romę, sicut prius fuerat Mantuæ, damnata est opinio: ipse vero Petrus benigne absolutus, atque dimissus.

REDEMPTORIS MVNDI MATRIS ECCLESIÆ Lauretanæ Historia.

Frater Baptista Mantuanus congregationis Mantuanæ obseruantium Carmelitarum Vicarius, Reuerendiss. in Christo Patri dominoque suo, Domino Hieronymo Rueri S. Grisogoni Cardinali, & Episcopo Recanatensi cum sui commendatione salutem optatam in Christo sempiternam.



VM nuper venissem ad sacratissime Virginis Lauretanæ sanctum domicilium, vidissemque quot & quanta Deus ostendat in eo loco miracula, & suæ virtutis atque clementiæ signa manifestissima, me subitus horror inuasit, & visus audire vocem Domini loquētis ad Mosen Exod cap 3. Non appropinques huc, solue calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Sed mox quasi expergefactus & reminiscens Christum in hac mortali vita peccatorū non abhorruisse consortia, quoniam ipse cognouit figmentū nostrum, & scit quod puluis sumus, cœpi singula oculis perlustrare: molē ingentem suscipere, & vota parietibus affixa perlegere. Et ecce sese mihi offert tabella, situ & vetustate corrosa, in qua, vnde, & quonam pacto locus ille tantam sibi vendicasset authoritatem, conscripta erat historia. Tum feruore pietatis accensus, ne propter hominum incuriam, quæ preclara omnia solet obscurare, tam admirabilis rei memoria aboletetur, volui de tabella illa carie & puluere iam penè consumpta, rei gestę seriem colligere. Nec dubito qnin ipsa Dei genitrix, cui meus peculiariter dedicatus est ordo, affectum magis, quam effectum, inspiciens studeat apud filium mihi veniā impetrare, cùm annitar apud homines eius laudem & glotiam promulgare. Historia igitur in tabella continebatur huiusmodi.

Templum beatissimæ Dei genitricis Lauretanæ quondam Virginis ipsius cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriële salutata, & Spiritusancto fuit obūbrata. In eo Christus conce-

cōceptus, & vsque ad fugam in AEgyptum semper educatus. Erat autem hoc venerabile, sanctumque cubiculum, cùm hæc in eo gesta sunt in Nazareth Galilææ ciuitate vicina Carmelo Heliæ Prophetę. Post ascensionem Christi beatissima Virgo pręsentia filij destituta, quo ad potuit cum Apostolis & Christi discipulis vitā duxit, & cum Ioāne pręsertim, cui ob sanguinis coniunctionem & similitudinem virginitatis specialiter fuerat à Christo commendata. Quo tempore Apostoli cubiculum eius, quòd in eo fuissent tot cōsummata mysteria solenni more consecrantes in domum verterūt orationis, & eam quę adhuc superstes est crucem ligneā in Passionis dominicę memoriam suis manibus fabrefactam intulerunt. Imago autem illa cui tantus honor adhuc exhibetur, facta est instar beatissimæ Virginis artificio Lucæ Euangelistæ, qui fuit ipsi Virgini familiarissimus, & ab ea magnam eorum partem quæ scripsit in Euangelio diligenter intellectam, fideliter explicauit. Fuit sacellum hoc in summa semper apud Christianos habitum reuerentia, vsque ad eam tempestatem qua frigescēte iam charitate multorum, & generis nostri sanctimonia declinante, Terræ sanctæ loca in Agarenorum potestatem deuenere. Sub Eraclio enim Romanorum Imperatore Cosdras Persarum Rex immanissimus terram omnem promissionis inuasit, & Hierosolyma vastata lignum sanctæ Crucis in prędam tulit, & odio Christiani nominis longè lateque debacchatus Ecclesiam Orientalem valde debilitauit. Tunc etiam Mahomete inualescente, cœpit Dei cultus & fides orthodoxa ab Oriente in Occidentem transmigrare, tum quoque fuit ipsum cubiculum Angelorum ministerio relictis fundamentis eleuatum, & ad Illyricos prope castellum, cui nomen est Flumen, diuino iudicio transportatum. Vbi cum fortè ob gentis illius incuriam, vel inscitiam religiosè minus haberetur, cum aliquamdiu permansisset iterum trans Adriaticum sinum in agrum Recanatensium, qui olim, vt opinor, Recinenses appellabantur diuina virtute translatum est, & in sylua nobilissimæ mulieris, cui nomen erat Lauretæ, vnde & sacello cognomē inustum est collocatum. Verùm cum in ea silua crebra fierent latrocinia, &

plerique eorum, qui ad locum illum religionis gratia confluebant, sicariorum insidijs trucidarentur, ne quod venerat ad salutem fieret perditionis occasio, cubiculum idem miro modo de silua migrauit in vicinum collem duorum fratrum, qui lucrum de religione sectantes, cum cœpissent de quęstu sacelli eius inter se contendere, causa fuêre vt cubiculum de colle prędicto in viam publicam, vbi adhuc sedet Angelorum obsequio transferretur. Crescente indies huiusmodi transmigrationis (quę nulla ope humana fieri potuit) & miraculorum fama celebriore versi erant in stuporem vicini populi, & Recanatenses pręcipuè quos Recinenses, vel Recinates olim appellatos ante diximus. Nam in horum agro situm est templum, vix tribus passuum milibus distans à mari. Facto igitur Recanatenses magno hominum conuentu vt sacellum, sine fundamentis repererunt, his quę vulgò de eius transmigratione ferebantur fidem adhibuere, & ne vnquam collabi posset, muro firmissimo iactis altè fundamentis circundedêre, qui tamen nunquam, cùm id maximè conarentur ædificantes, antiquo potuit ædificio cohærere, ne diuinæ virtutis opus admirabile mortali obseruaretur industria.

Anno Christianę salutis M. CCCLXXXVI. cuidam vitæ innocentissimæ, & puritatis immaculatę viro, qui ad sacellum hoc studio pietatis assiduè, diu, noctuque veniebat beata Virgo in somnis apparens, prędicta omnia reuelauit, & vt omnibus palam faceret imperauit, quem vbi noua hæc, & vix auditu credibilia, prædicantem audissent finitimæ vrbes primo derisere, mox vt eadem sæpius affirmanrem, & in sententia firmum, nec vlla irrisione commoueri de proposito videunt, ad altiotem inquisitionem veri constantia vehementer animati, sexdecim cordatos viros dirigunt, qui communibus circumadiacentium regionum impensis, mari longa nauigatione transmisso, post Dominici sepulchri visitationem peruenerunt in Nazareth, vbi summa cum diligentia, & propter barbarorum sęuitiam, non sine vitę periculo fundamentis cubiculi tandem inuentis, ex parietum crassitudine, intersapedine, figura, & structurę similitudine manifestè deprehende

henderunt vera esse, quę de loco sacratissimo per virum sanctum diuulgabantur in patria. Reuersi igitur omnibus quę solerter inuenerant explicatis, Deo verba eorum credibilia faciente populos in ea opinione & fide facilè confirmarunt. Hinc factum est, vt non finitimas tantum, verum etiam longè positas transmarinas, etiam ac transalpinas nationes ad visendum locum fama perduxerit. Nemo est enim tam obstinatæ nequitię, tam feris moribus, tam indomitis ceruicibus, qui si putet hoc fuisse Virginis immaculatæ cubiculum ad ipsum videndum, venerandumque summo non accendatur ardore. Ipsa quoque Dei genitrix, quæ suapte natura semper mitissima fuit, & in fauorem hominum inclinatissima facere non potest, quin ob natiuitatis quoque suæ, & incarnationis Christi iucundam, dulcemque memoriam dignè supplicantibus postulata concedat, cùm præsertim ad benefaciendum humano generi amplissimam à filio potestatem acceperit.

Prope sacellum istud dum adhuc esset in silua Lauretæ, vir quidam Paulus nomine, solitarius, mirabilis abstinentiæ, orationis assiduę, puritatis Angelicæ, sub quodam tuguriolo dicitur habitasse, qui dum circa Virginis natiuitatem, sicut quotidie solebat orationis gratia antelucano tempore veniret, ad locum quotannis toto decennio, vidit lumen instar Cometæ clarissimi, duodecim longitudinis, & sex latitudinis, vt à longè poterat æstimari, pedes habens è cœlo versus Ecclesiam descendere, quod mox vt peruenisset ad Ecclesiam subtractum ab oculis euanescebat. Quamobrem dicere solitus erat se putare beatam Virginem, vel Angelum ab ea missum ad Natiuitatis suæ solennia quotannis aduentare, qui venientes ad Ecclesiam protegeret, & confluentium ea die turbarum preces, & vota Deo præsentaret. Paulus Riualducius Recanatensis, perspectæ fidei, & singularis prudentiæ vir, propinqui vici, tunc habitator Neroniano sacelli huius Rectori, iuramento astrictus constantissimè sæpius affirmauit auum suum dicere solitum, se ab auo suo sæpius audiuisse, quod

quod oculis ipse suis vidisset Ecclesiam hanc transfretare, & super fluctus marinos in modum nauis allabi, ac in terram descendere, & in silua ipsa se collocare. Eidem Rectori Neroniano Franciscus Recanatensis cognomento, Prior iureiurãdo adactus retulit se audiuisse auum suum, qui centum & viginti annorum erat, dicentem se pluries ipsam Ecclesiam in sylua vidisse, introisse, & adorasse, & suo tempore loco mutato in duorum fratrum collem ascendisse, & auum suum prætere villam habuisse vicinam Ecclesiæ dum erat in silua. Hæc quæ supra diximus omnia exceptis admodum paucis quam illustrant, & nulla ex parte vitiant historiam, ex prædictæ tabulæ exemplari authentico, cui fidem adhibere necesse est, decimo Calend. Octob. Anno M.CCCCLXXIX. seruata scripturę veritate transumpta sunt.

DE NOVA ECCLESIA, ET DE MINISTRORUM reformatione.

PAVCA ex his quę nostra ætate prędicto sacello sunt addita posteriorum & aduenarum intelligentię seruire cupiens, adiungenda putaui. Et primò cur noua illius singularis delubri structura sit inchoata, & quis eius author extiterit, mox de eius consummatione, & loci, ac ministrorum reformatione paucis absoluendum. Petrus Barbus patritius Venetus S. Marci Cardinalis, qui posteaquam ad summum Pontificatum assumptus est secundum morem Romanum nomine mutato. Paulus secundus est appellatus, mortuo apud Anconem Pio Pontifice Maximo Romam rediẽs, pestilentiæ morbo correptus est, & cùm iã febris, ardor, & grauedo capitis, quę in ea ægritudine molestissima est, ac inguinis dolor sic inualuissent, vt equitare amplius non posset, recordatus est vicini cubiculi Beatę Virginis, quod omniũ miserorum vnicum solet esse refugium. Concepta igitur spe sanitatis, & aucta propter aduersitatem & metum religione tremebundus ad sacellum antedictũ diuertit. In quo aliquãdiu solus cùm orasset, de salute & de summo Põtificatu, nescio quo pacto, certior factus exiuit,

exiuit,& Ecclesię Curatori aduocato,vt lapides calcem,ligna-que confestim prępararet, & operarios conducat ad nouam pulcherrimi atque amplissimi templi constructionem impe-rauit. Romam reuersus in Pontificem eligitur,& mox prolata in opus egregium quod mente conceperat, ingenti pecunia, templi huius,quod tanta mole consurgit in cœlum,iecit fun-damenta. Sed eo ante operis consummationem vita functo (non enim diu superstes fuit) successor eius Sixtus, vir doctri-na,sanctitate, & rerum gerendarum prudentia clarissimus, te Reuerendissime domine,quod ei nepos esses,& ob naturę bo-nitatem, quod est maximum Dei beneficium dignus tanto splendore videbaris S. Grisogoni Cardinalem, & Recanaten-sium Episcopum ordinauit. Tu verò non rapinam arbitratus, te ad tam clarum & illustrem gradum euectum esse, sicut tui similes decet ad pietatis opera,& ad diuini cultus ampliationē te tanto amplius conuertisti, quo magis id accepta maiore benefaciendi facultate potuisti. Opus igitur à Paulo prius in-cœptum,magnis animis aggressus structuram hanc eo magni-tudinis prouexisti, vt certare videatur cum illis antiquis Ro-manę magnificentię ædificijs, quorum etiam nunc ruinę no-bis sunt in admirationem. Et vt templum & sacraria eius tuta sint ab iniurijs, turres arduas cum propugnaculis in modum validissimę arcis addidisti, vt Turcorum, qui circa hęc littora nauigijs leuibus pręteruolare, & oram istam latrocinijs in-festare cœperunt, incursiones repentinas & impetum ferre possit. Et de templo hęc pauca dixisse sufficiat.

Aliud meriti non minoris apud Deum, & non inferioris laudis apud homines opus inchoasti. Nam quia more Sixti auunculi tui Beatissimę Virgini penitus es addictus, cogitasti quopacto loci maiestatem magis ac magis amplificares. Et audiens ordinis mei fratres (vt ex Ioannis xxij literis apparet) beatissimæ Dei genitricis titulo specialiter insignitos, & sicut ex Decretalium lib. sexto capitulo,de religiosis domibus,testi-monium habetur, inter omnes religionum ordines antiqui-tate prestare, habuisse item nos ab Helia & Helizeo in monte Carmelo principium & originem, vt auunculus tuus Sixtus literis

literis Apostolicis attestatur, & Patres ac antecessores nostros viros sanctissimos, omnia ferè loca sacra terræ sanctę (inter quę fuit & hoc sacrum Virginis domicilium) olim tenuisse, ac religiosissimè gubernasse, priusquam Sarracenis Dei iudicio darentur in prędam: hęc, inquam, audiens rem conuenientissimam, & opiæprecium existimasti nos in antiquam restituere possessionem. Et idcirco hoc anno me Vicario ex Mantuana congregatione, quę (Deo aspirante) de negligentię sordibus, quibus penè totus ordo noster obruebatur emergens instar antiquorum patrum, vitam & mores nititur instituere, triginta viros approbatissimos in ipsa Ecclesia constituisse, qui in cordis munditia Deo seruientes, audiendis fidelium confessionibus, & diuinis officijs vacēt, ac omnium quę ad diuinum cultum pertinent, curam gerant, quibus incœptis author, & conseruator omnium bonorū Deus adiuuat, aspiret & faueat.

Non prętenbo vnum, quod ego ipse his oculis vidi, his auribus hausi. Cùm visitandorum fratrum gratia, nuper eo me contulissem contigit, vt mulier quædam Gallica nomine Antonia opibus & parentum nobilitate satis clara, & iam diu à pluribus dæmonijs obsessa, ad sacellum gratia curationis duceretur à viro: & dum presbyter Stephanus vir integerrimus super eam de more legeret adiurationes, quas Gręcè dicimus exorcismos, dęmon quidam qui Arcton se nominabat, & eum se esse iactabat, quo instigatore trucidati sunt innocentes, interrogatus ad suam confusionem, an id cubiculum fuisset Virginis immaculatę, respondit fuisse quidem, sed id se inuitum fateri, & ad huiusmodi veritatis confessionem à Maria cogi, qui & locum vbi Gabriel, vbi Maria fuerat ostendebat. Adiuratus iterum, vt diceret quinam loci, ipsius dum esset in Nazareth curam habuissent, post iteratos sępius exorcismos spumans, furens, ac ob oculos subuertens, & linguam exerens, tandem ægrè respondit: Carmelitas antiquos curam eius habuisse. Hęc non à me conficta, sed audientibus multis, qui adhuc supersunt, ita gesta narrātur. Cætera quę propè infinita sunt, & inenarrabilia miracula, ne sim oneri tuę Reuerēdissimę dominationi, aliunde multipliciter occupatę, consultò prætermitto.

termitto. Aliquando tamen cùm dabitur otium, clariora quędam ex hoc colligere, quæ matris suę meritis Christus in eo loco dignatur misericorditer operari, conscripta tuæ Reuerendissime Dominationi dedicare consilium est.

Eiusdem ad eundem Lauretanæ Ecclesiæ laudatio per Parallelum.

His igitur recitatis Reuerendissime in Christo Pater, ac Domine colendissime, pro tuis multiplicibus, ac immensis in nos beneficijs, & pro nostro in te affectu, & singulari charitate volo, quid de cubiculo illo sacratissimo mente conceperim, & sententiam breuiter explicare, vt meam audiens quam rectam esse non dubito, tuam de loci illius præstantia, atque sanctitate ad promerendum fauorem beatæ Virginis, cui more auunculi tui Sixti, Pontificis Max. es addictissimus confirmes opinionem. Beatissimæ Virginis Lauretanę, venerabilis, ac toto terrarum orbe celebratissimus locus, in quo manifestis, ac euidentibus miraculis quotidie diuina virtus effulget, proculdubio, imprimis debet à cunctis fidelibus honorari. Constat enim sacellum illud sacratissimum beatissimæ Dei genitricis Mariæ, cœlorum Reginæ, Angelorum dominæ, militantis Ecclesiæ patronę, peccatorum aduocatę fuisse cubiculum quo ipsa nata, & in gremio ac sinu Annę matronæ sanctissimę dulciter educata, in quo ab Angelo salutata, in quo denique nostrę salutis author, ac mediator Dei & hominum Christus Iesus incarnatus, & vsque ad fugam in AEgyptum, & post reditum ab AEgypto fuit enutritus. Atque ita tres naturæ rationales, quę naturis alijs dominantur & pręsident, in istud domiciliũ, quasi in conclaue quoddam, diuersoriumque secretissimum conuenere, vbi de republica totius mundi consultatio salutaris haberetur. In eo namq; reparationis humanę iactũ est fundamentũ, pullulauit nouę legis exordiũ, reuelatũ est diuinę mentis arcanũ, & factũ est illud immensę charitatis, & supernę dignationis officium, quod vt Paulus inquit, vbi venit plenitudo tēporis humano generi Deus apparuit. Quamobrē iudicio meo tanta est loci huius dignitas, talis gloria, tam excelsa maiestas, vt ipsum locis omnibus, quę sub cœlo sunt, vel anteferre,

vel

vel æquiparare non dubitem: nuſquam enim magis egregia opera, magis alta myſteria diuina clementia monſtrauit in terris. In agro vt ferunt Damaſceno, de limo terrę homo creatus, hic de puriſſima virginei corporis ſubſtantia nulli peccato obnoxia, Deus homo factus eſt. In terreſtri Paradiſo mulier de viri latere ſumpta, hic mulier virgo naturę ordine mutato, Dei mater effecta eſt. In arca Noë generis humani ſaluatę reliquiæ, hic toti mundo ſalus eſt orta. Sub quercu Mambre credentium pater Abraham tres Angelos vidit, & hoſpitio ſuſcepit, hîc Angelus, Deus, & Maria: Deus inquam, non in hoſpitio tantum, ſed in vtero Virginis in carne noſtræ fragilitatis, in vnitate perſonæ ſuæ diuinitatis. In monte Syna lex Moyſi tradita Dei digito ſcripta, hîc Deus fecit potentiam in brachio ſuo, & datus eſt nobis ille qui eſt via, veritas, & vita. Templum illud Salomonis admirabile quidem fuit & glorioſum, ac Dei præſentia ſanctum, ac venerabile, ſed vbi quæſo Deus præſens magis vnquam fuit, quam loco iſto, qui primus Dei præſentiã corporalem accepit. Arca fœderis tabularum receptaculũ, legis armarium, quod profanis manibus atrectari non licuit, præcipua ſeruabatur obſeruantia, at in ſacello iſto, non tabulæ lapideæ, ſed ipſe legis author, & conſummator in carne Deus, qui in vento Heliæ, in igne Moyſi legitur apparuiſſe. Fateor nec diſſimulare quiſquam poteſt, fuit Bethlehem ciuitas illa Iudææ, quę quondam Ephrata dicebatur Chriſti natiuitate feliciſsima, in qua carmen illud Angelicum: Gloria in excelſis Deo, cœleſti voce cantatum eſt, ſed Chriſtus illic floruit, hîc radicauit. Ille mons excelſus, in quo Chriſtus cum Moyſe & Helia loquens, transfiguratus veſtibus, & facie glorificata viſus eſt ab Apoſtolis, ad breue tempus exultauit. Hîc autem locus longa, ſecretaque conuerſatione Deo familiariſſimus. Hîc conceptus, hîc nutritus. Prata illa trans mare Galilææ, in quibus tot hominum millia ſaturata leguntur: Lazari, Zachei, & Simonis, & cætera loca, quę dignatus eſt Chriſtus ſua pręſentia, & miraculis illuſtrare, profecto ſunt omni veneratione digniſsima, ſed vbi quęſo Deus vnquam maius miraculum exhibuit: Hîc verbum caro factum eſt, hîc

Deus, vt visibilis ad vitę nostræ palæstram, & ad exercenda mirabilia opera proficisceretur, tunicam nostræ mortalitatis accepit. Mons Oliuarum nimirum qui Christi ascensione clarissimus, sed locus iste & Annę domicilio, & beatissimę Virginis natiuitate, & Christi cōceptione nobilitatus est. In Cruce iuxta Hieremiæ vaticinium (cuius meminit Paulus ad Hebręos) consummatum, hîc vero nostræ salutis opus est inchoatum. Hîc prima, illîc vltima statio Christi morituri. Hîc ad vitam, illîc venit ad mortem. Ista cum gaudio festiuitas, illa nobis celebranda cum luctu. In sepulcro iacuit Christi corpus exanimatum, non diuinitate quidem, sed humanitate spoliatum, hîc autem Deus & homo Christus Iesus diu cum matre versatus est. Hortus ille in quo Christus orare consueuerat, inter loca sanctitate præclata, nequaquam postremus est habendus, at in sacello isto Christus paruulus & adultus orauit, quieuit, manducauit, bibitque. Eremus illa dominico consecrata ieiunio, non parum habet venerationis & laudis, at in domo ista quoties abstinuisse, & ieiunasse Christus, & maiora opera virtutis exercuisse putandus est, cuius vita erat sanctitas, doctrina veritas, actio charitas, cogitatio pietas, conuersatio sanitas. Beata quidem Zachariæ domus duarum matrum salutatione illustrata, Christi & præcursoris decorata præsentia, sed domus huius longè maius est priuilegium, nam preter ea quæ domui Zachariæ dantur ornamenta, hoc plus habet quod fuit ab Apostolico sacrata collegio. Iordanis vndę dominico gloriantur attactu, sed domus ista Virginis immaculatæ tota Christi manibus contrectata, pauimentum hoc toties Christi tulit vestigia, parietes isti conscij fuere Christi incarnationis. Sed quid plura de domus huius ineffabili dignitate connumerare pergo? licet mihi Patriarchæ Iacob sermone concludere: Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Omnes igitur Christifideles, & verè Catholicos exhortamur, vt suæ salutis memores, & diuinæ clementiæ non ingrati, quę vnquam nobis patrocinari non desinit, hoc Virginis Marię domicilium, Christi habitaculum, Spiritussancti thalamū, gratiarum thesaurum, diuinę pietatis

æternum monumētum, miserorū commune præsidium, summa religione, summa pietate adeant, honorent, venerentur, & colāt, & Deo immortali gratias ingentes agāt, qui tale seruauit in terris pro humana imbecillitate confugium. Amen.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITÆ AD HIERONYMVM MEdiolanensem, eiusdem Ordinis, de causa diuersitatis inter Interpretes sacræ Sripturæ,

EPISTOLA.



SCRIBIS Hieronyme frater carissime, me in tractatu, quem contra nouam opinionem de loco generationis Iesu Christi nuper edidi, promisisse quandoque declaraturum, cur inter interpretes sacrarum scripturarum sit, vt apparet, tanta diuersitas, & dicis te summopere id desiderare, rogasq; vt huic voto tuo velim satisfacere, & onus hoc assumere, ea præsertim de causa, vt sanctissimo patri Hieronymo suppetias feram, qui quotidie laceratur ab Hebræis, inuerecunde, temerarieque dicentibus, ipsum inconsulte tale onus subijsse, cum Hebraici sermonis esset ignarus. Fateor id verū esse quod ais de Hebræis, & sepenumero non sine graui stomacho taliter calumniantes audiuisse me memini, mecumque dixisse Virgilianum illud:

Exoriare aliquis nostris ex oßibus vltor.

Propterea mi Hieronyme, si parem me agnoscerem tali negotio, non esset mihi opus hortatore: satis enim sum ad hāc pugnam animatus, & tam indignis latratibus satis prouocatus. Sanctissimum patrem Hieronymum tam magno, tam excellenti ingenio virum, perdiscendæ linguæ gratia tam diu inter Hebræorum doctissimos versatum, tam longo transferendi studio exercitatum dicunt ignorasse Hebraicam linguā, quam plerique nostræ ætatis homines pauculis annis, & mediocri

dioceri cum labore didicere: Quorum vnus est *Iohannes Reuchlin qui nuper grammaticam Hebraicam fecit Latinam, & nobis sua vigilantia munus hoc contulit, vt post prima elementa præceptoribus Hebræis non egeamus.* Septuaginta interpretes, quorũ historiam scripsit Aristeas, sub Eleazaro summo sacerdote fuere doctissimi: constat tamen eos in plerisque defecisse, & nullus Hebræorum in eos inuehitur. Ruunt omnes contra Hieronymum: relictis omnibus aliis totum belli pondus vertunt in eum. Tamen Hieronyme, ne te patiar tamdiu esurire, faciam te participem micarum paucularum, quas sub doctorum mensis collegi, & ex quibusdam paucis locis, præsertim ex vno Psalmi versiculo, quem quotidie legimus, tibi ostendam, vnde pro maiori parte videtur emanasse talis discordia: & ne multis te morer, sic habeto, fere totam hanc diuersitatem ex similitudine quadam valde captiosa profluxisse. In Canticis Canticorum capite primo damnatur ab Hebræis nostra translatio, in qua sic legitur: Meliora sunt vbera tua vino: aiunt enim dod דדיך cum vau, que loco illo ponitur, significare non vbera, sed dilectionem: sine vau autem significare vbera, siue mamillas: & volunt illic legi debere dilectiones. Ecce quomodo ex vocum similitudine tanta sit illic ista varietas. At dices fortasse debuisse interpretes non voces attendere, sed orthographiam diligenter inspicere: respondetur ex vocum similitudine codices quoque fuisse variatos, & librariorũ vitio talia errata passim inoleuisse. Venio ad Psalmi centesimi noni versiculum, qui quotidie est in ore canentium. Tecum principium in die virtutis tuę, in splendoribus sanctorũ: ex vtero ante luciferũ genui te. In Græco idẽ legitur μετά σοῦ ἡ ἀρχὴ εν ημέρα τῆς δυνάμεώς σου, ἐν ταῖς ταῖς λαμπρότησι τον αγιων σοῦ ἐκγαστρος πρό εωσφορου ἐγιννησάσε. Et hæc existimatur septuagintainterpretum fuisse translatio: ideoque credenda est fuisse conformis Hebræorum libris, qui tunc legebantur. Et ex hoc sequitur codices Hebraicos, vel fuisse tunc varios, vel post illud tempus fuisse mutatos. Longe enim aliter tempore Hieronymi legebatur, & nunc quoque legitur, vt ex eius translatione, & ex ipsis Hebræorum libris ostenditur. Vbi tunc erat שחר nunc est שחך.

primum ſignificat tecum : ſecundum populus tuus. Vbi tunc erat מבגח, quod eſt duces vel principes : nunc eſt רבלח, quod eſt ſpontanei vel vltronei. Vbi tunc ſcribebatur צבצך, vel בהעך: nunc ponitur ברמרך. primum ſignificat in ſplendoribus vel ornamentis: ſecundũ vero in montibus. Vbi prius erat עזמבר, quod eſt genui te : nunc eſt סזהיבר, quod interpretatur adoleſcentiæ tuæ. Ecce Hieronyme quanta diuerſitas ex ſimilitudine, tum dictionum, tum litterarum eſt introducta. Mille tales loci poſſent afferri ex ſcriptura ſacra: qualis etiam eſt ille in Pſalmo xix. in quo vulgata editio habet, foderunt : Græci codices ορυξαν quod eſt idem. Hieronymus dixit circumdederunt: pro quo in Hebręo fuit olim ברי, quod prædictæ interpretationes ſatis oſtendunt : nunc autem eſt באי, quod vertitur ſicut leo. Adſpice quanta ſit ſecuta mutatio, ſeu per errorem caſu acciderit, ſeu per fraudem de induſtria fuerit à Iudæis exeogitata. Ab ipſis Iudæis audiuiſſe me memini fuiſſe olim duos Hebræos linguæ ſuæ peritiſſimos, quorum vnus Ben-Nephthalim, alter Ben-Aſar vocabatur, & hos, cum ſacras ſcripturas huiuſmodi varietatibus viderent reſperſas, ſuſcepiſſe aiunt curam corrigendi, & circa eas diu multumque deſudaſſe, vt in vnam omnia formam reuocarēt: remanſiſſe tamen tandem in pleriſque locis diſcordes, vt verificetur illud antiquum adagium: *Quot capita, tot ſententiæ.* Ex hac diligentia duorum iſtorum ſupplantati fuerunt veteres tranſlatores: nam ſublatis, expunctiſque dictionibus primis, quas noſtri tranſtulerant, ſimiles ſunt ſuppoſitæ, quæ ſenſum longè alium pepererunt. His adiunge, quod antiquitus Iudæi ſcribebant ſine punctis, ſicut nunc quoque ſcribunt pentateuchum, quo vtuntur in ſynagogis. Poſtmodum excogitarunt puncta, & virgulas, quæ vocalium vicem gerunt: ſcribũt enim Hebræi nonnumquam conſonantes ſine vocalibus: quo fit, vt neſcias, niſi per quam familiarem habeas ſcripturam, quomodo ſit legendum דובר & דיבר duæ dictiones ex iam ſupradictis ſcribuntur iiſdem litteris: & ſi puncta nō addantur, liberum eſt proferre, vt lector voluerit: punctis vero additis, libertas aufertur, & legendi licentia cohibetur. Habent inſuper Hebræi quædam

dam elementa ſibi inuicem ita ſimilia, lectoremque interdum adeo fallentia, vt quid legat neſciat: ſicut ר. ד. ז. ו. ב. כ. Habes exemplum ex duabus dictionum ſupradictarum, ſcilicet adere & arere. Habeo ego librum Hebraicum pſalmorum manu exaratum: habeo & impreſſum. In primo, לערוי cum r: in ſecundo, חדוי cum d notatum eſt. הוראי autem ſignificat montes: adere ornamenta vel ſplendores: quo factum fuit, vt aliqui tranſlatores dixerint in ſplendoribus, vt habet noſtra communis editio: aliqui vero in montibus, vt Hieronymus. Dum hæc mecum meditor, ſuperuenit qui diceret in Pſalmo octuageſimo quarto, pro eo quod nos dicimus: Et in eos qui conuertuntur ad cor, melius dici à Græcis, Κάι ἐπι τοὺς ἐπιρεφοντας καρδιαν ἐπάυτον. Quod eſt, & in conuertentes cor ad eum, mox ad codicem Hebraicum me conuerti, reperique ſcriptum, ואל ישובו לכסלה veal iaſubu lechiſla, quod interpretatur, & non conuertantur ad ſtultitiam. Arripuique mox Hieronymi tranſlationem ad Chromatium, quam texui Hebraico repperi conformem. Et ecce dū cogito vnde vecordes hi, cor illud traxiſſent, quod non ſit in Hieronymo, neque in Hebræo: verti oculos ad caf, quod ponitur pro le, in principio dictionis במלר chiſlab, & manifeſtè deprehendi tranſlatores bet, pro caf poſuiſſe, & litterarum affinitate deceptos ex le & caf, in bet conuerſa feciſſe leb, quod cor ſignificat, & ſic ex parte ſtultitiæ cor illud emanaſſe. Eſt igitur Sole ipſo clarius, vel interpretes erraſſe, vel textus poſtmodum immutatos fuiſſe. At quia difficilè adduci poſſum, vt credam ſeptuaginta, quorum tranſlatione Græci vtuntur, caf à bet diſcernere voluiſſe: puto magis textus deprauatos. ſed, vtcūque res ierit, hūc quoque ſimilitudo errorē fecit. Sed heic eſt altera fraudis occaſio, nam ex aleph & lamed ſine punctis non minus fit el, quod eſt ad præpoſitio, quam al, quod eſt negatio. qui volunt el, id eſt ad, ſupponunt duo puncta: quibus vero placet non, virgulam ſubſcribunt. Hieronymus al & caf repperit, ſicut modo ſcribunt Hebræi. Alij el & bet vel reppererūt, vel ta ſcribendum, legendumque putarunt. ſic vtraque lectio ſaluari poteſt. Sed, vtra ſit verior, quia ſciri non poteſt, ſequimur coniecturas. Poteſt iam tibi

innotuisse ac persuasum esse varietatem scripturarum ex similitudine, vt ante dixi, profluxisse. Persuadeo hoc idem per nostra exemplaria. In vltimo capite Euangelij Iohannis fere omnes legunt, Simon Iohannis diligis me, cum ex codicibus Gręcis, & ex commento Cyrilli patriarchæ Alexandrini Carmelitæ nostri manifestè constet, Iona, non Iohannis legi debere, quod alteri loco conuenit, vbi Christus dixit: Simon bar-Iona, id est, Simon fili Iona. Capite eodem legitur: Sic eum volo manere, donec veniam: quod sic occupauit mentes Latinorum, vt veritatem audire nullo pacto velint: & hinc deprehenditur vis consuetudinis, de qua dixit Aristoteles in Metaphysicis, quod *plerique propter consuetudinem audiendi fabulas resistunt veritati*. Gręce sic legitur, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, quod est, si eum volo manere: ἐὰν enim in si, & non in sic transferri debet. Sed similitudo fecit hoc vitium, quod sine Gręco exemplari non potest curari. Euangelista enim Iohannes Euangelicā historiā Græce conscripsit, ad quā oportet haberi recursum. In psalmo quoque quadragesimo primo, vbi legitur: Sitiuit anima mea ad Deū fontem, legi debet fortem: nam in Hebręo est ח, quod fortē significat, & septuaginta interpretes ἰσχυρὸν, id est, fortem traduxerunt. Subijciam trāseunter alium locum, in quo frequenter erratur à nostris in Canticis canticorum capite sexto & septimo, ponitur Sulamith nomen mulieris: nos corrupto vocabulo, l in n commutantes, dicimus Sunamit, vel Sunamitis: Sunamit autem per n, cognomen fuit Abisag puellæ, quę cum Dauid quondam decrepito dormiebat, vt legitur in principio tertij libri regum. Alia quoque causa potest adduci. Sunt enim apud Hebræos quędam dictiones æquiuocę, seu pluriuocæ, quę appellantur à Gręcis homonymę, quando scilicet correspondet vna multis rebus appellatio: propter istas etiam non parua translatores ligat perplexitas: adeo vt sępius alucinētur: sicut accidit viatoribus, cum in locum multiuium sunt redacti. Affero huius rei solum hoc exemplum. Iad significat prophetiam, consilium, virtutem, ripam, latus, locum, manum, nonnumquam etiā pro incrustatura legimus positum, vt Exodi vigesimosexto capite reperitur. Istis adiungam tam-
quam

quam corollarium & hos duos locos: in quibus quotidie, & quidẽ turpiter erratur à nostris. In Psalmo C X L I. nos legimus: Viduam eius benedicens benedicam, vbi nullo modo vidua legi potest, error iste venit à Gręcis, natus ex similitudine duarum dictionum, scilicet θήραν & χήραν prima venatio, secunda vero vidua interpretatur. qui ergo viduam transtulit χήραν in Greco scriptum inuenit. quæ lectio nullo modo stare potest: quia zeda legitur ab Hebręis: zeda autem viaticum vel venatio interpretatur, non vidua, quæ Hebraicę dicitur, almana. Alius itẽ error venit à Gręcis: nam in Psalmo lxxxvj. legitur à nobis: Nunquid Sion dicet. qui sic transtulit scriptum in Gręco reperit μήτι quod est nunquid. Alibi legitur mater Sion, & qui sic trãstulerunt, μήτηρ in Græco reppererunt. Neutrum autem potest defendi: nã in Hebręo est vle, vel vl Zion: quod est, ad Sion. Legi ergo debet, vt transfert Hieronymus, Ad Sion autem dicetur, vel, & ad Sion dicetur. Quibus fit, vt verum sit quod dicit Hieronymus, scilicet translationem esse opus periculosum, & obtrectatorum latratibus patens, & varietatem istam non prouenire, vt isti calumniantur, ex ignorantia, sed ex ipsa rei natura difficili intricata atque perplexa: qualis est via per loca senticosa, lubrica ac salebrosa. Habes mi Hieronyme, & si non fortasse totum quod optabas, saltem quod ego in pręsens aliunde occupatus potui præstare tuę caritati. Concludam ergo illo Horatiano;

Viue, vale si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his vtere mecum.

FINIS.

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITÆ, THEOLOGI, CONTRA eos qui detrahunt ordini Carmelitarum. Ad Reueren. D. Sigismundum Gonzagam, S. R. Ecclesiæ Cardinalem, eiusdem ordinis protectorem, Apologia.

DOleo reuerendissime Pater ac illustrissi. Domine quod non tam occasione inducar, quam necessitate compellar respondere maledictis improborũ, & quod contra morem ac institutum meum cõpellar rixari, & videri litigiosus: quod vitium à teneris annis ad hanc vsque ętatem nesciebam. Apprehendã ergo stylum, & quod coram loqui non datur, litteris committã, vt ingrediatur sermo per oculos, cui negatur intrare per aures. Patienter ergo ferte, si importune te adorior, si intempestiue te interpello, si nugis te onero. Nolumus litteras tibi esse molestas. Iube eas silere: differ arbitratu tuo eas legere, quousque earum iucunda sit lectio. Est hęc in epistolis maior commoditas, quã in viua voce, quod lectoris arbitrio loquũtur & silẽt. Te cũ ergo paulũ expostulabo, & nõ meę laudis gratia, sed pro gentis meę defensione, quã nõ possum sine culpa indefensam relinquere, pauca subinferam: quod si in hoc certamine quidquam mali exempli forte videbitur, in litis auctores retorqueto. Nos enim non ad offendendum, sicut ipsi, sed ad defendẽdum arma suscipimus: non mittimus in eos tela, sed potius repellimus in nos missa. Quod si inter repellendũ quenquã eorum feriri cõtigerit, faciet hoc casus, nõ nocendi animus. Displicet vel minimum eorum per me læsum iri: nec minus ęgre fero quod nomen innocẽtię coger amittere, quã quod nos videã tãtis eorũ patere calũnijs. In ff. de iustitia. l. vt natura Florentius ira inquit: Iure hoc euenit, vt quod quis ob tutelã sui corporis fecerit, iure fecisse existimetur: & cum inter nos cognationem quandam natura constituerit, consequens est hominẽ homini insidiari nefas esse. sic lex. Quod si hoc licet vnicuique pro sui defensione, quid pro suorum omnium, & pro religionis

ligionis salite licebit? Audies rem nefariã, nauseosamque subsannantem, plenam iniuriarum, plenã scurrilitatis, &, vtinam mentiar, euidens facinorosę mentis indicium. Hæc est inuidorum superborumque hominum consuetudo supra quam dici potest fœda, supra quam ferri possit onerosa, vt illi, quia proximorum bonis offenduntur, hi quia certãt videri celsiores, semper moliantur ea couuellere, si possunt, vel obscurare, si non possunt, quibus superari videntur ab alijs. Iam totus fereChristianismus intelligit, & est tam nostris, quam alienis notatum annalibus, apostolicis etiam litteris approbatum sacrum ordinem nostrum beatissimę Dei genitricis Mariæ titulo insignitum: sed quosdã homines fecit sua malitia tam linguaces, tam ingeniosos ad cauillandum, tam versutos ad suggillandum, vt nonnullos simplices, & idiotas garrulitate sua prouocent ad credendum Mariam, quę in nostro scribitnr titulo, fuisse illam AEgyptiam meretricem, quæ post spurcissimam vitę obscenitatem ad se tandem reuersa more Magdalenę venit ad Christum, & per longam grauemque pœnitentiam facta est de illarum numero meretricum, de quibus Christus dicit: Meretrices pręcedẽt vos in regno cœlorum. Vide quęso pater Reuerendissime, si homo iste iocatur, quanta sit in ioco illiberalitas, quanta petulantia, quanta obscenitas, si serio loquitur, quanta sit in eius verbis acerbitas, in intellectu obscuritas, quam sit atrox & amarum istud scomma, quanto igne flamigeret ista phalarica: profecto his conuenit illud Psalmi: Exacuerunt linguas, vt serpentes, & illud: Non est in ore eorũ veritas. Cor eorum vauum est, sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, & quomodo bone Deus nõ extimescunt illud psalmi Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sed dubito verificatur illud in eis: Excæcauit enim eos malitia eorum. O nos infelices in quos annos lapsi sumus, in quam temporum calamitatem iam peruenimus? Certe in eã, de qua prędictum est, Refrigescet charitas multorum. O lamẽtabile morum excidium, o virtutum iacturam deplorandum. *Qui debent esse sal terræ, lucerna accensa super candelabrum, & ciuitas supra montem posita, ad condiendam terrenam inscitiam, ad fugandas sæculi*

tenebras, ad piorum innocentiam protegendam, facti sunt insulsi & obscuri, & amißis diuinæ gratiæ muris dißipati, solo æquati, funditus euersi. mutatus est color optimus: defecit sanctus: diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Sed gratias ago Deo meo, quod, vtcunque res eat, tandem sapientia vincit malitiam. Nam in summorum pontificum priuilegiis, & præcipuè Sixti, qui nos mirificè studuit decorare, non dictum est Mariæ simpliciter: sed additum est Dei genitricis, quod Græce dicitur theotocos. Sũt eiusdem rei plura testimonia. Legimus enim in antiquis historijs, quas viri litteratissimi, non solum nostræ professionis, sed etiam extranei scripserunt, patres nostros non Carmelum Nabal, sed Carmelum Eliæ inhabitasse, qui est inter Iudæam & Phœniciam, in diœcesi Cæsariensi: & in eo construxisse sacellum matri Christi paulo postquam è vita migrauit: & fuisse sacellum illud à Palæstinis & Phœnicibus, Galilæisque gentibus celebratum, & in summa semper habitum reuerentia, vtpote quod existimabatur ædium Mariæ primam esse. Quo factum est, vt populis in eam appellationem consentientibus ab eo sacello cognomen habuerint, & merito quidẽ: decuit enim eos tantę Virginis titulo insigniri, qui primum ei templum dedicarunt. Iosephus Antiochenus in speculo perfectę militiæ ecclesię primitiuę sic de nobis inquit: Perfectorum militum Christi coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationique dediti, sanctorum prophetarum Eliæ & Elisei imitatores, qui de mõte Carmelo descendentes per Galilęam, Samariam, & Palęstinam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Virginis Marię honorem in Carmeli montis decliuio fabricantes oratorium Saluatoris matri specialissimè seruierunt. Legimus etiam, & Bartolomæus Platina meminit in vitis Pontificum, Honorium quartum voluisse patres nostros pro pallijs variatis, atque virgatis, quibus more Palęstinorum vtebantur, vestiri candidis, in signum puritatis beatissimę Virginis, cuius titulo erãt insigniti. Quod futurum aliquando multo ante Deus ostenderat: nam, vt recitat Petrus Comestor scholasticę historiæ scriptor, Sabacha pater Eliæ nondum nati, vidit in somnis viros candidatos se inuicem

salu-

mulcem salutantes. Sed de his iam satis. Sublata est iam verbi æquiuocatio: obstrusus est aditus his offucijs. Qua via deinceps insidiaberis nobis, ô noster Zoile quicumque es, qui non prohibes linguam tuam à malo, nec cohibes labia ne loquantur dolum? Sed quid nō audet diruere superbia? quid coinquinare non pergit inuidia? Aiunt rursum nos gentem obscurā regulā nō habere ab Ecclesia approbatam. Pijssimè Deus quod genus hoc hominum? quæue hunc tam Barbara morem obseruat patria? Hospitio prohibemur arenæ. Gens heri aut nudiustertius nata nō veretur fratres nostros antiquorum patrum reliquias taxare tam irreligiose, tam inhumane, vt nihil religionis præse ferant, nihil humanitatis videantur habere. Regulam dicunt nos non habere? Ante Christi aduentum regulam habebamus, quam discipuli Eliæ filij Prophetarū obseruabant. Post Christi aduentum pro vitæ regula semper habuimus Christi Euangelium, acta, & epistolas Apostolorum. Hanc eandem regulam habuit Basilius, habuit Augustinus, habuit Benedictus. Vnde didicit Franciscus quæ obseruanda dedit discipulis? fortè ne excogitauit à seipso? nonne accepit ex euangelio? nonne euangelium est approbatum? Quam regulam habebant Paulus & Antonius in AEgypto, Hilarion in Assyria, Benedictus in Italia: eandem nos habebamus in Carmelo, in montanis Iudææ, in tota Assyria, in AEgypto, in Arabia, in Phœnicia in Cypro. Accidit sub Christo quod & ante legitur accidisse: quādiu enim vixit memoria disciplinæ Adæ, nō erat opus hominibus alia lege. At vbi subrepere cœpit obliuio, & lux primitiua veritatis exstingui, pro facie iam finita prolata est altera lex, scilicet Mosaica, quę vsque ad Christum nobis luxit. At vbi venit plenitudo temporis, & Sol iustitiæ Christus apparuit, iam non facibus, non lucernis, non luce mendicata nobis opus fuit: Sol enim emicuit, & omni tenebrarum expulsa caligine cunctis gentibus dies illuxit. Tunc fides, tum caritas, tum religio, tum pietas non per vrbes tantum & castella, sed per nemora ipsa, per loca deserta, arida & inaquosa longè lateque floruerunt. Tum erat passim vnus vitæ modus, vna morum regula, vna forma sanctitatis vbique.

Tunc

Tunc martyres venerunt: virgines prodierunt, monachi, heremitę, & anachoritæ pullularunt. At vbi paulum feruor intepuit, nubes quędā suborta est, id est obliuio primæ sanctitatis, quæ Solem aliquantisper obscurauit. Prodierunt mox doctores, qui varijs doctrinis Soli, id est Christo succurrerunt. Tum plerique laici religionis studiosi lucem à doctoribus acceperunt, quam ab ipso Sole primi capiebant. Hinc sunt egressę regulæ istę, quas isti dicunt nos non habere. Sed de hoc rursum paulo infra dicemus: redeo ad propositum: Nos vocant genus ignobile, quorum fuit, vt antedictum est, tam antiquum, tam illustre principium, vt ex ea saltem parte cunctis religionum ordinibus, quod sine inuidia dictum sit, non solum possimus, sed etiam debeamus anteferri. Nos respiciebat Hieronymus, cū dicebat: Princeps noster Elias, dux noster Eliseus, duces nostri filij Prophetarum. Quid si dicerem ipsum Hieronymū, ipsum quoque Basilium, qui monachis orientalibus regulam scripsit, fuisse de nostris? Riderent forte isti, qui quod cæci sunt, & historiarum penitus ignari, nos appellant gentem obscuram: *cæcis omnia videntur obscura*: tamen hæc vera esse auctores idonei prodiderunt. Quin & Iohannem Baptistam nostris adscribūt: quod & videtur Christus innuere, cum de ipso dixi: Et si vultis scire, ipse est Elias. Huius quoque signum est, quod inter duos Eliæ discipulos, Eliseum scilicet & Abdiam fuit sepultus. Sed nolo in pręsens plura congerere: nec plures merces in nundinas ferre. Reperimus, & in promtu omnibus est, & oculo ad oculum potest videri, Leonem quartum Pontificem Maximum largas indulgentias nostris benefactoribus elargitum, quem constat pontificatum gessisse anno salutis nostræ octingentesimo quinquagesimoquarto: Franciscum vero & Dominicum, viros quidem sanctissimos, constat circa Millesimum ducentesimum annum floruisse. Quo fit, vt arctissimo iudicij articulo concludi posſit nos Carmelitas saltem per trecentos & quinquaginta annos antecesſisse Minores, & Prędicatores: hoc inquam conuinci potest scriptis & litteris Apostolicis, cōtra quas nulla exceptio fieri posſit. Ex historijs vero nostris & alienis, quibus saltem tanta est fides, quanta isti

volunt

volunt dari suis, altius nostra tendit antiquitas. Vnde & in sexto Decretalium libro, cum de religiosis domibus agitur, post quorumdam nouorum ordinum mentionem ita legitur. Eremitarum autem sancti Augustini & Carmelitarum ordines, qui, dictum hoc est, Lateranense Concilium præcesserunt, in solido statu volumus permanere: Quibus verbis & nostra antiquitas, & approbatio ipsa satis constat. Nam cum illic dicatur nos concilium Lateranense præcessisse, & nos debere in statu solido permanere, compendio luculento, & efficaci nostræ vetustati testimonium fertur. Sed sunt nõnulli, qui solito, non solido putent legendum. Verum glossema id parui putamus, cum habeamus firmiorem Apostolicum sermonem, cui magis inhærere nos oportet. Nam Iohannes xxij. in sollenni priuilegio nobis concesso locum illum Decretalis exponit dicens hoc pacto. Sacer ordo vester in agro Domini diuina dispositione plantatus, & titulo beatissimæ Dei genitricis Mariæ specialiter insignitus, quem in statu solido, stabili & firmo volumus permanere, & reliqua. Ecce quam sapiẽter iste summus Ecclesiæ pater duobus adiectis nominibus, id est stabili & firmo, fecit clarum, quod similitudo dictionũ obscurarat. Quod si subinferat aliquis, quemadmodum solent plerique nugari, cur ergo vetustatis locum non tenemus? Respondemus futurum forte, vt olim teneamus: possumus id sperare, quoniam iure nobis est debitus: interea sicut Christus consulit, in loco nouissimo humiliter recumbemus, donec veniat qui nobis dicat, Adscende superius: nec ad hanc præsidentiam multum anhelamus. Nam cum, vt Paulus inquit, non habeamus heic ciuitatem permanentẽ, sed fututam inquiramus, *stultum putamus peregrinos in via de honore contendere, qui solum conari debent in patriam cum salute peruenire.* Aiunt nos gentem obscuram, quorum maiores, vt supra diximus, fuerunt Apostolorum coadiutores, Samaritanorum, Galilæorum, & Palæstinorum Euangelistæ. quorum multos Lodouicus rex Francorum è Syriaco bello rediens, secum adduxit in Gallias, vt eos haberet domi intercessores, quos foris habuerat coadiutores. Nos gentẽ ignobilẽ vocant: quorum multi sunt sancti confessores: quorum multi

fuerunt doctores eximij, disputatores acerrimi, vt eorũ scripta indicant, quę adhuc exstant, & vbiq; legũtur. Alios breuitatis causa pretereo quatuor: tres istos pręterire non possum: Cyrillum Alexandrinũ antiquissimum, qui in concilio Ephesino legem ferri obtinuit, qua cautum est, vt Mater Christi Maria theotocos, id est Dei genitrix appelletur. Et Cyrillum presbyterum natione Gręcum, qui per longum tempus in monte Carmelo legitur habitasse, & spiritu prophetico claruisse. Accidit enim sanctitati eius res dictu mirabilis, & quę nullo pacto sit reticenda. Illo ergo missam celebrante, tabulæ duę argenteæ litteris Gręcis exaratæ repẽte super altare descenderũt, quas completo sacrificio summa cum religione, quippe quas iudicabat cælitus sibi missas, accepit ac perlegit. Cum autem vidisset eas multis obscuritatibus inuolutas, fecit eas Latinas, & misit in Siciliam, ad Ioachim abbatem Floriacensem, qui scripsit in eas commentum, multa inde eliciens supra futuris religionum ordinibus, & super venturo ecclesiæ statu, & pręcipuè super ordine Minorum, & Prędicatorum, qui paulo post pullularunt. Et ne videamur ista somniasse, quod tabulę isti forte dicturi sunt, lege librum Bartolemęi Pisani, quem scripsit de laudibus beati Francisci: ibi videbis fieri mentionem de omnibus quę dixi de Cyrillo, de Ioachim, de tabulis, & de omnibus vaticinijs antedictis. Venio ad tertium Angelum martyrio coronatum, qui pręter sanctimoniæ splendorem claruit etiam spiritu prophetiæ, & multa de futuris vera prędixit: pręsertim de regno Turcorum ampliando, de rep. Christianorum affligenda, vsque ad ea tempora, quibus Turci in Italiam peruenerunt: quę omnia fuerunt hactenus adimpleta. Hunc virum sanctissimum Romę quondam repertum beatus Franciscus ita est veneratus, vt prostratus in terram pedes eius sit deosculatus, eumque prędixerit martyrem futurum. Angelus autem mox vt surrexit eum intuitus, in hęc verba prorupit. Beatus tu Francisce, qui Christi stigmatibus es decorandus: nec habent Minores pro Francisci stigmatibus testimonium aliud magis idoneum: & huiusmodi colloquijs fuit pręsens beatus Dominicus. Placet hoc loco interserere testimonium

Cartusiensis illius, qui scripsit libellum de temporibus, Fasciculum temporum vulgo appellatum: hic recitans gesta anni Millesimi ducentesimi nonagesimi primi, sic inquit ad verbum: Nobilissima ciuitas Aconensis à Saracenis destruitur, ac demum Deiferæ Mariç in Carmelo monasterium ad quatuor milliaria ciuitati vicinum ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis. & tunc, pro dolor, ordo Carmelitarum mellifluum locum ex toto perdidit: in quo à tempore Eliæ, & Elisei prophetarum duobus millibus ducentis viginti & vno annis persttiterant. sic ille: Habes igitur Reuerendissime Pater ex libello illo perquam vigilantissimè lucubrato, & loci, & originis, & antiquitatis nostræ validum testimonium, quo durissimæ frontes conterantur. Subijciam heic transeunter quod idoneo loco legisse me memini, animas scilicet fratrum illorum, qui sunt à Saracenis tunc trucidati, visas in cœlum ab Angelis deferri, & ad Christum ire cum palma martyrij. Nos vocant gentem ignobilem. quorum plerique fuere Patriarchç, vt, de quo supra dictum est, Cyrillus Alexandrinus: vt Albertus patriarcha Hierosolymitanus, qui Carmeli montis monasterium in melius erexit, & vetustate iam collapsum instaurauit. Regulam quoque, seu viuendi formam de Basilij regula exceptam ante Lateranense concilium, quando nouas religiones institui non erat prohibitum, auctoritate qua legitime fungebantur, fratribus dedit: quam postmodum Innocentius, Alexander, Nicolaus, Clemens, Iohannes, Vrbanus, Bonifacius, Eugenius, Sixtus, Innocentius, & plures alij summi Pontifices confirmauerunt. & dicunt hi tam impudenter nos regulam non habere? O genus hominum præceps, & incircumspectum: adeo improuidi sunt, & inconsulti, vt ineptijs suis nos impellant ad suam ignominiam detegendam, & similes vento, qui dicitur Cæcias, ad se stolidè nubes alliciunt. Scimus qui regulam habeant propriam, scimus qui communem. Minores propriam habēt, quam Franciscus tulit, & Innocentius declarauit. Monachi nigri propriam: heremitç & canonici sancti Augustini propriam: nos propriam. Prædicatores vero propriam non

habent:

habent: sed aliorum castris inserti militant sub communi duce Augustino. Abeant ergo hinc in malam crucem quicumque sunt maledici isti Satanę lictores, alienę famę sicarii, claustralis vitę perturbatores, & piarum mentiũ sæui carnifices. Redeo ad Patriarchas. Iohannes Patriarcha Hierosolymitanus ad hãc dignitatem ex Carmelo venit: ipse antiquorũ Carmelitarum vitas scripsit, incipiens ab Elia vsque ad sua tempora: & exstat ad hunc vsque diem liber ille, quem ego vidi, tenui, ac legi. Adde supradictis Petrum Thomę patriarcham Constantinopolitanum, qui post multas clades Saracenis illatas: ipse namque Alexandriam AEgypti vrbem nobilissimam cum Petro Cypri rege Christo restituit. post multos libros Catholice & ingeniose conscriptos, iacet in Cypro Famaugustę sanctitatis opinione diffamatus. Nos vocant ignobiles, qui olim dũ Asia, & Africa Christum sapiebant in regionibus illis, vt in nostris annalibus continetur, habuimus septuaginta & amplius monasteria ampla, pulcherrima, atque magnifica: inter quę erant fere omnia loca, quę Christus, & mater eius sua cõuersatione celebrarunt. Quod si vitio dant quod ea perdidimus: vitio dent reipublicè Christianę, quod ea regna iãdiu amiserit, & amissa recuperare nondum curet. Habeo apud me decretũ Godfredi, qui capta Hierosolyma de Syris triumphauit, super quadam pietate, quam omni sabbato iubebat exhiberi fratribus nostris, qui tunc incolebant montana Iudæę, per quę transiuit Maria, cum ad salutandum Elizabet se conferret. Floruit autem Godfredus circa annum Christi Millesimum centesimũ ante Franciscum & Dominicum saltem annis centum. Attulit autem decretum hoc ex Cypro cum quatuor bullis Romanorum Pontificum in fratrum nostrorum fauorem ad patriarchas Hierosolymitanos olim missis, frater Iordanis Mantuanus ordinis nostri, qui loca terrę sanctæ visitauit, & ad videndas pyramides regum AEgyptiorum Memphim quondam vrbem clarissimam, modo Cairum appellatam vsque peruenit. Accidit nobis quod & Basilij monachis: Basilij inquã monachis, proposito viuendi, & habitus affinitate nobis iunctis. Nam ipsi quoque eisdem de causis, hoc est ob frequentes Barbarorum

incurſus,& ob deſolationẽ fidei noſtræ,plurima & opulentiſ-ſima monaſteria in Cappadocia,in Thracia,in Græcia,in Phry gia, & in Cycladibus iampridem amiſere. Noſtri ergo patres vel ſola antiquitate venerabiles,ex eorum numero ſunt,qui in vineam patrisfamilias euangelici prima hora venerunt: iuniores iſti,Minores,& Prædicatores vndecima hora cõducti (ſunt vna hora laborarunt, & cum pares nobis à vineæ Domino facti eſſent,ipſi ſeſe nobis prætulerunt, qui portauimus pondus diei & æſtus. Quod ſi fortè viſi ſumus hactenus aut numero pauciores, aut facultatibus tenuiores, nil mirum eſt: ſumus enim extorres,ex proprijs ſedibus pulſi,palantes ac vagi,rabiei Barbarorum expoſiti:cœpimuſque à paucis annis, hoc eſt à tẽpore prædicti Lodouici regis Francorum,in Italia,in Gallia,in Germania,in Hiſpania, & demum in tota Europa fruticare: & iam Deo pientiſſimo, & beatiſsima Dei genitrice Maria curam noſtri gerentibus adeo coaluimus, inſtauratique ſumus, vt nos caudices carioſi, & iam ſenio & bello ac longa peregrinatione conſumti conuulſique cum nouellis iſtis plantationibus poſsimus aliquando de paritate contendere,aliquando de præſidentia gaudere, & niſi miſericors Deus reliquiſſet nobis ſemen,quaſi Sodoma fuiſſemus extincti, hoc eſt ad vnum omnes extirpati. Noluit autem fidelis Deus antiquam in nobis mutare ſententiam: ſumus enim de filijs Rechab,de quibus in Hieremiæ capite.xxxv.ita dicitur, Pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia eius mandata, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit dominus exercituum Deus Iſrael,Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab,in æternum ſtans in conſpectu meo. & hi diſcipulis Eliæ poſtmodum adhæſerunt. Accidit hoc in nobis admiratione dignum,& protectionis diuinæ manifeſtum indicium,quod ſcilicet more naſcentis eccleſię ex perſecutionibus incrementum ſumſimus, & dum exſtirpamur, propagati ſumus:nulla namque aliarum religionum, quæcunque illa ſit, poſt ſimilem ſuorum calamitatem, poſt tale naufragium potuit tantum ſeſe attollere: ſed multæ etiam ſponte ſua, quaſi Dei gubernatione deſtitutæ,corruerunt. Nos autem poſt vio-

lentam depredationem, post tumultuosam nostrorum non expulsionem solum, verum etiam occisionem, post tantam Barbarici furoris inundationem & bellorum incendia tam crudelia reuiximus, & quasi ex transplantatione magis aucti sumus, factumque videtur in nobis quod in psalmo dicitur, Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno in populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: quod dictum eo maxime congruit nobis, quod Eliæ discipuli, sicut testatur Regum historia, filij prophetarum appellabantur. Nos ergo quondam orientales, nunc vero propter fidem catholicam per occidentem & septentrionē sparsi, propter euangelium eiecti, propter Christi nomen exsules, tam inhumanè tractamur ab istis, vt nos neque recto dignentur intuitu. Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus. Est aliud memoratu dignissimum, quod ad vniuersalem pietatis profectum cupio cunctis esse notissimum, idque perquam paucis explicare conabor. Nazaret oppidum magis illustre, quam opulentum, vnde virgo Maria genus traxit, non longe distat à mōte Carmelo: quo factum est, sicut accepimus ab antiquis, vt patres nostri filij prophetarum, Elię successores cum Ioachim & Anna Mariæ parentibus, sicut vicini solent, conuersarentur: & quia summopere studebant mundi contemtui, & ante omnia more Eliæ & Elisei cælibatui ac virginitati, Mariam infantulā, quæ tum quoque, nescio quid diuinitatis prætendebat, ad nuptiarum abdicationem, & ad perpetuam continentiam sic animarunt, vt virginitatis perpetuæ susceperit votum: propterea angelo Gabrieli legitur respondisse. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco. Et quoniam mons Carmelus erat sanctitatis nomine diffamatissimus, accedebant illuc frequenter, cū vacabat, ex vicinis locis religionis amatores viri ac mulieres, & præsertim cum matre virgo paruula, & iam adulta: & cum viris illis sanctissimis, quos auctores habuerat sancti propositi, tantam familiaritatem contraxit, vt quoties poterat vel ad eos accederet, vel eos ad se accersiret, subministrans etiam eis secundum facultates multa necessaria; erant enim pauperes, ac

mendici, contemplationi diuinorũ penitus addicti. Post Christi passionem, cum iam apostoli, & præsertim Ioannes euangelista, cui fuerat à Christo commendata, pulsi à Iudęis ad gentes transmigrassent, domum se retraxit. Nazaret peruenit, & frequenter veniebat in Carmelum, quærens medicinam suo cor dolio. Familiariter alloquebatur viros illos, curas eis suas explicabat, cum fiducia lamentabatur, & ipsi cum ea pariter affecti tristabantur mutuo, & collacrymabant. restabat ei solum hoc solatium: non habebat alios cũ quibus posset libere loqui, aperte lamentari, & mitigare suspirijs mentis ardorem. Tandẽ moritura eos aduocauit, & in medio eorum tradidit spiritum, eos deprecans & adiurans, vt haberent æternam sui memoriã. Sepulturę interfuerunt, æternum vale dixerunt. Demũ cum summa animi amaritudine reuersi, mox sacelli fundamenta iecerunt, & Mariæ titulum imponentes, vt illuc quotidie, tãquam in Mariæ domum conuenirent. Et hoc vno solatio fruebãtur, vt amantes solent, quod eius, quam videre amplius non poterant, domum videbant. Hinc, sicut ante dixi, factum est, vt à loco illo cognominati sint fratres beatę Marię in monte Carmeli. Tu vide, tu existima, tu perpende, tu iudica pater Reuerẽdissime, quanti debeas facere titulum, quem quidam obscuri nituntur auferre. Sub hoc titulo militauimus Christo iam mille quingentos circiter annos, à morte scilicet Mariæ ad hæc vsque tempora. Sic vbique terrarum nuncupamur. Christi Vicarij, pontifices Romani sic nos appellant, & hoc illustrissimum tituli decus, vt patet intuenti nostra priuilegia, nobis confirmarunt. Videtur hinc ordinem nostrum Ioanni Euangelistæ successisse: qui post eum Mariæ, dum viueret, curam habuerit, & post mortem titulum eius hereditarit. Sint modò qui nos calumnientur: sint qui conturbent, dum modo tu sis, qui nos diligas, ac tuearis. Viue, vale

F I N I S.

IOANNIS TRITHEMII SPANHEIMENSIS,

De laudibus Ordinis Carmelitarum, & de viris illuſtribus eiuſdem Ordinis.

Liber II.

INDEX CAPITVM.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS, IN OPVS SVBiectum de laudibus ordinis Fratrum Carmelitarum, Epistola.

REVERENDO IN CHRISTO PAtri, Domino Ioanni VVirici de Nussia, ordinis Fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, per inferiorem Alemaniam Prouinciali, ac cæteris Patribus in conuentu Agrippinensi capitulariter congregatis, Ioannes de Trittenhem, Abbas Spanheimensis, Salutem & Caritatem.



Ama refert veterum Parthos neminem salutauisse absque muneribus. At mihi quidem, religiosissimi Patres, vestrum salutandi collegium animus est: sed munera condigna officio desunt; quibus amoris in vos mei sinceritas declaretur. Quid igitur facerem? Numquid propter inopiam muneris fœdus rumpitur Caritatis? Absit. Vacuus ergo salutabo? Nequaquam. Quid igitur feram? Mu-

nera. Que munera pauper & inops? Caritatis. Non aurum, non argentum, non lapides pretiosos: sed verba & litteras, quibus nutritur ordo pietatis. Nuper itaque precibus & instantia religiosorum patrum Ioannis Lapicidæ de Colonia prioris Crutzenacensis, & Iacobi de Cuba lectoris impulsus, scripsi in laudem Carmelitici Ordinis breue opusculũ, quod loco munusculi vobis mitto examinandum, & quamquam verecundum satis mihi fuerit coram eruditissimis in omni eruditione & doctrina viris tanti Ordinis voluisse laudare excellētiam: cum inter vos plures nouerim eloquentissimos, qui id melius quã ego facere possint: malui tamen iudicari sermone imperitus, quàm caritate infructuosus. Nam etsi laudibus tantî Ordinis opusculum nostrum longe sit inferius: poterit tamen afferre nõnihil vtilitatis; dum is qui laudator religionis vestræ esse voluit, nullam propriæ laudis suspicionem acquisiuit. Credo enim quod laudes & honorẽ excellentissimæ religionis vestræ ab alienis potius quã à proprijs debeatis accipere. Suscipite nunc itaque optimi Patres destinatum paruitatis

tis meæ opusculum, in quo non quid fecerim sed quantũ voluerim pro honore Ordinis Carmelitici pensate. Si quid vero emendatione dignum duxeritis, vt libet corrigite; vel si placet mihi emendandum demandate. Variæ siquidem occupationes rei familiaris non sinebant me limam omnimodæ venustatis apponere, neque secundum institutionem meam singula ordinare. Sicubi erratum est; negligentia causam dedit, non voluntas. Vos autem venerandi Patres apologiam facile suscipitis, si amorem in vos meum & solicitudinem pastoralis curæ pensetis. Pro maximis autem computabo delicijs, si vobis affectum meum erga Ordinem cognouero non displicuisse. Opto nos in Domino semper valere memores nostri. Datum raptissimè ex monasterio nostro Spanheim. IX. Kalend. Maij. anno Domini. CIↃ. CCCC. XCII.

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEIMENSIS Ordinis diui patris Benedicti, in librum de laudibus sacri Ordinis fratrum Carmelitarum, Præfatio.



Recibus & instantia quorundam Patrum de ordine fratrum beatę Mariæ semper Virginis de mõte Carmeli subiectum opus aggressus sum: in quo breuiter laudes eiusdem sacratissimæ religionis, quantum rei familiaris curæ ingeniíque vires perexiguæ sinebant, describere constitui, & quemadmodum a fundationis suæ principio vsque in hunc diem profecerit demonstrare compendiosius elegi. Verum cum non sit speciosa laus in ore peccatoris, vehementer timeo, ne ordinis tam excellentis dignitas mea tarditate obfuscetur, fiatque mihi quod imperitis oratoribus solet contingere, qui preclaras res sua imperitia solent deturpare. Enimuero cum parcius alicubi scripsisse videor, non sum ęstimandus rebus defecisse, sed verbis. Maxima quippe Carmelitici ordinis excellentia est, quæ non modo meam, sed Demosthenis quoque facundiã & eloquentiã procul excedere videatur. Varij sunt in ecclesia Dei ordines: huic tamen præ omnibus tãtũ conceditur, vt titulo beatissimæ Dei genitricis & virginis decoretur. Cum ergo maximis rebus laudandis ingenia parua non sufficiant, quid mirum, si ego in celebrando præclarissimum ordinem videar deficere! Satis feci quidem amicis vrgentibus, quamquam minus potuerim quam volebam. Adhuc Carmelitani ordinis in pectore viget amor: adhuc laudandi superabundat materia: sed præ rei excellentia deficiunt verba. Magnam huius ordinis institutio laudem promeruit: quam regina cęli suo vocabulo insigniuit. O vere beata vnio: quæ tanta parentis munita præsidio, in æternum firma consistit. Sub Dei matris protectione Carmeliticus ordo quiescit: & idcirco nulla vnquam aduersa formidabit. Gaude decus Carmeli: te mundi sator ob matris honorem

diligitte domina mundi virgo Maria vt oculi pupillam custodit:te supernæ patrię ciues colunt,amant, & laudant, nomen & honorem imperatricis suę in te sedulò venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulcritudinis tuę. Te nemo veraciter diligit, nisi bonus:nemo institutionem tuam odio habet,nisi peruersus. Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis euangelij pacis:quamque venusta facies, quamque elegans forma,quamque decorus adspectus. Beati cultores tui, qui ambulant in semitis veritatis:qui contemtis mundi rebus,tua prę cepta deuota sinceritate custodiunt. Maior es ô Carmeli sacrata religio , quam vt verbis meis valeas prędicari. Silere a tuis laudibus non valeo ;quoniam quod virium negat infirmitas, caritas subministrat. Iam nunc igitur vos amici presentis operis importuni exactores,de manu vestri ordinisque Carmelitici amatoris diu optatū munus suscipite, & Deum maximum pro meis reatibus sedulo exorate. Habetis ex me postulatum opusculum, in quo vestris petitionibus satis feci: sed minime nostrę voluntati. Plus enim pro decore vestri ordinis volumus, quam possumus. Deinde vos fratres sub Virginis matris chlamyde militantes compello : vos precor & oro, vt si deuotio in ordinem vestrum nostra vobis videtur laudabilis, pro nostris ad Dominum culpis interueniatis , nobisque Dei gentricem vestræ religionis patronā placabilem reddatis atque propitiam. Hoc inquam agite, vt nostri merces operis, amor fraternus sit, & oratio vnitatis.

(.·.)

IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS, DE laudibus Ordinis fratrum Carmelitarum. Liber. I.

De principio Ordinis. Cap. I.



E ordine fratrum beatissimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ de monte Carmelo auxiliante Domino tractaturi, ab illo differendi sumamus exordium, qui eiusdem religionis obtinet principatū. Tunc enim iucunda poterit esse lectori sacratissimi Ordinis huius cognitio, si cum instituentis non lateat celsitudo. Enimuero singuli ordines suos habent præceptores & principes, fundatores & viuendi sub regula moderatores. Alij Basilium sui ordinis habuere principem, alij Augustinum, alij Pachomium: nos Benedictum, prędicatores sanctum Dominicum, fratres minores Franciscum. At huius sacratissimi ordinis institutor fuisse Elias propheta maximus dicitur: principes filij prophetarum ex veteri testamento, memorantur: cuius propagator sanctus propheta Eliseus exstitit: quem sacratissima Dei genitrix Virgo Maria suo vocabulo insignitū, ab æmulorum inuidia defendit. Qui gloriatur in Domino glorietur: ordinis sui principes vnusquisque imitari pro posse desideret: suos institutores moribus quisque sequatur non friuolis sermonibus. Nemo in ecclesia Dei de ordinis sui excellentia contendat: nemo ęmulationis studio alium prouocet: nemo alteri detrahat: nemo famam alterius elationis malo corrumpat. Stultum est de alterius sanctitate gloriam quærere, & de aliena potius, quam sua virtute præmium exspectare. Sunt nonnulli bonorum studijs inuidi: qui sacrum Carmelitarum ordinem impio dente corrodunt & lacerant: qui de prę rogatiua Virginei tituli plurimum indignantur, Carmelitas velut indignos iudicātes, qui fratres beatissimę Dei genitricis & matris appellētur. Alij antiquitatem huius sacratissimæ religio-

ligionis ignorantes, prophetas Dei summi illius negant fundatores exstitisse & principes: tanquã apud veteres nulla fuerit religio, quę in posteris cũ ordinis nomine deriuetur. Et horũ in primis fauente Virgine Maria sermones obstruẽdi sunt, & sic demũ ad laudẽ ordinis continuanda oratio. Nisi enim in principio falsę opiniones stultorum elisæ fuerint: semper nobis quasi quidã latrunculi parabũt insidias. Hunc ergo quid nobis stolide laudator tui opponis? quid ordini sancto imponis? Quid habes cõtra religionẽ hanc, vnde moueri queas? Profer vt audiamus. Putasne iuste indignaris fratribus Carmelitis, famulis genitricis Dei? Quid est quod tibi in eorũ ordine displicet? Genus, an species? nomen, an virtus? vita, an meritum? Si genus: audi scripturam. Dei enim & genus sumus. Vos inquit archiapostolus genus electũ, regale sacerdotiũ, gẽs sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Dei plantatio est: caue ne quid contra sanctos aspere loquaris. Elegit sibi Deus ordinem Carmelitarum ob suum matrisque honorẽ: qui tibi si displicet, omnipotentis ordinationẽ impugnas. Si species displicet, audi quid Dominus dicat. Species agri mei cum est. Hic est ager, cui benedixit Dominus: in quo crescũt virtutum lilia, & flores pietatis. Huic agro tam sancto, tam fructifero tamque Deo dilecto, nemo benedictus maledicere potest. Si nomen Virgineo tropęo splendidũ displicet, stultus es: qui rerum maiestate posthabita, de vocabulo altercaris. Nomen benedictum Carmelitę possident: cui qui maledixerit, maledictionibus subiacebit. Si virtus fratrum ad æmulationem permouet, inuidus es, qui alterius bonitate torqueris. Denique qui virtutem odit in proximo, iniuriam facit Deo, qui merita largitur & præmia. Si autem vita Carmelitarum tibi displicet: dic quorum. Quorundã, an omniũ? Si omniũ, temerarius es: qui tot fratres vna sententia condemnas, a quorũ sancta conuersatione tu quoque adhuc procul distas. Omnibus enim historias veterum legentibus perspicuum est, quam multi sanctissimi viri in hoc ordine claruerunt. Nec dubiũ est hodie cõplures deuotissimos fratres inueniri qui ordinem

dinem istũ suis virtutibus gloriosissime illustrãt. Si vero quo rundam fratrum infirmitas te scandalizat, impius es: qui culpam paucorum diffundis in omnes, teque longe a perfectione sanctorum iacere indicas, dum aliorum defectus impatienter portas. Sed scio quamobrem contra sanctum ordinem Carmelitarum mouearis. Duo sunt quę tibi in eo displicent: quorũ alterum est, quod se fratres beatę Marię semper Virginis appellant: alterum, quod Eliam & filios prophetarum ordinis sui fundatores & principes prędicant. Hęc sunt capita parti aduersæ: hęc sunt fundamenta commotionis alienę. Sed ô stulta humanę conditionis præsumtio: quę in suę humilitatis consideratione non potest tranquilla consistere: sed semper nititur sui comparem ęmulationis praue studio superare. Cur inuides fratribus Carmelitis ordinis sui titulum, quem eis contulit regina celorum? Enimuero si domina mundi se Carmelitis sororem exhibere voluit, quis ei contradicere potest? An non licet ei quod vult facere? An oculus tuus nequam est, quia ipsa bona est? Noli turbari, noli irasci, noli frendere dentibus: nemo reginam cæli prohibere potest, quo minus Carmelitas suos fratres appellet & filios. Non friuola loquor, non falsa, cum summi pontifices Romani, Petri successores, Carmelitas non aliter appellare consueuerint, quam fratres Dei genitricis. Reuolue generalium Conciliorum acta, & bullas apostolicas, & nunquam præter honorem Mariani tituli Carmelitas appellatos inuenies. An hoc tibi pa rum esse videtur, & maius à me testimonium requiris? Non est maius testimonium ecclesia Dei: quoniam quiquid approbauerit illa, alterius testimonio non amplius indigebit. Quod si te quoq; huius excellentia tituli delectat, quid sanctis fratribus indignaris? Assume, ostenta, prædica: ipsi te minime prohibebunt illę si. Verumtamen scias, quoniam quidquid assumitur, proprium non putatur. Fac opera sororis, & frater eris. Sanctissima etenim Dei parens virgo Maria, communis fidelium mater est, nullum penitus aspernatur deuotum. Age itaque vt libet: soli fratres Carmelitici ordinis hunc virginei patronatus titulũ auctoritate vniuersalis Ecclesię meruerunt

runt: quem nulla vnquam æmulatione amittent. Quamobrem vero fratres beatę Mariæ semper Virginis appellati sint, suo loco consequenter tractabimus. Ad secundam calumniatoris positionem nunc respondendum est: qua fratres Carmelitas de Elię ac prophetarum successione imprudenter exasperat.

Quemadmodum Elias propheta Domini fundator exstiterit ordinis Carmelitarum. *Cap. II.*

ELias propheta Domini eximius rectè & catholicè fundator Carmelitanæ religionis dicitur, si eius facta ex regum voluminibus absque inuidia discutiantur. Enimuero ipse montem Carmeli primus inhabitasse legitur: a quo fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quod istius obseruantię princeps Elias habeatur: loco videlicet, ab habitu, & conuersatione. Cum ergo nomen ordinis a loco sumitur, meritò Carmelitarum princeps Elias memoratur: quia mons Carmelus, cuius ille habitator exstitit: huic ordini vocabulum dedit. Non loquor vana: sed testimonijs scripturarum comprobata profero, cum Eliam prophetam eundem locum longe ante Christi natiuitatem inhabitasse dico, qui fratribus Carmelitis religionis suę nomē dedit & exordium. Denique si veterum testimonijs credendum est, post Elię raptum & mortem Elisei, filij prophetarum per successionem generationis montem Carmeli inhabitantes, claris vacuum nunquam sinebant esse cultoribus. Allegationes testimoniorum super his, doctis viris non sunt necessarię: indoctis autē superfluę. Stultum est enim tempus allegationibus insumere, cum ea quæ dicuntur nemo doctus debeat ignorare. Veruntamen ne videar quęsisse subterfugium, dubitanti subiectos voco in testimoniū. Sanctissimus ille patriarcha Hierosolymorum Ioannes, qui claruit temporibus Adriani papę primi, quid aliud in libro suo de principio & profectu

huius

huius ordinis exprimit, nisi quod Elias fundator eius fuit? Cyrillus Græcus episcopus Alexandrinus, Vilhelmus de Samuco, Sibertus de Beka, Philippus Riboti, Ioannes Grossi, Ioannes Bachonis, viri doctissimi atque integerrimi: quid aliud scribunt de hoc ordine, quam quod ab Elia exordium sumpserit? Si nobis in his quę de hoc ordine scribimus fidem adhibere dissimulas, ad scripta prædictorum patrum recurras, & nos falsitatis arguere non poteris. Consentit ergo nomen loci, vt Elias sit fundator ordinis Carmelitici, vnde non sunt vituperandi Fratres huius sacratæ religionis, quod Eliam & filios prophetarum sui ordinis fundatores & principes asseuerant. Quantum vero ad rationem habitus pertinet, in Eliam ordo Carmelitarum pulcra transfiguratione consentit. Legimus ipsum amictum fuisse pallio, quo tangente Iordanis obstupuit, & se pedibus transeuntis calcabilem dedit. Sic Eliseus, sic filij prophetarum imitatores Eliæ facti sunt: qui non solum ei loco, sed & habitu similes permanserunt. Quod si nobis de colore putas inferre calumniam: quanquam sit vile argumentum, quod de inuisis coloribus disputat: ad veterum historias te vocamus: quibus in primitiua Ecclesia fratres Carmelitæ, instar Eliæ virgulatis pallijs leguntur fuisse induti. Nec te offendat mutatio coloris, cum non sit de substantia ordinis. Potest enim mutari habitus, integritate ordinis permanente. Sic etenim Cistercienses griseum habitum commutantes nigrum assumserunt, religione pristina nihilominus perseuerante. Ratione autem conuersationis Elias fundator ordinis Carmelitarum exstitit: qui eos in mōte Carmeli sanctis moribus præcessit. Quid fecit Elias, quod fratres Carmelitę pro posse non imitentur? Incoluit illę eremum, vasta solitudinis dilexit, soli Deo & sibi vacauit. At fratres Carmelitæ ab exordio suæ institutionis vitam solitariam in monte Carmelo duxerunt, soli Deo vacare per contemplationis secretum eligentes, donec tandem nouissimis pænè temporibus Saracenorum persecutione de eremo expulsi, iubente sede apostolica in vrbibus sunt locati. vnde & antiquitus eremitæ montis Carmeli vocabantur. Insuper sicut Elias Dei vo-

lunta

luntatem annuntiauit, tyrannos arguit, impios trucidauit: sic fratres Carmelitæ, quantum ad eos pertinet, verbum Dei omnibus prędicant, tyrannos arguunt, impios carnalium desideriorum motus per monita salutis in se & in alijs Dei virtute occidunt. Elias virgo mente & corpore, nullius corporei coitus macula inuenitur fuisse permixtus: sed tanta puritate coram Deo & hominibus emicuit, vt mortem iam per annos bis mille, quadringentos triginta differre meruerit. Fratres autem Carmelitæ sancti principis exemplo instructi ad perpetuam se castitatem voto religionis obligant, non nubent, neque nubentur, Ecclesiam Dei vita & doctrina edificant, fugatis quantum permittit humana fragilitas vitijs, in se & in alijs virtutes plantant. Et quanquam non sit eis Eliam posibile in omnibus imitari: tamen si parilitas conuersationis recto lance attenditur, Elias Carmelita primus & optimus fuisse comprobatur: Quid nobis iam æmulatio praua obijcies, quid Eliam Carmelitam exstitisse neges? Si dicas Eliam ordinis Carmelitarum iccirco non exstitisse principem & fundatorem, quia regulam eorum non sit professus, non magnopere aduertimus. Quid enim si regulam eorum non habuit, qui ante regulam fuit? Bene inquis. Si ante regulam fuit, ordinis Carmelitarum fundator quomodo exstitit? Fundator enim ordinis esse non potuit, si regulam non dedit. Sed non est vera conclusio, quam contraria multorum consuetudo infringit. Beatus Dominicus ordinem prædicatorum instituit, & tamen regulam Augustini non dedit, sed accepit. Sed ordo Cisterctensis, sic Carthusiensis, sic cæteri pæne innumerabiles, principes suæ institutionis alios habuerunt, atque alios regulę datores. Sed ne causetis Eliam precesisse regulam Carmelitarum, & ideo nō potuisse ordinis esse fundatorē: noueris plures in ecclesia Dei olim sine certa regula ordinis exstitisse, qui successu temporis regulam assumserunt. Multis enim annis ordo sancti Hieronymi in ecclesia Christi viguit; qui tamē Hieronymi regulā nō acçepit, donec frater Lupus Oliueti Hispanus, eiusdē ordinis generalis tādē sub Martino papa quinto ex varijs eiusdē patris dictis nouam

nouam regulã comportauit. Denique multos ordines sub quorundam sanctorum titulis esse cognouimus: de quorum regula nihil inuenimus. Sed de his hactenus. Maximum Elianæ institutionis argumentum est, testimonium antiquitatis, multis veterum scriptis celebratum. Fratres enim Carmelitæ prius extiterunt, quam regula: quoniã exemplo Eliç & prophetarũ ipsi sibimet viuendi regula fuerunt. Lege vitã Eliæ ac filiorũ prophetarum, & inuenies illos ante regulam regulariter vixisse. Nec refert si & alios quoque religiosos ea facere dixeris, quæ Camelitas exemplo Eliæ facere diximus: quia & si moribus Eliam ceteri pro posse sequantur: tamen soli Carmelitę, non solum moribus, sed & habitu & loci vocabulo ipsum imitantur. Legimus in historijs quod Sabacha pater Eliæ nondũ nati viderit in somnis viros candidatos salutantes eum: per quos recte fratres Carmelitas accipimus, quos habitu & conuersatione candidos esse cognoscimus. Hi genitorem Eliæ Sabacham salutant: quia illius exemplo inhærentes, quasi fratres eius se exhibent, dum Sabacham, qui interpretatur reticulum, candidis moribus salutant. Quid autem aliud per Sabacham patrem Eliæ intelligitur, quam reticulum sanctæ religionis Carmeliticę, in qua multi saluandi capiuntur? A tempore siquidem Eliç & Elisei prophetarum Dei, vsque ad Christi natiuitatem plures montem Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs aperte demõstratur. Nam post passionem Domini prædicãtibus fidem Apostolis, inter multos, qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli montis heremitę conuersi sunt: qui deinde crescente numero fidelium in Carmeli montis latere in honorẽ Dei genitricis & Virginis Marię capellam exstruxerunt: vnde & vocabulum loci & religionis recipere meruerunt. Nec mireris, si etiam monachos ante Christi natiuitatem in Israel fuisse dixerim, qui montẽ Carmeli & deserta solitudinis inhabitarunt: quandoquidem & apud gentiles in Gallia nostra Belgica monachatus celebris fuit: cuius professores antiquitas Druides appellauit. Horũ in vrbibus & villulis aliqui morabantur, aliqui montes siluasque inhabitabãt: omnes de scientia rerũ naturaliũ philosophabãtur. Erãt in

maxima

maxima auctoritate populi:ad quorum omnia nutum gerebantur. Vita illis abstracta & continentissima fuit: adeo vt nemo sinistrè loqui aliquid de episcopis præsumeret. Potestatem habebant excommunicandi rebelles, & rursum absoluendi obedientes. Omnimoda quoque immunitate gaudebant. Ceterum ne multis agam qualis istorum conuersatio fuerit, Cæsar in commentarijs expresfsit, Nam præter fidem & vnius Dei notitiam actione se monachos exhibebant. Si Druides ante natiuitatem Christi gentiles solitariã ac monasticam vitam egerunt, quid mirum si ex Iudæa fideles mõtis Carmeli eremitæ fuerũt? Denique si de monachis, qui ante Christi natiuitatem in Iudæa floruerũt, altiora scire desideras: historias Philonis Alexandrini & Iosephi Hierosolymitani Iudæorum legas, & quales eo tempore fuerint inuenies.

De conuersatione filiorum prophetarum, aliorumque eremitarum ante natiuitatem Christi in monte Carmeli.

CAP. III.

LEgimus in historijs veterũ primũ Samuelem cõuentũ instituisse prophetarum: quem & cuneum appellabant. Deinde translato Elia per aëra eius duplex in Eliseo spiritus quieuit: qui & ipse cum filijs prophetarum montem Carmeli temporibus certis incoluit, & viuere ad normam Eliæ summopere curauit. Ex his quidem multi suis nominibus per patres recensentur; de quibus nostrũ iudicium nõ inconsulte suspendimus, eorundem testimonio contenti. Hinc de monachorum institutione dicit Hieronymus. Noster princeps Elias est, dux noster Eliseus, & filij prophetarum: qui in agris & solitudine habitantes, habitacula sibi construebant iuxta fluenta Iordanis. Erant isti viri multarum virtutum, caritate maximi, deuotione & integritate summi: qui in cõtemplatione Dei suspensi, mũdum cum voluptatibus suis contemserũt. De quibus veraciter dicit Apostolus: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ: qui per fidem regna vicerunt, operati sunt iustitiã, adepti sunt repromissiones. Isti sunt viri fortes atque prudentes: qui monasticæ conuersationis fundamenta iecerũt: qui post Eliam montem Carmeli inhabitantes, se habitu & conuer-

satione Deo dignos exhibuerunt. Ab his ordo Carmelitarum initium sumsit & vocabulum. Ipsi enim ordinis Carmelitici conuersatione legis tempore seruauerunt: à quibus nostri Carmelitæ sub gratia & nomen acceperunt & ordinem. Nihil in his omnibus nisi tempus dissicrepat: merito vnus ordo Carmelitarum & eremitarum sub lege & gratia dicitur, qui vnius Dei fide & cultu coniungitur. Neque autem ceteris ordinibus titulus Elianus conuenit: cui & si conuersatio vitæ congruat, tamen nomen loci non concordat. Antiquissimus ergo omnium ordinum in ecclesia Dei Carmeliticus est: à quo ceteri ordines principium & formam suæ institutionis acceperunt. Enimuero quantum attinet ad autoritatem veterum scripturarum, monastici propositi princeps fuit Elias & discipuli eius: qui relictis vrbibus sibi casulas circa Iordanis fluenta in deserto construxerunt. Huius sub gratia propositi primus Baptista Ioannes exstitit: qui à teneris annis solitudinem deserti inhabitauit. Nec putes sanctos prophetas Domini, boni solitudinis ignorasse magnitudinem, cum non fuerit minimus eorum qui dixit: Bonum est homini cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit: quia leuabit se supra se. Sciebant viri sanctissimi diuino Spiritu illustrati solitariæ vitæ vtilitatem & iccirco ante legislationem operibus impenderunt: quod demum sub regula constituti Carmelitæ pro posse imitantur.

Et quamuis Elias Carmelitis regulam scriptã non dederit, eis tamen exemplo sanctæ conuersationis viuendi norma fuit: quibus post se & locum & habitum concessit.

Quando & quemadmodum data sit regula fratribus in monte Carmelo degentibus,

CAP. IIII.

SAncti etenim patres, qui in monte Carmelo iuxta fontem Eliæ ante Christi natiuitatem habitabãt, regulam conscriptam habuisse non leguntur: sed ipsi norma & regula sibi fuerant, qui exemplo Eliæ concorditer viuebant. Deinde post passionem Domini multiplicata per Iudæam fide Christiana, hi qui in monte Carmeli vitam imitatione Eliæ ducebãt eremiticam: secundũ euangeliũ Christi viuere

viuere ceperunt, ſicut in actibus Apoſtolorum ſcriptũ eſt. Erat vnanimiter in oratione perſeuerantes, & erat illis cor vnum & anima vna: nec quiſquam inter eos aliquid habebat propriũ: ſed erãt eis omnia cõmunia. Hæc eſt vita apoſtolica: quam fratres Carmelitæ in primitiua eccleſia ſtudioſiſsime obſeruabant, regulã ſuper his euangelicã in cordibus ſuis habentes conſcriptam. Succeſſu vero temporis, cum homines paulatim inciperent ab apoſtolica vita recedere, & propriũ ſibi quiſque poſsidere: timentes zelo ſi montis Carmeli habitatores, ne & ipſorum ſancta conuerſatio per ſucceſſum temporis deficeret, de remedio in poſterum cœperunt cogitare. Regulam ergo non propter ſe, ſed poſteritatem poſtulabant: ſcientes ordinem ſuum iam deinceps non ſatis tutũ exiſtere, niſi per regulã confirmetur. Et reuera niſi hodie Carmelitæ approbatã haberent regulã, neſcio ſi ſubſiſterent. Regula enim ſola eſt, quæ ordinem præcedentiũ poſteritati commendat. Tempore pacis belli ſumtus parãdi ſunt, ne aduerſitas offendat imparatos. Nam ſi fratres montis Carmeli non accepiſſent regulam tempore pacis, vbi de Iudæa tandem per Saracenos expulſi manere potuiſſent? Anno igitur Domini m.c.xxij. ſub Henrico, & Calixto papa ſecundo, Brocardus prior montis Carmeli regulam ab Alberto Hieroſolymorum patriarcha obtinuit: quam ſuæ poſteritati obſeruãdã commendauit. Nec æſtimandi ſunt fratres Carmelitæ eatenus irregulariter vixiſſe: qui ex ſancta cõuerſatione cõſuetudinem in regulã commutarunt. Nõ enim neceſſaria eſt regula perfectis, ſed infirmis.

De confirmatione & approbatione ordinis Carmelitarum.

CAP. V.

SEd inuido dente bonos lacerare non ceſſat peruerſus, dum aliter ſibi probitatis famam non poteſt acquirere, niſi famæ inſidietur alienæ. Quanto enim creſcunt bonorum ſtudia, tanto & inuidia prauorum ſæuitura creſcit. Enimuero quãquã ſacrũ Carmelitarũ ordinem vetuſtas ipſa cõprobauerit, quãquã multorũ fratrũ ſanctitate ſublimatus ab initio fuerit: nequaquam tamen prauorum contra eum perſecutio quieuit. Dicebant ergo fratribus ſanctis detractores iniqui, Non eſt ordo veſter in eccleſia Dei ſtabilis: quem ſancta ſedes apoſtolica non probauit. Hinc orta ſunt ſcandala:

hinc ſeditiones in populo ſurrexerunt, dum peruerſi homines ſanctū ordinem delere funditus moliuntur, O ſtulta hominū abuſio, vt quod euangelium Chriſti approbat, humana confirmatione exiſtiment indigere. Dic mihi detractor bonorum, legiſti ne bullas veterum ordines approbantes? Quis papa confirmauit veteres ordines, Pachomij, Baſilij, Auguſtini & Benedicti? Nuſquā inuenies hos ordines litteris confirmatos à principio. Enimuero quos ſanctitas multorum approbat, quos longa vetuſtas confirmat: quis niſi mētis inops & ſtolidus infringat? Si ordines præfatos ſancta confirmat antiquitas: ordo fratrum Carmelitarum, qui antiquiſsimus eſt, nullius confirmatione opus habet. Longe enim precefsit Romanos pontifices; qui ex Elia propheta exordiū ſumſit. Hæc dixerim, non quòd ordo Carmelitarū apoſtolico careat munimine: ſed vt æmulos odio motos oſtenderim, non ratione integritatis. Nam poſtea quam fratres huius religionis in Europam venerunt expulſi de Palæſtina: multi ſummi pontifices ordinem ipſum confirmarunt, de quibus Alexander papa tertius vnus exſtitit: poſt quē Innocētius tertius idem fecit, amborūque, veſtigijs inhærēs Honorius tertius, multis adiunctis priuilegijs & ordinē, & regulam denuo comprobauit. Sed de his admodum ſatis dictum quia & ſi nos priuilegia Carmelitici ordinis nō penitus lateant: tamē noſtri non eſt propoſiti in lucem ea traducere. Hoc æmulis velim ſufficiat, ordinem hunc ſuper probatum exſtitiſſe ab initio, & deinceps ſtabilem manſurum.

De mutatione ſuperioris habitus fratrum.

CAP. VI.

QVemadmodum in ſuperioribus iam diximus, fratres Carmelitæ ſuos principes non ſolū moribus, ſed & habitu pro ſua poſſibilitate imitantur. Eliam vero pallio indutum fuiſſe ſacra demonſtrat hiſtoria: quo tranſeunte Domino vultum ſuum operuit, & tangens eo Iordanem calcabilem fecit. Denique cum Eliſeum vocaret, pallium ſuper eo miſiſſe legitur: quo etiam donauit eundem, dum ipſe per aera raperetur. Erat autem pallium, ſi veterum ſcriptis adhibetur fides, rotundum, totum corpus a collo vſque ad medias tibias cooperiens: anguſtum ſuperius & inferius latum, ac in anteriori

anteriori parte apertũ. Color autẽ ipsius habitus albus fuisse dicitur: per quẽ interior fratrũ mũditia & puritas disignatur. Tali Eliá pallio amictũ fuisse tradunt: tali habitu incessisse Eliseũ, & filios prophetarum. Si quis vero hanc habitus Elie descriptionem contendat esse apocrypham: nullam per hoc iniuriam nobis fecerit, qui nostram opinionem non scribimus, sed præcedentiũ patrum. Cappa enim ordinem non facit, sed obseruãtia pietatis. Nã quod antiqui monachi etiã vnius ordinis in colore habitus vniformes aliquãdo non fuerint, sanctus pater Benedictus in sua regula innuit: qui monachos de colore vestium causari prohibuit. Hæc dixerim, non quod album fuisse Eliæ habitum negem: sed vt hæsitantibus occasionem murmurandi contra ordinem præscindam. Post multos vero annos cum Terra sancta in manus deuenisset infidelium, coacti sunt fratres mutare habitum, Saracenis id vrgentibus: qui solis satrapis suis albam portare vestem licere existimabant. Publico igitur edicto regis fratres montis Carmeli album deponere habitum compulsi sunt, & alium quemlibet assumere. Reiecto itaque necessario habitu pristino, cappas virgulatas assumpserunt: quæ duplicis coloris a septem partibus virgulatus exstitit: quarum prima circa fissuram anterius alba fuit altrinsecus sequens ab vtraque parte alba, & vltima in medio dorsi nigra. Tandem cum post annos non paucos malitia infidelium crescente, de Terra sancta fratres cogerentur recedere: denuo habitũ cõpulsi sunt immutare. Venientes enim ordinatione diuina in Europã, ne populis risum peregrino habitu facerent, veterẽ habitũ resumserũt, quo vsque in hodiernũ diem in ordine vtũtur. Denique ne mutatio hæc cuiquam friuola videretur, auctoritate summorum pontificum mox legitur comprobata.

Quare Carmelitæ fratres dicantur beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli.

CAP. VII.

SEd iam quærendum nobis est, quare tot sanctis nouis & antiquis ordinibus prætermissis solus Carmelitarũ ordo, beatæ Dei genitricis titulo decoretur, cũ ipsa nec fundatrix illius exstiterit

nec aliqua ei similitudine professionis subiecta. Quæ ergo causa fuit, vt Carmelitæ fratres beatæ Mariæ sēper Virginis ab initio dicerētur? Numquid fortuito casu, aut elatione aliqua inani factum est? Absit. Nam sicut ex veterum lectione didicimus, titulum hunc Carmelitis conuenire maxime scimus: quos ab exordio suæ institutionis Dei genitricem semper in maximo honore & reuerentia habuisse non dubitamus. Enimuero non diu post Domini passionem crescente per Iudeam fide Christiana fratres mōtis Carmeli capellam in eiusdē mōtis latere in Dei genitricis honorem construxerunt, eamque in ordinis sui aduocatam patronam elegerunt, & fratres eius deinceps appellati sunt. Sicut ergo à Carmelo Carmelitæ, ita à capella, quam ædificarūt, vsque in hodiernum diem fratres beatissimæ Dei genitricis & Virginis appellantur. Et digna quidem Carmelitis denominatio: vt qui Dei matrē speciali semper amore venerātur: etiā illius sint titulo clariores. Quemadmodum enim beatissima virgo Maria paradisi nobis aditum prima omnium aperuit: ita Carmelitarum religio principium & formam ceteris ordinibus dedit. Nec dubiū mihi est, quin Dei parens Maria hunc ordinem speciali fauore prosequatur: quem & loco vicinum, & tempore primum sibi & filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profecto sunt fratres Carmelitæ sacratissimę Virginis titulo insigniri, qui ab exordio suæ institutionis ei per humilitatem & innocētiam suo modo facti sunt proximi, & in obsequio eius parētelæ singulariter deuoti. Lege & reuolue omnes transacti tēporis historias, & nusquā inuenies ordinē fratrūCarmelitarū in ecclesia Dei scisma suscitasse vel scandalū, nec vlla nouitate populū fidelem perturbasse, neque de aliqua hæresi vmquam fuisse suspectum. Semper enim in humilitate & tranquillitate Domino seruiuit, semper pacificus in ecclesia fuit: semper sua innocentia contentus exstitit. Qui ergo humilitate & mūditia moribusque sanctis beatissimæ Dei genitrici semper deuotus exstitit: eius titulo cōgrue sublimatus fuit. Hoc & ipse habitus sua munditia et puritate indicat: qui fratres Carmelitas continentiam & castitatem summopere obseruare debere manifestat. Et quamuis locus ipse primus qui nomen dedit ordini desolatus iam sit: vocabulum tamen Carmeli fratribus manet, vnacum patrocinio Dei genitricis. Nunc ergo satis dictum probatumque sit de auctore & loco Carmelitici ordinis, persuasumque velim sit omnibus, illius cultores fratres beatæ Mariæ semper Virginis de

monte

monte Carmelo merito & esse & palam prædicari.

De transmigratione fratrum in Europam.

CAP. VIII.

CVm propter scelera populi Terra sancta in manus perfidæ gentis Saracenicæ redacta esset anno post Domini passioné sexcẽtesimo tricesimo nono: fratres Carmelitæ qui dudũ in vrbibus etiam multiplicati habitabant, nimium ab infidelibus afflicti ad eremum Carmeli montis redire sunt compulsi. Non enim in ciuitatibus manere diutius poterant: quos Saraceni in tantum affligebant, vt nullum eis Deo famulandi tẽpus quietum relinquerent, ac victui necessaria funditus negarent. Manserunt itaque fratres in monte Carmelo solitariam vitam in paupertate non modica ducentes, donec multis euolutis annis, Terra sancta per Christianos iterum fuit recuperata, & peregrinis iter ad illam in pace compositum. Facta fuit hæc Terræ sanctæ recuperatio, per ducem Gotfridũ anno Domini millesimo nonagesimo nono. Deinde post annos paucos cõfluentibus vndique peregrinis, & maxime de regionibus Europæ, numerus fratrum in monte Carmelo valde multiplicatus est: intantum vt præ multitudine mõtes implerent & vrbes. O si tunc ordinis Carmelitici decorem in sua maiestate vidisses, numquam fuisse similem alium exclamares. Erat videre delectabile fratres innumerabiles circa montem Carmelũ habitantes in cellulis & cauernis petrarum idipsum omnino sapere: Deo maximo die noctuque quam deuotissime seruire: mundum cum suis voluptatibus pro Christi amore contemnere. Summa tunc apud illos erat religio: summa regularis vitæ perfectio, cũ fratres in carne manẽtes, carnem ipsam cum vitijs suis fortiter euicerũt Floruit in pace religio: quæ paulo ante turbata perfidorum incursibus deficere putabatur, Venerunt ex omni Europa fratres peregrini, & colla monasticis disciplinis in mõte Carmelo humiliter submiserunt. Sed non diu durauit in Terra sancta ista tranquillitas. Mortuo namque Ioanne Hierosolymorum rege, Terra sancta consueta subsidia habere à sede apostolica non potuit, Friderico imperatore per suam rebellionem summo pontifici obsistente, donec iterum à Saracenis capta fuit. Iam vero deinceps fratres

Carmelitæ ab infidelibus tanta tribulatione afflicti sunt, vt nusquã tuti amplius in Iudæa viderentur . Vnde anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo octauo, coacto in vnum consilio totius ordinis in monte Carmeli, multi de prioris licentia & consilio fratrum Palæstinam egressi sunt, & cum regula, ordinario suo, ac statutis in Europam, vnde venerant, reuersi. Venerunt ergo aliqui in Cyprum: alij in Franciam, & Angliam: nonnulli vero in Germaniam: singuli vbi se locum pro conseruando ordine putabant inuenire. Remanserunt autem & plures in monte Carmeli: qui tamen & ipsi per Saracenos breui post expulsi sunt. O miseranda sanctissimi ordinis calamitas: qui pæne infinitis pridem filijs exsultabat: iam necessitate vrgente a fratribus suis deseritur. Quem non etsi lapideus sit permolliat ista Carmeli desolatio: quando non vnius tantum mõtis sed multorum monasteriorum per vniuersam Iudæam religio destructa est: sed quemadmodum locus Eliæ Carmelitarumque saluus persisteret: quando totus ille conculcatur à gentibus: quem Dominus noster rex cæli sua corporali præsentia sanctificauit. In Europã itaque veniẽtibus Carmelitis, auctoritate summi pontificis loca in diuersis regionibus ad manendum disposita sunt: quæ statim licet cum difficultate, conuentus plures instituerunt. Magna tenebat homines Christi commiseratio fratrum: & quos sedibus suis expulsos condolebant, larga munificentia fouebant. Ex hoc itaque tempore fratrum Carmelitarum ordo per vniuersam Europã valde multiplicatus est & magnos in ecclesia Dei fructus sua conuersatione & doctrina attulit, & profert vsque in hunc diem

De multiplici persecutione huius sanctissimi ordinis & eius contra æmulos victoria.

CAP. IX.

CRescente itaque per Europam ordine, & numero fratrũ multiplicato, inuidens bonorum studijs diabolus persequi fratres non cessabat, & quod per se agere non potuit per malos homines subordinauit. Concitauit ergo contra eos sacerdotes ecclesiarum rectores: qui eas in suam potestatẽ conabãtur redigere, & veluti rusticos

rusticos legibus parochialibus subiugare, Vsque adeo hæc præsumtio inualuit, vt Carmelitis interdiceretur publice, ne mortuos suos sepelirent in conuentibus, nisi parochialium prius soluissent iura ecclesiarum. Interdicebant præterea inuidi sacerdotes, ne quis paupertati fratrum succurreret: quasi non in ædificationem; sed in destructionē fideliū trāsmigrassent. Cōquerebātur fratres afflicti diocœsiū episcopis: sed frustra. Omnes enim sua quærebant: omnes delere ordinē funditus cogitabāt, sua nō reipublicæ cōmoda præ oculis habētes. Quid iā facerēt fratres tui Virgo domina mūdi? quo se verterēt, vndique tribulati? quē calamitatū suarū aduocatum inuocarēt? Inuocabāt homines: sed non erat qui adiuuaret, singulis sua quærentibus. O quis metu tunc fratres tenebat, cū te de Iudæa expulsos, inter Christicolas odio haberi cernerent? Desolati ab hominibus te matrem misericordiæ inuocabant, spem suam in te totam collocantes. Nec frustra. Quemadmodū enim cum iis fons pietatis obliuisci potuisses fratres tuos, filios tuos, viscera tua? Vocasti ergo vnū ex eis, quē ceteri sequebantur ducem, eumque ad sedem direxisti apostolicam, bonam de rebus confidentiam repromittens. Nec vana sed certa promissio. Direxisti viam Apostoli tui: præuenisti eum in benedictionibus: vicarium filij tui quid faceret præmonuisti. O sancta & vere digna conciliatio quæ originem non ex hominibus, sed ex Dei ordinatione recepit. Auditis summus pontifex necessitatibus fratrum: æmulos & detractores eorum apostolica maiestate compescuit, & ordinis tranquillitati in posterum largiter prouidit. Quid nunc dicis tortuose coluber, qui sanctum Carmeli ordinem te posse delere sperabas? Vbi est præsumtio tua: qua religionem Dei genitrici consecratam conabaris euertere? Confusus es & omnes consiliarij tui Dei virtute humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et sanctus ordo contra omnes aduersarios suos præualuit & confortatus est, & vnus è quatuor paradisi fluminibus factus, vniuersam terram aqua eruditionis irrigat: tu vero cum tuis canibus debitas rependis vltiones. Neque noua est ista peruersorum æmulatio, cum ab exordio mundi semper bonos persecuti sint mali: quatenus per multas tribulationes probentur electi. Sed dum boni aduersitatibus impiorum afflicti proficiunt: semper ad pessima scelerati cadunt. Tu autem Carmeli decus noli deficere: noli a proposito sanctissimæ institutionis cessare? quatenus ad præparata tibi præmia sine fine queas pertingere. Si mater obliuisci poterit dilecti filij sui: te

regina

reginæ cæli poterit deserere? Quod si mater obliuiscatur fructus ventri sui: tamen Maria Virgo tui non obliuiscetur: sed fratres suos dilectos custodiet, & gaudiorum suorum participes constituet. Hoc autem à te necessariò exigitur, vt fratres quos nomine & habitu tuo foues in gremio, vita & conuersatione immaculatos custodias. Nihil enim prodest Dei parentis insigniri vocabulo, si contrarijs moribus vitæ cōuersatio inquinetur. Igitur vt sub titulo reginæ cælorũ veraciter fulgeas: ad tria substãtialia religionis obseruãda professores tuos ante omnia dirigas: sine quorum custodia nō saluat monastica professio, sed damnat. Dominus tecum est, quam diu fueris cum eo. Si vero semitas primæ institutionis tuæ contemseris, si vitijs aditum dederis: multis malis & incommodis subiacebis. Eris in derisum omni populo: & qui modo fulges in gloria, sub improperio & ignominia confunderis. Caue itaque ne primam institutionem transgrediaris, nêue neglecto Dei cultu post vanitatem ambules.

De primo profectu ordinis fratrum in Europa, & de multiplicatione conuentuum.

CAP. X.

IN euangelio Dominus loquitur. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum afferet. Pulcrè fratribus Carmelitis hæc sententia conuenit: quæ illos granum esse Dei & semen ostendit. Enimuero granum hoc Carmelitici germinis in terra cecidit quando expulsum de Iudæa fuit. Mortuum autem exstitit: quando multis tribulationibus attritum suæ transmigrationis incommodum deplorauit. Multum vero fructum attulit: quando ex æmulorum prauitatibus erumpens, per varios in Europa conuentus multiplicatum exstitit. Sane fructum multum Carmelitarum affert relligio: quæ sese totam Dei seruitio mancipat: quæ virtutum semitas deuota amplectitur: per cuius exempla multi ad iustitiam conuertuntur. Vere granum mortuum est ordo Carmeliticus: qui cadens in Iudæa perijt: sed multiplicatus in Europa surrexit. Malleo & incude dilatauit eum Dominus: quia dum de Palæstina minor numero expellitur, crescens in Europa dilatatur. Nec sine ordinatione diuinæ prouidẽtiæ id factum credimus, cum paucos fratres ordinis huius in immensum

creuisse

creuisse videamus. Quemadmodum enim pauca segetis semina in terrā proiecta mortificantur, & multum fructum afferunt: sic pauci fratres de Carmelo expulsi, et ad tēpus in terra peregrinationis afflicti maximum in ordine numerum fratrum successu temporis protulerunt. Hæc est mutatio dexteræ excelsi: hæc prouidentia gubernatoris altissimi: qui ex malis bona nouit elicere, & paucorum calamitatem in gaudium maximum commutare. Sicut enim ferrum malleo extenditur: sic ordo fratrum Carmelitarum ferro tribulationis extensus & multiplicatus est. Qui si manere in primo suo nidulo potuisset, non non adeo multiplicatus hodie in ecclesia fidelium esset. Nam post felicem aduentum eorum in Europam, superatisque auctoritate apostolica impijs persecutoribus, paulatim valde multiplicati sunt. Videntes enim nobiles & fideles conuersationem fratrum esse sanctissimã, multa illis beneficia contulerunt, & cœnobia illis quàm plura suis expensis erexerunt. Hinc factum est, vt fratres Carmelitæ, qui pauca in Terra sancta cœnobia amiserant, multo plura in Europa reciperēt. Et quemadmodum apostoli fidem Christi prædicantes de Iudæa expulsi, multitudinem gentium conuerterunt: sic fratres Carmelitæ vnius prouinciæ termino amisso, totius Europæ locum ad mansionem receperunt. Vnius ergo montis desolatio, multarum regionum ædificatio fuit. Nequaquam ergo se Carmelus vltra plorabit desertum: quem per totum orbem iam constat esse diffusum. Multiplicato vero per Europam fratrum numero, & multis in diuersis locis erectis conuentibus, cernentes Romani pontifices vitam eorum esse laudabilem ordinem ipsorum priuilegijs multis sublimarunt, eumque ab ordinariorum iurisdictione penitus eximentes, ceteris mendicãtium ordinibus adiunxerunt & quamquam inter omnes ordines antiquior sit, tamen in Europa quasi per mortificationem sui renouatus esse videbatur. Sed iam de omni tribulatione sua conualuit: fortis factus in bello, omnes aduersarios suos superauit & confudit. Nō est quod sibi amplius noceat: non est qui eum dentibus contingere de cetero præsumat, Dei maxima vrirtute confirmatum. Gaude felix plantatio mundi triumphans illecebras, summa carpens præmia regni: quæ nomen originis tuæ conseruas, & imitaris principes.

Quam vtilis & fructuosus sit in ecclesia ordo Camelitarum,

CAP. XI.

QVam pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia principis: quā pulcra es & decora in delicijs: o religio speciosa Carmeli. Tu hortus aromatū, quem dextera Dei plantauit in mōte Carmeli: cuius flores suauissimum odorem reddunt, dum viros doctos protulisti atque sanctissimos. Tu prophetarum principem Eliam habuisti: tu Eliseum à mundi negotijs ad obsequium prophetæ vocasti: tu vatum schola: tu norma disciplinæ, & prænuntia monasticæ vnitatis: tu sub lege gratiam, sub gratia prædicas pietatem. Vere Dei castra sunt hæc: in quibus vita apostolica ipsos longe præcessit apostolos. Ordinis itaque huius gressus ab initio pulcerrimi sunt: quādo fratres Deum amantes, de virture in virtutem profecerunt. O Carmeli pristinum decus. ô vere sancta Deoque dilecta conuersatio: quæ diabolum vincit, carnem exsuperat, mundum contemnit & vitia. Sancta etenim conuersatio fratrum Carmelitarum, si ad puritatem suæ institionis ambulet, ecclesiam edificat, inscios informat, ad pœnitentiā peccatores vocat, aduersarios Christi oppugnat, delinquētes castigat. Quid hac religione pulcrius, quid vtilius ordine in quo caritas imperat, obedit humilitas, zelus bonus vigilat, paupertas voluntaria regnat, continentia pugnat, castitas triumphat? Optime religio conseruatur, dum prouidentia consulit, dum iustitia corrigit, dum misericordia erigit, benignitas instruit, sapientia custodit. O quam bonum & quam iucundū sic fratres habitare in vnum: qui Deo in humilitate deseruiūt, caritatis fraternæ iura custodiunt, mundum & vitia fugiunt, virtutes colunt, humilitatem diligunt, á malis omnibus recedunt. Hi sunt, qui labentem ecclesiam humeris excipiunt, & tam verbo quā exemplo fideles populos ad iustitiā Christianā erudiunt. Qui tales se in ordine exhibent, digni sunt vt fratres beatæ Marie Virginis appellentur. Ceterum qui vanitates huius mundi sectantur, qui contemta obseruantia regulari vitijs & voluptatibus dediti sunt: non fratres eos beatæ Marie Virginis dixerim, sed turpissima mācipia diaboli

boli. Quid enim turpius, quidue damnabilius, quam sub ordine sancto inodinatè viuere? Non est ei in Dei genitricis honore consortiū, qui seruus est vitiorum. Magnopere itaque fratres Carmelitæ vobis curandum est, ne dignitatem nominis, quam a regina cæli accipitis, malis moribus amittatis. Quid enim proderit vobis fratres appellari beatæ Mariæ Virginis, si operarij fueritis iniquitatis? Enimuero nisi secundum regulam vestram & primam institutionem religiose vixeritis, ad damnationem potius quam ad gloriam hunc titulum vsurpatis. Curate itaque fratres mei omnem à vobis iniquitatem repellere: curate bonis moribus insudare: quatenus ad eam quam ordinis vestri sororē dicitis, per sancta exercitia venire valeatis. Nisi enim in cōmuni sine proprio caste & religiose vixeritis: ad reginam cæli non peruenietis. Si sic viuere curaueritis: vtiles in ecclesia Dei estis. Enimuero sicut bonos Carmelitas religiose secundum regulam conuersantes omni laude dignos describimus: ita malos & moribus deformatos, longe ab hoc volumine semouēdos esse decernimus. Laudare enim nisi bonos non intendimus. Credimus autem multos ab initio bonos & sanctos in hoc ordine viros claruisse, hodieque clarescere: & idcirco monemus lectorem, ne propter deformitatem paucorum totum ordinem velit contemnere: in quo multi boni sunt, quos certum est illum ignorare. Neminem ex Carmelitis contemnendum lector existimet: quoniam qui hodie iacere in deformitate cernitur: cras forsitan primus in acie regularis obseruantiæ gradietur.

De sanctis & canonizatis ex Ordine isto.

CAP. XII.

QVam vberes fructus, quam suaues in ecclesia Dei odores aget iste Carmelitici ordinis protulerit, neminem ignorare credimus, qui veterum historias legit. Nam vt de his interim sileamus, qui in monte Carmeli sub lege claruerunt: tot sancti fratres sub gratia in ordine isto fuerunt, vt penitus numerari nequeāt. Enimuero si quis stellas cæli dinumeret, & huius ordinis sanctos numerare

are poterit. Sed forsitan aliquis mihi huius ordinis æmulator dicat: Quid tu Carmelitas tantopere de sanctorum multitudine commendas: qui nullius haberi memoriam in ecclesia Romana non ignoras? Ostēde mihi quantos in Kalendario ex ordine Carmelitarum sanctos inueneris. Quisquis talia dixerit, se aut inuidum aut gestarum rerum inscium penitus ostendit. Quid enim quod paucos ex ordine fratrum Carmelitarum sanctos Romana veneratur ecclesia? Num ergo pauci existimandi sunt quoniam non multi kalendario inscribuntur? Aut nūquid ordo diui patris Benedicti sanctos iccirco paucos habuit: quoniam vix quindecim ad kalendariū recipit? Enimuero quindecim milia ex eo sancti nominibus proprijs referuntur. Non consueuerunt vetusti ordines de multitudine sanctorum suorum inaniter gloriari, dum vnusquisque magis in se sanctitatem studuit amare, quam in alio ad ostentationem suæ religionis attollere. Malebant enim cultores antiquorum ordinum sancti esse, quam dici. vnde non magnopere curabant sanctissimos quosque fratres suos ad plausum vulgi extollere: neque solebant pro eorum canonizatione ad reges & principes solicitando discurrere: neque importunis summos pantifices precibus fatigare. Sufficere sibi credebant si fratres sui locati fuissent cum sanctis in cælis, & ideo canonizare illos nō curabant in terris. Ordo autem fratrum Carmelitarum autiquissimus est, & nūquā vetustatis semitas in hac re dereliquit. Sanctos etenim, & multos & præstātissimos habuit: sed more antiquitatis paucos in kalendariū suscepit, dum pristina humilitate semper contentus fuit. Quod vero paucos veneratur huius ordinis sanctos Romana ecclesia, ideo factum credimus: quod cum maxima pars eorum ante transmigrationem ordinis in Iudæa claruerit, sanctitas eorum Romanæ ecclesiæ incognita fuit: Nec opus erat eo tempore procanonizatione sanctorū ad sedem apostolicā discurrere, dum in sua diœcesi quilibet episcopus sanctum testimonio miraculorum posset declamare. Postquam vero fratres in Europam transmigrarunt, multiplicatisque diuersis in ecclesia ordinibus, neminem pro sancto haberi Romana decreuit auctoritas, nisi de consensu summi pontificis deinceps fuerit canonizatus. Maximus autem sanctorum numerus hoc decretum præcessit: quos vetustas miraculis inducta canonizauit. Quis papa canonizauit apostolos, & veteres sanctos? Nonne sola antiquitate in ecclesia Dei venerantur propria sanctitate contenti? Et ordo fratrum Carmelitarum

rum plures trans mare sanctos habuit, quorum in Europa memoria nulla antiquitus fuit. Denique post aduentum ordinis in Europam sanctos complures habuerunt: quorum si omnium nomina vellemus describere, volumen hoc in immensum extendere cogeremur. Scimus autem quod fratres Carmelitæ sanctos suos in admirationem populi non consueuerunt exponere: & ideo non fuit nostri propositi singulos per nomina recensere. Denique si quis viros sanctiss, qui in hoc ordine claruerunt ex nomine scire desiderat: historias & chronica dicti ordinis legat, & eam præcipue quam frater Ioannes Mechliniensis conuentus dictus Oudenvvater multo labore composuit, & Carmelitici ordinis fasciculum tripartitum nominauit. In ea siquidem huius ordinis tot sanctissimos viros inueniet, vt de ceteris ordinibus paucos habuerit similes. Initium quoque ordinis & progressum eius apertæ lectionis modulo aperuit, & omnes generales priores à primo vsque ad Pontium, qui ordini modo præsidet per nomina descripsit. Nos vero quos rei familiaris cura sermonem abbreuiare compellit, his finem facimus & secundum de laude Carmelitarum volumen ordinandum pro virili nostra assumimus: in quo de illustribus viris & doctis in eo, qui varia ad Ecclesiæ vtilitatem conscripserunt, quantos scire possumus, mentionem faciemus.

PRIMI LIBRI
FINIS.

IOANNIS TRITHEMII CARMEN ELEGIACVM ALLOQVENS LIBRVM SVVM CARMELITICVM.

I Nunc care liber, præsenta te venerandis
Patribus, in quorum laude creatus ades.
Ne metuas doctos, & honestos moribus, atque
Claros deuota mente videre viros.
Non est quod paueas: comes sunt, atque suaues,
Et mites, potes audacter adire viros.
Talibus inprimis nostram memor esto salutem
Ferre, nec addubites, spondeo gratus eris.
Inuidiæ stimulis si quis pungatur, obaudi:
Si quis te quærat rodere dente, fuge.
Semper in aduersis patiens præclara trophæa
Obtinet: impatiens turpia probra refert.
Impius & prauus loquitur mala pectore clauso:
Talia mi codex ne vereare precor.
Defendent etenim te Patres ordinis almi,
Quem mater Domini virgo Maria fouet.
Carmelus quibus insignis mons patribus aptum
Imposuit nomen relligione sua.
O mons sancte tuos iam cernis rite sequaces,
Et stabilis durat iugiter ordo sacer.
Quisquis erit bibliæ qui te veneratur honore,
Hunc tu principio gratus amore cole.
Si quis te vultu conspexerit asper amaro,
Indignans fugias illius vltro manus.
Impressura vocat? facile te dede premendum,
Multis vt valeas vtilis esse viris.
Sed tamen obserua, ne demutere, vel vnquam
Dissideas calamo, sensibus atque atque meis,
Pro mercede patres vestros deposco precatus
Ad Dominum, fusos, purget vt omne nefas.

FINIS.

IOHANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENSIS, DE ILLVSTRIBVS VIRIS ORDINIS CARMELITARVM.

LIB. II.

POsteaquam auxiliante Domino nostro Iesu Christo primum intenti nostri opusculum de laude ordinis Carmelitarum absoluimus, libet nunc secundum exordiri, in quo fauête Virgine Maria, de viris illustribus, qui variis in eo têporibus claruerût, sumus habituri sermonê. Causa vero ad eam prouinciam subeundam duplex nos impulit: quarum altera fratres respicit: altera detractores. Credimus enim ad ædificationem iuniorum fratrum non mediocriter proficere, si viros eruditione insignes, qui in Ordine præcesserunt ad eorum notitiam curemus reuocare. Per hoc namque doctissimi viri laboribus suis condignam immortalitatis memoriam apud posteritatem accipiunt, & minores eiusdem ordinis fratres ad amorê scripturarum prouocantur. Secunda huius catalogi causa est æmulatio detractorum: qui ordinem Carmeliticum tamquã infructuosum despiciunt, dum paucos in eo scriptores ecclesiasticos & doctores floruisse credunt. Nos autem dolentes tam sancto sacratissimoque ordini ex ignorantia oblocutorum iniuriam fieri, doctorum, qui in eo varia scripserunt, catalogum qua licuit breuitate ordinauimus: in quo scriptores omnes quotquot notitiam nostram inciderunt digessimus. Et quanquam multi doctissimi viri huius ordinis ante transmigrationem in Palestina florentes multa conscripserint: tamen cum nobis eorum opuscula incognita sint; paucos consignauimus è pluribus. Obmissis itaque his qui in Iudæa ab initio claruerunt, eorum duntaxat mentionem facere instituimus,

quos clarum eruditionis suæ splendorē dedisse in Europa scimus. Neque tamen omnium eorum facere mentionem, qui floruerunt post transmigrationem potuimus:eo quod opuscula eorum & tēpora ignoramus.Relinquimus eiusdem ordinis cultoribus eā prouinciam,vt vbi nos ex infirmitate defecimus, ipsi nostrum defectū studeant emendare. Iam nunc itaque propositi sumamus exordium.

Cyrillus ordinis Carmelitici monachus, postea episcopus Alexandrinus,natione Græcus,ex Constantinopoli oriundus;vir sanctus atque doctissimus,philosophus clarus & rhetor insuperabilis, infinitis miraculis coruscauit, & prophetiæ spiritu illustratus fuit. Hic tempore Theodosij imperatoris & Celestini Papæ primi contra Nestorium multa composuit;eūque in concilio Ephesino præsidens confutauit.Scripsit Græco sermone multa præclara volumina.de quibus apud Latinos pauca habētur. Hic primus permiscuit philosophiā Aristotelicā scripturis sanctis,& omnes errores hæreticorū argumētis fortissimis elisit:sicut in gestis tertiæ synodi Ephesinæ inuenitur. Scripsit autem inter alia contra Iulianum apostatā lib.3.Contra Nestorium quoque lib. 1. De incarnatione Domini plures homilias. Epistolas multas ad diuersos. lib.1. Sententias in synodo Ephesina plures.Hæc omnia apud Græcos vidimus,& partim legimus:sed nusquam apud Latinos.Claruit sub Theodosio imperatore magno,& Celestino Papa primo,anno Domini quadringesimo trigesimo.

Ioannes Hierosolymitanæ ecclesiæ post beatum Iacobum patriarcha quartus & quadragesimus, primus in ordine narrationis nostræ collocādis accedit.Erat enim vir cōuersationis integræ atq; sanctissimę:qui viuus &mortuus infinitis fertur claruisse miraculis. Hunc Adrianus Papa primus propter eximiā & doctrinā vitæ excellentiam de monasterio montis Carmeli sustulit,& in patriarchā præfatæ vrbis sublimauit. Qui cùm in scripturis diuinis esset peritissimus, nonnulla præclara syntagmata edidit, quibus ingenium suum posteris declarauit,de quibus extat volumen insigne,de principio & profectu ordinis Carmelitici liber vnus.Scripsit etiā quasdam ad fratres epistolas exhortatorias.& quędam alia.Claruit temporibus Adriani Papæ primi, anno Domini maximi Iesu Christi, septingen-

septingentesimo septuagesimo.

Cyrillus alius, presbyter montis Carmeli, tertius in ordine prior generalis, vir doctus & deuotus, ac spiritu prophetiæ illustratus, scripsit nonnulla ingenij sui opuscula: de quibus feruntur epistolæ ad diuersos plures; & quædam ad Abbatem Ioachim reuelationes. Angelica quoque tabula, quam de manibus angeli dicitur recepisse. Alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Henrici Imperatoris sexti, & Innocentij Papæ tertij, anno Domini millesimo ducentesimo. Errant qui hos duos (Cyrillos vnum esse putant: cũ nec tẽpus in eos consentiat) nec ordo gestorum. Primũ enim sub Theodosio in Ephesino concilio claruisse certum est, & istũ sub Henrico sexto, vt diximus.

Nicolaus Gallicus, septimus prior generalis totius ordinis, vir doctus & deuotus & Deo singulariter dilectus; qui postquam ordinem aliquot annis strennue gubernasset officio renuntians, ad eremum monasticæ conuersationis reuersus est, scripsit inter alia volumen insigne, quod prænotauit, Sagittam igneam: in quo flebilem ordinis sui statum multis deplorat gemitibus. Claruit anno Domini millesimo ducentesimo lxx.

Albertus de Trapano, prior Siciliæ prouincialis, vir in diuinis scripturis studiosus atque doctissimus; vita quoque & conuersatione deuotus, miraculisque adhuc viuus coruscans, multa vtilia pro ædificatione fratrum scripsisse dicitur: quę tamẽ ad manus nostras non venerunt. Moritur in ciuitate Messanen, anno Domini millesimo ducentesimo xcij. indictione v. septimo Nonas Augusti, signis gloriosus.

Guilhelmus de Samuco, Carmelitici ordinis singulare decus, vir doctissimus & sacræ theologiæ professor insignis, natione Gallus, scripsit ad ædificationem simpliciũ fratrum pulcra & apta volumina: de quibus subiecta feruntur. Super sententias lib. iiij. Chronica de multiplicatione sui ordinis lib. j. Declarationes suę regulæ lib. j. Decretales religiosorum lib. j. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ tamen ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Rodulphi Imperatoris, millesimo ducentesimo octogesimo.

Gerardus de Bononia, generalis prior totius ordinis vndeci-

mus,sacræ scripturæ doctor Parisiensis,ingenio subtilis, ordinisq́; sui amator & rector celeberrimus, scripsit multa pręclara volumina,quibus memoriam sui posteris commendauit. Super sententias lib.iiij. Quodlibeta multa & varia lib.j. Quęstiones quoque lib.j. Sermones varios lib. ij. Summam theologię notabilem incœpit: quam morte pręuentus finire non potuit. Moritur tandem in Auenione sepultus,anno Domini cIↄ.ccc.xvij.indictione xv.generalatus vero sui anno xxj.

Sibertus de Beka,natione Teutonicus, vir in diuinis scripturis eruditisſimus,doctor omnium opinione & laude celebratus,cultor sui ordinis deuotisſimus; scripsit ad ædificationem fratrum quædā pręclara opuscula:de quibus ista feruntur. Super sententias lib.iiij. De censuris noui iuris lib. j. Considerationes super regulam ordinis sui lib.j.Ordinale Dominici sepulcri correxit, quod per totum ordinem obseruari decretum fuit.Alia quoque nonulla edidit, quę ad notitiam meam non venerunt.Claruit sub Henrico imperatore septimo,anno Domini cIↄ.ccc.& x.

Guido Perpinianus,natione Cathalanus,duodecimus prior generalis:deinde Maioricens. & postea Eluen.episcopus, vir in diuinis scripturis doctisſimus;ingenio acutus, scientia profundus, sermone scholasticus: qui apud Iohannem papam xxij. in honore & reuerentia habebatur; scripsit multa pręclara volumina:quibus nomen suum posteritati commendauit, de quibus subiecta feruntur. Ad Ioannem Papam xxij.opus insigne tripartium, de perfectione vitę catholicæ lib.iij.Super sententias lib.iiij. Quodlibeta sex lib.i. Quæstiones variæ ordinariè disputatæ lib.i.De concordantia euāgelistarum lib.i.Correctorium decreti lib.iij.De hæresibus ad cardinalem Albanensem lib.i.In libros physicorum lib.viij.Quæstiones de anima lib.i.Alia quoque multa composuit:quæ ad notitiam meam non venerunt.Claruit anno Domini cIↄ.ccc.xx.& moritur xxi.Augusti,Auenione sepultus.

Ioannes de Alerio Tholosanus,tertiusdecimus prior generalis totius ordinis,vir in diuinis scripturis eruditus,ingenio, scientia & eloquio clarus,vita quoque & conuersatione præcipuus, ac regularis disciplinę conseruator insignis,scripsit insigne volumen super sententias lib. iiij. In ecclesiasticam lecturam notabilem lib.i.

Et

Et quædam alia,quę necdum reperi.Claruit anno Domini cIↄ.ccc atque xxx.Iacet ſepultus in conuentu ſuo Tholoſano.

Petrus de Caſa prouinciæ Aquitaniæ, poſt reſignationem Ioannis Alerij,quartuſdecimus totius ordinis generalis prior,deinde epiſcopus Vaſsionēſis, & poſtremo patriarcha Hieroſolymitanus, vir in diuinis ſcripturis doctiſsimus,vita & conuerſatione deuotus, reliquit ingenij ſui quædam præclara volumina : de quibus iſta feruntur.Super ſententias lib. iiij. Sermones de tempore & de ſanctis lib.ij.Lecturam quoque in librum politicorum notabilem,& quædam alia:quæ nos latent.Claruit anno Domini cIↄ.ccc.atque xxx. Moritur autem pridie Nonas Auguſti,miraculis coruſcans.

Ioannes VValſingam,prior prouincialis Angliæ, vir in diuinis ſcripturis doctiſsimus,philoſophus acutus, & ſacræ theologiæ doctor Pariſienſis,ſcripſit notabiliter ſuper ſententias lib. iiij. Quæſtiones varias & quodlibeta.Alia quoque nonnulla compoſuit,quę ad notitiam meam non venerunt.Claruit ſub Benedicto papa xij. anno Domini cIↄ.ccc.atque xl.

Simon de Spira,natione Teutonicus, prior prouincialis totius Alemaniæ, doctor Pariſiēſis,vir in diuinis ſcripturis eruditus,& ſæcularium literarum nō ignarus,ingenio pręſtans & clarus eloquio, ſcripſit ſuper Sententias lib.iiij.Sermones quoque varios,&quaſdā in diuinis voluminibus lecturas.Alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur:ſed ad manus noſtras non venerunt. Moritur ſub Benedicto papa xij.anno Domini cIↄ.ccc. xl. indictione octaua, viij. Iduum Ianuarias.Coloniæ in ſuo conuentu ſepultus.

Petrus Raymundi de Graſſa,natione Gallus, conuentus Tarſacij prouinciæ Narbonenſis,quintusdecimus prior generalis, vir doctus & deuotus,ſcripſit multa præclara volumina:quibus ſui memoriam poſteris commendauit,è quibus exſtant ſubiecta. Super ſententias lib.iiij. Ordinis quoque ſui diuerſa ſtatuta in vnum volumen collegit,& in rubricas ſexaginta collectiones eaſdem diſtinxit.Sed & alia quædam compoſuit, quæ ad notitiam noſtram non venerunt. Moritur autem anno Domini cIↄ ccc.lvij.indictione x. ſub papa Innocentio ſexto. ſepultus in monte Peſſulano anno ſui officij generalatus xvi.

Ioannes de Bachone,natione Anglicus,prior prouincialis An-

gliæ, doctor Parisiensis, vir vndecunque doctissimus, philosophus, iurista & theologus celeberrimus, ingenio subtilis & clarus eloquio, scripsit multa pręclara opuscula: de quibus feruntur subiecta. Super sententias lib. iiij. In euangelium Matthæi lib. i. In euangelium Marci lib. j. In euangelium Lucæ lib. j. In euangelium Ioannis lib. j. In epistolas Pauli lib. xiiij. In actus apostolorum lib. j. In epistolas canonicas lib. vij. In apocalipsim Ioannis lib. j. Quæstiones varię disputatæ lib. j. Speculum ordinis sui lib. j. Defensorium ordinis sui lib. j. Super methaphysicam Aristotelis in duobus voluminibus lib. xij. Super de anima lib. iij. In libros quoque Ethicorũ lib. j. Alia insuper multa composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Explanationes quoque varias edidit super libros beati Augustini de Trinitate, & de ciuitate Dei, atque Anselmi, Cur Deus homo, & de incarnatione verbi: in quibus omnibus ingenium suum magnificè exercitauit. Claruit tẽporibus Caroli imperatoris quarti, & Clementis papæ sexti, anno Domini cIↃ. ccc. xlv.

Paulus de Perusio, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis egregiè doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, edidit magnæ auctoritatis quędam opuscula, quibus nomen suum posteritati commendauit, è quibus exstat volumen insigne super sententias lib. iiij. Quæstiones quoque variæ lib. j. & quędam alia. Claruit Parisiis sub Clemente papa sexto, anno Domini cIↃ. ccc, xliiij.

Ioannes Balistarij Cathalanus, prior totius ordinis generalis xvi. vir in diuinis scripturis eruditissimus, & sæcularis philosophiæ scrutator acutus, ingenio pręstans & clarus eloquio, scripsit quędã pręclara volumina, quibus nomen suum ad posteros destinauit: è quibus exstant subiecta. Super sententias lib. iiij. Constitutiones ordinis sui lib. j. De nouissimis temporibus ad papam lib. j. & quędam alia. Moritur anno Domini cIↃ. ccc. lxxiiij. indictione xij. viij. Kal. Octobris, in conuentu Maioricarum sepultus.

Petrus Rimi de Perpiniano, patria Cathalanus, vir valde eruditus, doctor sacræ scripturę, ingenio profundus & clarus eloquio, scripsit insigne volumen super sententias lib. iiij. In toto quoque psalterio lib. j. Sermones insuper & varios & elegantes composuit, qui ad manus nostras non venerunt.

Herenus

Herenus de Boyo, natione Brito, vir in diuinis scripturis peritissimus & sæcularis philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, eloquio scholasticus, & sanctarum interpres literarum, doctorque Parisiens. profundus, fertur nonnulla præclara volumina cudisse, quibus memoriam sui posteris commendauit. è quibus exstat opus insigne super sententias lib. iiij. Quæstiones variæ, & alia quæ nos latent.

Ioannes de Regno, natione Gallus, conuentu Tholosanus, in scripturis sanctis doctor eruditus, ingenio subtilis & promtus eloquio, scripsit super sententias libros iiij. In euangelium Matthęi lib. i. Sermones de tempore & de sanctis lib. ij. Quadragesimale quoque lib. i. & quædam alia.

Petrus Thomæ, episcopus Pacensis ac postea patriarcha Constantinopolitanus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, vita & conuersatione sanctissimus: quippe qui multis & viuus, & mortuus miraculis coruscauit: fertur nonnulla pręclara scripsisse opuscula, quibus ingenium suum vtiliter exercitauit, de quibus feruntur subiecta. Super sententias lib. iiij. De purissima cōceptione beatæ Mariæ virginis lib. i. Sermones quoque varij lib. i. & quasdam ad diuersos epistolas. Moritur anno Domini cIↃ.ccc.lxvi. indictione tertia, viij. Iduum Ianuarias, miraculis clarus.

Osbertus, natione Anglicus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæculari philosophia egregiè doctus, acuti & vehementis ingenij eloquij scholastici, in disputandis soluendisque quæstionibus scripturarum promtus & subtilis, scripsit elegantissimum volumen super sententias lib. iiij. Quæstiones variè disputatas lib. i. Sermones quoque diuersos lib. i. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, quę nos ignoramus.

Tilmanus conuentus Aquensis, natione Teutonicus, prior prouincialis inferioris Alemanię, sacrarum literarum insignis professor, ingenio pręstans & clarus eloquio, declamator sermonum egregius, scripsit super sententias lib. iiij. In euangelium Matthæi lecturam notabilem, quam Coloniæ in conuentu publicè legit lib. i. Sermones quoque varios, & quædam alia. Claruit anno Domini cIↃ.ccc.lxx.

Henricus Dolendorp, natione Teutonicus, ante Tilmannum

prouincialis prior inferioris Alemanię, vir doctus & eruditus & declamator celeberrimus, ingenio præstans & eloquio scholasticus, disputator quæstionum acerrimus, scripsit notabile opus super sententias lib.iiij. Sermones quoque varios & vtiles, & quędam alia. Moritur in conuentu Coloniensi sepultus, anno Domini cIↄ. cccc.lxv. indictione tertia, quarto Iduum Februarias.

Philippus Riboti, prior prouincialis Cathaloniæ, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio promtus, eloquio apertus, ac regularis disciplinę curiosus moderator, scripsit inter alia ingenij sui monumenta opus insigne, de origine & profectu ordinis sui, quod pręnotauit de peculiaribus gestis fratrum Carmelitarum lib.x. Alia quoque nonnulla composuisse dicitur, quę ad manus nostras non venerunt.

Robertus de Mōstroilo, natione Gallus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis & clarus eloquio, decus quondam gymnasij Parisiensis, scripsit super sententias lib.iiij. In epistolas Pauli notabilem lecturam lib.xiiij. Quæstiones varias lib.j. Sermones quoque de tempore & de sanctis lib.ij. Alia etiam nōnulla scripsisse dicitur, quæ necdum vidi.

Ioannes Fust, cōuentus Crutzennacēsis lector, & postea prior Argentinens. natione Teutonicus, ex comitatu Spanheimensi oriūdus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis & clarus eloquio, declamator sermonum celeberrimus, scripsit inter alia, sermones elegantes de tempore lib.ij. De sanctis quoque lib.ij. Sermones per quadragesimam lib.ij. & alia quæ nos latent.

Ioannes de Hildensheim, vrbe Saxonię oriundus, lector conuentus ibidem, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, sæculariū quoque literarum non ignarus, philosophus & poëta insignis, carmine exercitatus & prosa, declamator sermonum ad populum famatissimus, scripsit non contemnendæ lectionis opuscula: de quibus feruntur subiecta. Ad Florētium episcopum Monasteriensem in VVestphalia, de translatione trium regum in ciuitatem Coloniensem lib.j. Chronica quoque iocunda & vtilis lib.j. Defensoriū ordinis sui. lib.j. De fonte vitæ lib.j. De Antichristo lib.j. Contra Iudæos lib.j. Contra turpia pingētem lib.j. Opus metricum de mōstris in ecclesia lib.j. Epistolarum ad diuersos lib.j. Sermones de tēpore

pore & de sanctis lib. ij. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam adhuc non venerunt. Claruit sub Carolo imperatore quarto, anno Domini cIɔ. ccc. lxx. & varia carminum composuit epigrammata.

Ioannes Golein, Normannus natione, prior Rotomagēsis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus literis sufficienter doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio, scripsit nō spernendæ auctoritatis opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis cum gloria transmisit, è quibus exstant super sentētias lib. iiij. Super officio missæ lib. j. Quæstiones quoque variæ, &, vt ferunt, quædam alia.

Ioannes Taceffale, natione Anglicus, conuentus Noruicens. vir doctus & in scripturis sanctis atque in iure & philosophia multum eruditus., ingenio promtus & ad declamandum sermones ad populum idoneus, scripsit super sententias lib. iiij. In apocalypsim lecturam notabilem lib. j. Sermones quoque varios ad populum. Alia insuper nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam nō venerūt. Missus tandem Romam: ibidem mortuus est.

Arnoldus de Bissalis, episcopus Galteliens. vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & sæcularis philosophiæ non ignarus, ingenio profundus & clarus eloquio, in declamandis ad populū sermonibus excellentis opinionis, scripsit notabile opus sermonum dominicalium, quod sic incipit: In medio Carmeli pascetur Basan. Cetera quæ scripsisse dicitur, nos latent.

Ioannes Horneby, natione Anglicus, doctor in scripturis sanctis copiosus & eruditus, ingenio subtilis & disputator quæstionū acutissimus, fertur nonnulla præclara composuisse opuscula, quibus venam abundātis ingenij sui etiam posteris notificauit, è quibus exstat opus defensorium antiquitatis ordinis sui lib. j. Sermones quoque varij, & quædam alia. Claruit in gymnasio Cantabrigiensi, anno Domini cIɔ. ccc. lxxiiij. vbi varia composuit.

Franciscus Martini, natione Cathalanus, conuentus Barchinonensis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripsisse autem nonnulla opuscula dicitur, in quibus profunda scientia eius demonstratur, è quibus exstant subiecta. De conceptione beatæ

Mariæ semper virginis lib. j. Compendium in honorē ordinis sui lib.vij.& quædam alia. Claruit in conuentu prædicto, anno Domini cIↄ.lxxx.

Franciscus de Bachone, conuentus Gerundēsis, vir in diuinis scripturis doctus, & sæcularis philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis & disputator acutus, scripsit insigne volumen super sentētias lib.iiij. Summam etiam quandā prædicantium lib.1. Alia quoque plura composuisse dicitur, quæ ad manus nostras nō venerūt.

Ioannes de Ciminetho, lector cōuentus Metens. natione Gallus, vir in diuinis scripturis studiosus & multum eruditus, ingenio præstans & clarus eloquio, declamator sermonum popularium egregius, scripsit speculum institutionis ordinis sui lib.j. Sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib.j. Sermones per quadragesimam lib.j. Alia quoque nonnulla composuisse dicitur, sed ad notitiam meam adhuc non venerunt.

Ioannes Nobleth, natione Gallus, conuentus Parisiensis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in sæcularibus literis egregiè doctus, philosophus & medicus insignis, scripsit ingenij sui quædam præclara opuscula, quibus nomen suū cum gloria trāsmisit ad posteros, de quorum numero subiecta feruntur. Opus insigne quod prænotauit Centilogium lib.j. In euangelium Ioannis lib.j. In multos quoque alios bibliæ libros commentarios & lecturas compilasse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Nicolaus Dorhm, natione Anglicus, doctor Oxoniensis, in scripturis sanctis eruditus, & in philosophia Aristotelica subtiliter doctus, acutus ingenio & vehemens disputator quæstionum scholasticalium insignis, scripsit super sententias lib.iiij. Determinationes quoque diuersarum quæstionum lib.j. Tabulam originalium. Alia insuper multa scripsisse dicitur, quæ ad me non venerunt.

Ioannes Marre, natione Anglicus, doctor Oxoniensis, in scripturis sanctis studiosus & eruditus, ingenio subtilis & vehemens, scripsit inter alia exercitij sui opuscula, determinationes contra hæreticos Vuicleuitas lib.j. Alia quoque multa scripsisse dicitur, sed ad notitiam meam adhuc non venerunt.

Ioannes de Gluel, natione Teutonicus, prior conuentus Coloniensis, vir in diuinis scripturis eruditus & sæcularis philosophiæ

non ignarus, ingenio clarus, vita & conuersatione deuotus, scripsit sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib.j. Sermones per quadragesimam lib.j. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit in conuentu suo Coloniensi: vbi & sepultus est.

VValterus Disse, natione Anglicus, vir in diuinis scripturis valde eruditus, & declamator sermonũ popularium celeberrimus, ingenio subtilis & apertus eloquio, scripsit non spernendæ lectionis opuscula: de quibus subiecta feruntur. Contra Lolhardos lib.i. De scismate lib.j Super quosdam psalmos lib.j. Sermones de tempore lib.j Sermones quoque de sanctis lib.j. & quædam alia, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic fuit nuntius & legatus Bonifacij Papæ noni, in regnis Angliæ, Hispaniæ, Portugaliæ, Nauarræ, Arragoniæ, & in partibus Vasconiæ, crucem contra hæreticos & scismaticos prædicans. Claruit sub VVenceslao imperatore, anno Dñi CIↃ.ccc. nonagesimo, & in cõuẽtu Noruicẽsi sepultus est.

Philippus de Ferraria, natione Siculus, episcopus, vt quidam volunt, Pacensis, doctor sacræ theologiæ celeberrimus, ingenio clarus & scientia profundus, sermonum declamator egregius, scripsit valde notabiles sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib j. & quædam alia. Claruit in regno Siciliæ prædicãs coram rege & aliis non sine fructu omnium.

Richardus Lauinham, natione Anglicus, sacrarũ literarũ doctor Oxoniẽsis, vir subtilis & vehementis ingenij, disputator quæstionum acutus, & declamator sermonũ egregius, scripsit quædã præclara opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit, è quibus exstant subiecta. Contra Lolhardos determinationes lib.j. Determinationes quoque notabiles pro libro reuelationum sanctæ Brigittæ, quas in gymnasiis Oxoniensi & Londoniensi publice legit lib.j. Opus quoque insigne, de ordinis sui fundatione incœpit, quod morte præuentus non compleuit. Composuit etiam nonnulla in logicalibus & phisicalibus; quæ ad manus nostras nõ venerunt.

Richardus Maidescon, natione Anglicus, doctor sacræ scripturæ gymnasij Oxoniẽsis, ingenio præstãs & clarus eloquio, declamator sermonũ egregiꝰ, fertur quædã præclara cudisse opuscula, quibus

quibus nomen suum posteris notificauit, è quibus exstat cõtra Lolhardos lib.i. Sermones de tempore lib.i. Sermones quoque de sanctis lib.i. & variæ quæstiones. Alia insuper nonnulla cõposuit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Guilhelmus Talifordiæ, natione Anglicus, doctor sanctarum scripturarum studij Cantabrigiensis, vir eruditus & studiosus, ingenio subtilis, vita & conuersatione deuotus, declamator sermonum egregius, scripsit valde notabiles sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib.j. Varias quoque lecturas scripturarũ composuit, quas in præfato gymnasio legit.

Thomas Lombe, natione Anglicus, doctor sacrarum literarũ celeberrimus gymnasij Oxoniensis, vir sapientia & eruditione clarus, ingenio subtilis & disputator quæstionum scholasticaliũm acutus, scripsit contra Lolhardos & Vuicleuitas lib.j. De incarnatione verbi lib. j. Dicitur & alia scripsisse opuscula, quæ needum vidi.

Nicolaus Ritzonis, conuentus Catanensis, natione Siculus, & prior prouincialis Siciliæ, doctor theologus gymnasij Bononiens. in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij, scripsit dum adhuc Bononiæ literis operam daret, sermones elegantes de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib. j. Duo insuper quadragesimalia composuisse dicitur: quorum lectio declamatoribus vtilis iudicatur. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Ioannes Campscon, natione Anglicus, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & sæcularis philosophię non ignarus, ingenio pręstans & clarus eloquio, declamator sermonum popularium excellentissimus, scripsit ad vtilitatem legentium sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de sanctis lib.j. Cetera quæ cõposuit, ad notitiam meam non venerunt.

Ioannes Schonhouen, natione Teutonicus, prior conuentus Mechliniensis, vir in diuinis scripturis studiosus & longa exercitatione doctus, ingenio subtilis & promtus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij, scripsit notabile opus in duobus voluminibus secundum ordinem alphabeti, quod prænotauit Polipodion, prædicatoribus verbi Dei valde accommodum

dum lib.ij.Sermones quoque de tempore & de sanctis varios edidit, & quædam alia.

Blasius Andernarij, natione Gallus, vir in scripturis sanctis studiosus & eruditus, & sæcularium literarum non ignarus, scripsit nonnulla præclara volumina, quibus acrimoniam ingenij sui etiã posteris notificauit, è quibus exstat opus celebre super sententias lib.iiij. Quæstiones quoque variæ in scholis disputatæ. Cetera vero quæ composuit, ad notitiam nostram minime venerunt.

Henricus de Andernaco, natione Teutonicus, Coloniensis diœcesi. vir tam in scripturis diuinis, quam in sæcularibus scientiis studiosus & eruditus, ingenio promtus & disputator acutus, scripsit volumen insigne super sententias lib.iiij. Sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de Sanctis lib.j. Quæstiones philosophiæ. Sed & alia quædam composuit; quæ ad me non venerunt.

Stephanus Anglicus, doctor Oxoniensis & prior prouincialis Angliæ, vir in diuinis scripturis eruditus & sæcularis philosophiæ non ignarus, ingenio præstans & clarus eloquio, non minus vita quam eruditione decorus, scripsit contra Lolhardos lib.j. Sermones tam de tempore, quam de sanctis per circulum anni notabiles lib.ij. Quæstiones quoque varias lib.j. Repertorium argumentorũ suorum lib. j. Lecturas etiam quasdam notabiles in bibliæ libros edidit, cum aliis multis quæ me latent.

Arnoldus de Austria, natione Teutonicus, conuentus Vienẽs. & gymnasij eiusdem vrbis doctor, in diuinis scripturis valde eruditus, & in sæculari philosophia notabiliter doctus, ingenio subtilis & disputator quæstionum scholasticalium egregius, fertur nõnulla præclara scripsisse opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit. è quibus exstat volumen insigne super sententias lib.iiij. Sermones quoque & variæ quæstiones. Claruit in præfato gymnasio Vienensi: vbi & dictam lecturam suam libri sententiarum publice legit.

Ioannes Brammart, natione Teutonicus, conuentus Aquensis. prior prouincialis inferioris Alemaniæ, doctor Parisiensis, in scripturis diuinis studiosus & eruditus, ingenio subtilis & compositus eloquio, vita & conuersatione deuotus, scripsit insigne opus super sententias quatuor libros continens, quod Parisiis compleuit anno

Domini

Domini millesimo ccc.lxxx. indictione tertia. Incipit autem sic, Verbum Domini super Ioannem. Sermones quoq; & varias quæstiones. Moritur in conuentu Coloniensi sepultus, anno Domini cIↄ.cccc.vij. indictione xv.

Michaël de Bononia, natione Italus, prior generalis, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio clarus & disertus eloquio, scripsit multa præclara opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit, è quibus subiecta feruntur. Super sententias lib.iiij. Sed & quæstiones sententiarum lib.j. Tabula sententiarum lib.j. In totum psalterium opus grande lib.i. In euangelium Matthæi lib j. In euangelium Lucæ lib.j. Tabula moralium Gregorij Papæ in Iob. lib.j Tabula super decreto lib.j. De purissima conceptione beatæ Mariæ semper Virginis lib.j. Sermones varij lib.j. Quadragesimale notabile lib.j. In multos etiam libros Aristotelis, commentatus est in Valerium quoque Maximum, in philosophia, in iure canonico, & in oratoria similiter varia scripsit, & multa alia, quæ ad me non venerunt. Moritur Bononiæ, ante summum altare sui conuentus sepultus, anno Domini cIↄ.cccc.xvi.Kal. Decembris.

Ioannes Grosi, patria Tholosanus, prior ordinis generalis, doctor diuinarum scripturarũ insignis & sæcularis philosophiæ nõ ignarus, ingenio clarus & promtus eloquio, scripsit nonnulla opuscula de quibus subiecta feruntur. Opusculum de Ordinis sui institutione & profectu, quod prænotauit viridarium lib.iij. Sermones quoque, & variæ in scripturis quæstiones. Moritur sub Martino papa quinto, anno Domini cIↄ. cccc. quarto & vicesimo, indictione secunda.

Thomas Vvaldẽ, natione Anglicus, prior prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis studiosus & valde eruditus, & in sæculari Philosophia egregiè doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio, hæreticorũ malleus & fortissimus expugnator, scripsit insigne opus contra Vvicleuitas, quod pronunciauit, doctrinale Ecclesiæ lib.i. In multos quoque libros Aristotelis Commentarios fecit: quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur non sine opinione sanctitatis, Rothomagi sepultus, anno Domini cIↄ. ccc. xxx. indictione octaua, tertio Nonas Nouembris.

Ioan-

Ioannes Bernegam, natione Anglicus, doctor in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis egregiè doctus, in declamandis ad populum sermonibus, disputandisque quæstionibus scripturarum excellentis ingenij, scripsit super sententias opus præclarum lib. iiij. & quædam alia. Claruit sub Eugenio Papa quarto, anno Domini millesimo cccc. xxx.

Michaël Herbrant de Duren, natione Teutonicus prior conuentus Crutzennacensis, vir in scripturis sanctis studiosus & eruditus, & multarum rerum experientia clarus, ingenio præstans, & verbi diuini prædicator egregius, scripsit quædam non spernendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit, è quibus exstant sermones & plures & notabiles lib. j. Collationes quoque multæ & variæ in capitulis & synodis habitæ lib. j. Cetera quę composuit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Ruperto Bauaro rege Romanorum, anno Domini cIɔ. cccc. x.

Ioannes Gauwer, natione Teutonicus, conuentus Maguntinēsis lector, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, in declamādis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripsit quædam præclara opuscula: de quibus reperi subiecta. Super sententias lib. iiij. In exodum lib. j. Vnum euangelium ex quatuor lib. j. Sermones de tempore lib. j. Sermones quoque de sanctis lib. j. Quadragesimale lib. j. Cetera quæ composuit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Sigismundo imperatore, anno Domini cIɔ. cccc. xxx. sepultus in conuentu suo Maguntinensi.

Iacobus de Regio, natione Italus, vir in diuinis scripturis doctissimus, & in seculari bus literis magnificè imbutus, trium linguarum principalium Hebraicè, Græcè, & Latinè peritus, ingenio clarus & disertus eloquio, metro excellens & prosa, scripsit notabiles sermones per quadragesimam lib. j. Multa etiam carmine scripsisse dicitur: sed ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Friderico imperatore tertio, anno Domini cIɔ. cccc. lx.

Ioannes Soreth, natione Normannus, prior totius ordinis generalis, vir in diuinis scripturis doctus & erudit⁹, ingenio subtilis, sermone compositus, vita & conuersatione deuotus atque sanctissimus, maximus & feruentissimus sui ordinis reformator, pro cuius institutione & multos, & duros labores patientissime

sustinuit:

ſuſtinuit:ſcripſit quædam præclara volumina,quibus venam ingenij ſui etiam poſteris notificauit.è quibus ſubiecta feruntur. Super ſententias lib.iiij.Sermones varij lib.j. In regulam ordinis ſui duplex commentum edidit lib.ij.Conſtitutiones quoque eiuſdem ordinis comportauit. Moritur Andegauis ſub Friderico imperatore tertio,& Sixto Papa quarto,anno Domini cIↃ.cccc.lxxj. indictione quarta,octauo Kal. Auguſti, multis quotidie miraculis coruſcans.

Goſwinus Hex,patria Brabantinus, conuentus Vliſsingẽſ. epiſcopus Ieropolitanus, Traiectenſ. epiſcopi vicarius in pontificalibus, vir in diuinis ſcripturis egregie doctus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio,in declamandis ad populum ſermonibus valde eruditus,ſcripſit de decem præceptis lib. j. Directorium turbatæ conſcientiæ lib.j.Sermones de tempore lib.j. Sermones de ſanctis lib. j. & quædam alia. Moritur ſub Friderico imperatore tertio, anno Domini cIↃ,cccc.lxxv.indictione viij.Kal.Aprilis.

Ioannes Beets,natione Teutonicus,conuentus Thenenſis,doctor ſacrarum literarum celeberrimus, & in philoſophia ſæculari multum eruditus,ingenio ſubtilis,eloquio clarus, diſputator acutus,Dei verbi prædicator egregius, non minus conuerſatione quã ſciẽtia venerabilis, ſcripſit ad ædificationẽ fratrũ quædã præclara volumina: de quibus feruntur ſubiecta.In epiſtolã Pauli ad Romanos lib.j. Præceptorium diuinæ legis lib.x. De ſacramento altaris lib.j.Sermones de tempore lib.j. Sermones quoque de ſanctis lib. j.Quæſtiones variæ diſputatæ lib.j.& quædam alia. Moritur anno Domini milleſimo cccc.lxxvj.xvj.Kal.Auguſti.

VValterus Hont,natione Anglicus,vir in diuinis ſcripturis valde eruditus, & ſecularium literarum non ignarus,ingenio ſubtilis, ſcientia profundus, ſtudio & exercitatione lectionis continuus,fertur nonnulla præclara ſcripſiſſe opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit,è quibus exſtat opus inſigne ſuper ſentẽtias lib.iiij. De paupertate Chriſti lib.j. Alia inſuper quam multa compoſuiſſe dicitur,quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Sixto Papa quarto,anno Domini milleſimo cccc. lxxx.Et neſcio ſi adhuc viuat.

Paulus Biſcontus,Nicolai Papæ quinti quondam cõfeſſor, vir in

in diuinis scripturis iugi studio exercitatus & eruditus, ingenio subtilis & clarus eloquio, fertur de varijs rebus multa scripsisse opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit. Ego tamen vsque in hunc diem nihil eorum potui inuenire. Claruit anno Domini millesimo cccc. xl.

Ioannes de Duseldorp, natione Teutonicus, conuentus Maguntinensis, & prior Argentinensis, vir in diuinis scripturis studiosus & doctor valde eruditus, ingenio promtus & clarus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus facundus & multum idoneus, vita & conuersatione deuotus, & regularis disciplinæ custos & amator præcipuus, scripsit de obseruantia dierum festorum lib. I. Itinerarium terræ sanctæ, quam personaliter visitauit lib. i. Sermones varios de tempore & de sanctis lib. ij. & alia complura. Moritur in conuentu suo Argentinensi sepultus, anno Domini millesimo cccc. xciiij. indictione vero xij.

Ioannes Consobrinus, patria Portugalensis, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & sæcularium litterarum non ignarus, theologus, Philosophus ac iurista celeberrimus, ingenio subtilis & clarus eloquio, declamator sermonum egregius: qui multa contra hæreticos fortiter gessit pro Christi amore scripsit ad instantiã præpositi regalis collegij diuæ Mariæ de Amhten in Anglia opus tripartitũ insigne, de contractibus & conuersationibus, quod prænotauit de iustitia commutatiua lib. iiij. Sermones quoque varios, & quedam alia. Conflatum Francisci Maronis grato compendio abbreuiauit. Claruit anno Domini cIↄ.cccc lxxv. & sub Sixto pontifice quarto. Vlixbonæ, non sine veneni potati opinione, mortem subijt.

Ioannes de Arundine, natione Teutonicus, conuẽtus Brugensis, episcopus Vsbitensis, vir in diuinis scripturis eruditus, & in sæculari philosophia egregie doctus, declamator sermonum celeberrimus, ingenio subtilis, eloquio & conuersatione clarus, scripsit multa præclara opuscula, quibus nomen suum longe notificauit, de quibus feruntur subiecta. Lectura notabilis in librum sapientiæ lib. i In epistolã Pauli ad Romanos lib. i. Super beati immaculati sermonum li. i. Sermones de tempore lib. i.

Sermones de sanctis lib.i. Alia quoque multa scripsisse dicitur: quæ ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc in vrbe Traiectensium vicarius episcopi in pontificalibus ibidem existens.

Baptista Ferrariensis, vir in diuinis scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris egregie doctus. metro excellens & prosa, vtriusque linguæ peritus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij, scripsit multa instructa volumina, quibus nomen suum longe lateque diuulgauit, è quibus subiecta feruntur. Opus luculentissimum historiarum a Christi natiuitate vsque ad nostra tempora, quod floridam prænotauit. Chronica quoque sui ordinis lib. i. De ruina Romani imperij lib. i. De monte Sina lib.i. Vita Mechtuldis lib. iij. Chronica Ferrariensium lib. i. Sermones varij lib. iij. Multa epigrammata diuerso genere metri composuit. Conuertit de græco in latinū complures sermones beati Ioannis Chrysostomi, et alia plura nobis incognita. Viuit vsque hodie apud Ferrariam, & varia conscribit.

Ioannes Vvirici de Nussia, natione Teutonicus, conuentus Coloniensis, prior prouincialis inferioris Alemaniæ, vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in sæculari philosophia egregie doctus, ingenio promtus & clarus eloquio, diuini verbi prædicator famosus, fertur ab his, qui eum nouerunt, scripsisse super sententias lib. iiij. Sermones & collationes varias, quæ suo tempore prodibunt in lucem. Viuit adhuc in conuentu suo Coloniensi varia conscribens.

Ioannes Placentinus, vir vndecunque doctissimus, theologus & rhetor celeberrimus, ingenio promtus & disertus eloquio, Græcæ ac Latinę linguę peritissimus, quippe qui multa eleganter traduxit, fertur complura scripsisse opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecrauit. è quibus vidi duntaxat. Vocabularium Grecum, opus profecto vtile & necessarium lib. i. Exstat eius & aliud volumen minus, vbi Latinū Greco præponitur lib. i. Ad Ludouicum Donatum episcopum Bergomēsem è Græco Psalterium de verbo ad verbum propriissimè transtulit, quod opus nemo digne laudare sufficit: in quo Græcam translationem præmisit litteris Græcis, & suam subnectit latinis. Epistolas & plures

res & elegantes ad diuersos composuit. Alia quoque multa scripsisse dicitur: quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Innocentio papa octauo, & credo eum adhuc viuere.

Ioannes Scandeberi, episcopus Ertfordensis in Anglia, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & sæcularium litterarum non ignarus, ingenio subtilis & clarus eloquio, vita quoque & conuersatione deuotus, fertur multa præclara scripsisse opuscula, quibus nomen suum longe lateque notificauit: sed nihil eorum ad notitiam meam peruenisse memini. Claruit in Anglia sub Sixto papa quarto, anno Domini millesimo cccc.lxxx. Nescio si adhuc viuat.

Baptista Mantuanus, vir in in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularium litterarum scientia nulli hoc tempore secundus, sacræ theologię doctor insignis, philosophus, orator, & poëta celeberrimus, ingenio subtilis, sermone disertus, vita & conuersatione præclarus, vtriusque linguę Græcę videlicet ac Latinę peritus qui metro Virgilium, Ciceronem prosa ęquat, ne dicam superat. Scripsit vtroque genere styli multa egregia volumina, quibus nomini suo per vniuersum orbem Christianum celebrem famam acquisiuit. E quibus subiecta feruntur. Dialogus de beata vita ad genitorem suum lib.i. Suburbanus metrice de bucolicis lib.i. De laudibus sanctæ Mariæ Parthenices lib.iij. De sancta Catherina martyre lib.i. De vita Ludouici Bononiensis lib.i. De vita sancti Alberti sui ordinis carmine Sapphico lib i. De calamitate horum temporum, siue de peccatis capitalibus carmine heroico, elegantissimum opus lib.i. Panegyricus Roberti lib.i. Somnium suum de eodem lib.i. Ad Falconem epigrammatum opus varium, quod Falconem prænotauit lib.i. Consolatio super morte lib.i. De contemtu mortis lib.i. Contra poëtas turpia scribentes lib i. Ad innocentium papam viij. de expugnatione Granatę lib.iiij: De patientia lib. iij. De ortu & diuersitate religionum lib.i. Apologia pro fratre Petro lib. iij. Introductorium subtilis Scoti lib.i. Orationes elegantes & variæ lib.i. Epistolas pæne ad diuersos scripsit innumerabiles. Diuersi quoque generis infinita & elegantissima carmina edidit, quę in lucem suo tempore prodibunt. Enimuero tam promtus & elegans versificator est, vt similem numquam habuerit, si ad maiestatem carminis & omnis philosophiæ ac eru

dicionis notitiam mentem apposueris. Viuit vsque hodie in Italia Carmelitici ordinis vnicum decus, princepsque doctorum, & multa componit, indies publicanda:

Arnoldus Bostius, natione Teutonicus, conuentus Gandauensis in Flandria, vir in diuinis scripturis studiosissimus & valde eruditus, atque in secularibus litteris egregiè doctus, ingenio promptus & clarus eloquio, theologus, philosophus, & poeta insignis metro exercitatus & prosa, vita & conuersatione deuotus, & regularis disciplinæ amator & custos præcipuus, scripsit metro & prosa quædam præclara opuscula, quibus nomen suum multis innotuit. è quibus ista feruntur. Volumen prosaicum versibus mixtim interpositis, quod de patronatu Dei genitricis, Carmelitici ordinis prænotauit lib. i. De illustribus viris ordinis sui lib. i. De illustribus viris ordinis Carthusiensis lib i. De purissima conceptione Dei genitricis & virginis Mariæ contra Vincentium de nouo castro lib. i. De quatuor nouissimis lib. i. Sermones quoque varij. Epistolas tam ad me, quam ad alios multas edidit: quarum incertus est numerus. Carmina etiam complura de varijs materijs edidit. Alia quoque nonnulla composuit: quæ ad notitiam nostrã non venerunt Viuit adhuc Gandaui varia componens, & multos ad studium litterarum prouocans.

Ioannes de Aqua veteri, natione Teutonicus patria Brabantinus, conuentus Mechiliniensis, vir in diuinis scripturis studiosus & longa exercitatione peritus, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij, ordinisque sui studiosus amator & cultor deuotus, scripsit ad multorum fratrum instantiam & ædificationem de initio profectu & statu sui ordinis commendabile opus, quod prænotauit fasciculum temporum tripertitum ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmelo lib. iij. In quorum primo Eliã & prophetas ordinis sui fundatores exstitisse probat: in secundo sanctos & canonizatos ex eodem enumerat: in tertio successiones priorum generalium totius ordinis sui secundum tempora locat. Cetera vero quæ composuisse dicitur ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc in conuentu Aquensi & cœpto fortiter perstat in studio, anno Domini, quo hęc scripsimus, millesimo cccc. xcij. indictione. x.

Apolo-

Apologia Auctoris pro eo quod non omnes docto res & scriptores huius Ordinis hic sint inserti qui scripserunt.

Ex his nunc itaque viris doctissimis, quorum mentionem fecimus, lector potes agnoscere, quanti Carmeli fructus debeas æstimare. Paucos vero de multis extraximus, quorũ & ingenia & scripta cognouimus. Nec dubitamus ordinis huius restare complures viros doctissimos, qui variis tẽporibus florentes, ingeniis suis & scriptis eum magnificè illustrarunt, quorum ad nos memoria non peruenit. Omnibus enim ordinibus Carmelitana religio antiquior est, ipsaque nimia vetustas clara lumina sui in obliuionẽ facile deduxit. Denique qui plures Carmeli montis palmites fructiferos scire desiderat: gesta & historias eiusdem ordinis legat, & viros doctissimos inuenire poterit, quorum in hoc catalogo mẽtio nulla fuit, Nos enim perquirendi ceteros qui desunt nec tempus consecuti, nec otium: istos idcirco in ordinem digessimus, vt inuestigandi reliquos occasionem lectori præberemus. Ad vos demũ fratres Carmelitici ordinis cultores animum vertimus, vestris caritatibus præsens munus offerimus, & vt Deum pro nobis exoretis, pro vicissitudine dilectionis intentè supplicamus.

FINIS.

Ioannis Empolidis Canonici sancti Petri Dumetensis, in librum Ioannis Trithemij abbatis Spanheimensis, de laude ordinis Carmelitarum.

Codice præsenti laudantur lumina sacri
Ordinis, alma parens quem tenet atque fouet.
Carmelus dedit his nomen mons patribus: vnde
Carmelitarum profluit omne decus.
Fratribus insignes titulos præclara vetustas
Ordinis istius, vitaque sancta tulit.
Laudibus hos dignis stylus ornat Tritthemianus
Fratres, nec tetris sustinet esse locis.
Laudis ad augmentum tam claræ relligionis
Ingenio miro cuncta vetusta capit.

Et probat antiquos mores Patrum reuerendos,
Atque nouos veterum pergere suadet iter.
Nec parcit vacuis virtutibus, & probitate:
Sed tales verbi diriter ense ferit.
Sic probat ingenuos meritis aut actibus almis,
Vt fragiles scriptis ad meliora vocet.
Sic mos expertis iuuenum solet esse magistris,
Vnius vt discat cetera laude cohors.
Hoc animo facili carmen mi suscipe lector,
Codicis & celebris orsa probata lege.

¶ Rutgeri Venrai Sicambri regularis in Heyna Carmen, in librum Ioannis Trithemij abbatis, de laude ordinis Carmelitarum.

Collaudare Deos veteres sueuere poëtæ
Versibus, & resona personitante lyra.
Sed quid non reprobum, non vanum, non sceleratum,
Solliciti ingeniis composuere suis?
Volue libros lector, & magna volumina vatum
Priscorum: inuenies friuola multa cani.
Perspice Virgilium: bellare Deas animosas
Iunonem, & Venerem sæpe videbis ibi.
Multa liber ficta recinit præclarus Homeri:
Sincerum nihil est, nil graue, nilque pium.
Egregius Plautus, necnon Terentius acris,
Lusibus incestis dedecorosa probant.
Pamphilus obticeat, concedat Maximianus,
Cesset & imparibus ludere Naso metris.
Hi residem incendunt ignem modulatibus atris,
Nec iuuenes castis moribus esse sinunt.
Trithemius noster non ludicra vana secutus,
Nititur egregia tollere laude viros.
Non quoscunque viros, sed claros moribus, almis
Artibus & variis, & probitate graui.
Et merito dictos confratres Virginis almæ,
Qui vita & meritis promicuere suis.
Eximiam laudem pro religione vetusta
Præ cunctis fati promeruere Patres.

Moribus antiquis modo clara scientia semet
Miscuit, & bellum cum probitate gerit.
Non quod eam superet, mage sed superatur ab illa
Quæ fuit antiqua non violata manet.
Namque videre datur nonnullos ordinis huius
Non minus arte scios, quam bonitate probos.
Ista videns dominus Trithemius inclytus Abbas,
Binos insignes edidit ecce libros.
Eximios Patres, & laudes Ordinis almi,
Et mores priscos attigit atque nouos.
Carmelita tuo iam nunc gratare poëtæ:
E tenebris etenim te radiare fecit.

Eiusdem Sapphicum Carmen de eodem.

Ecce, Carmelus quibus attulisse
Nomen, & mater Domini probatur,
Hoc libro laudes capiunt vetusti
Relligiosi.
Quem vir insignis Spanhemensis abbas
Edidit pulcro calamo Ioannes
Litteras callens Latinas, Hebræas,
Atque Pelasgi.
Moribus claros, probitate pulcros
Luce doctrinæ rutilos coruscæ
Ordinis fratres probat & magistros
Rite sacrati.
Laudibus fratres ideo Mariæ
Comprobat magnis venerandus Abbas,
Quatenus prisci memores decoris
Turpia vitent.
Parcius semper magis arguendos
Esse decreuit fragiles, modestos
Fortius iusto fore comprobandos
Teste libello.
Huius in grates faciles futuros
Ordinis Patres reputo sacrati,
E situ nigro tenebrisque cæcis
Iam radiantes.

Vocum ac Rerum controuersæ positionis, tam in Epistola Bap. Mantuani contra Calumniatores, quam in Ptolemæi Hispanioli Apologia contra detractores operum Bap. Mantuani, & eiusdem Corollario de licentijs antiquorum Poetarum,

INDEX.

Approximo

Indupedita

Phaëthon

Recentare

FINIS.

I. BAPTISTAE MANTVANI CARMELITÆ, THELOGI, DE PATIENTIA LIBRI III. AD CAROLVM Antonium Fantucium, Patritium Bononiensem.

CAPITA PRIMI LIBRI.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

Amicorum

CAPITA TERTII LIBRI.

FINIS.

Baptista

Baptiſta Mantuanus Carmelita, Franciſco Fantucio. S. P. D.



AROLVS Antonius, vir clariſſimus pater tuus, quòd eſſet bonarum artium ſtudioſus, hominũ literatorum congreſſibus vtebatur aſſiduè, & ex familiaribus eorum colloquiis ſe inuenire dicebat vnicum podagræ ſuæ remedium. Ibam ego eo tempore frequenter ad eum, & quia erat in monaſterium noſtrum benè animatus, & quòd me (vt ſcis) præcipuo diligebat affectu. Ipſe autem (vt erat ingenio claro ac vegeto, lingua diſerta ac eloquenti,) mox vt conſederamus, aliquem ex ſcriptura ſacra, cuius lectione mirificè oblectabatur, locum afferebat, quò diutius (ſic enim aiebat) mutuo ſermone frueretur, & ægritudinis ſuæ tortura minus angeretur. Ego domũ reuerſus (ſi quid aptius dixiſſe memineram) arrepto calamo confeſtim annotabam, memor dicti Euangelici: Colligite fragmenta ne pereant, cupidus etiam, vt ſicut ipſi ea quæ dixeramus, adiumenti nonnihil attulerant, ita ſi in ſcriptis redigerentur ac legi poſſent, etiam aliis ægrotantibus eſſent aliquando ſubſidio. Huiuſmodi ergò ratiocinationes à me recognitas, &

vt edantur in librum tribus diuisum voluminibus modò redactas, tibi restituo inquam, quod enim erat Patri donatũ, debetur & Filio, & ei maximè qui non diuitiarum tantùm, vt maior pars hominum, sed qui etiam sicut tu, paternarum virtutũ hæredem se constituat, vt videatur à parentibus in eum, ne dum secundum carnem, verùm etiam secundum spiritum deducta cognatio. Accipe igitur libellum hunc, & eum succisiuis temporibus aliquãdo relegito, vt vitæ huius molestias æquanimius feras, & accendaris alterius vitæ maiore desyderio, quo & ad euitandum mortis metum, & ad huius mortalitatis incommoda perferenda, nullum est præsentius maiúsve remedium. Viue igitur perquàm diutißimè, & sic viue, vt semper videare Patris vitam & mores æmulari, cui ad politicam fœlicitacem Peripateticorum id solum deerat, quod & Metello legimus defuisse, prosperam scilicet corporis valetudinem. Sed hæc certè minus est deploranda iactura, ea potißimum ratione, quòd quantum adimit politicæ, tantum addit veræ fœlicitati, ad quam nobis aditum patefaciat gratia Domini nostri Iesu Christi. Vale.

De causa huius operis.

CAP. I.



QVONIAM opportunis ac frequentibus beneficiis huic nostro Bononiensi Cœnobio magnificè ac religiosè collatis, iampridē tibi nos deuinxisti, Carole Antoni vir religiose, vereor ne si te lōgo & graui podagræ morbo laborantē, consolatus non fuero, de grauissimo ingratitudinis vitio possim accusari. Nā si iuxta doctoris & Saluatoris nostri Christi salutare consilium tenemur iis etiam qui nos oderunt benefacere, quantum quæso iis debemus, qui nos non solum amant, verum etiam quotidianis eleemosynis alere, & continuo patrocinio fouere non cessant? Christus qui nobis & vitæ & salutis auctor, sicut in aliis omnibus studiosis actionibus, sic etiam in hoc exemplar est optimum. Ipse namq; quàm diu nobiscum in hoc luctuoso peregrinationis exilio sub seruili specie versatus est, eos à quibus plurimū amabatur, non dilexit tantùm, verùm etiam docēdo illustrauit, obsecrando attraxit, increpando cor-

rexit, exhortando animauit, miraculis firmauit, beneficiis illexit, & omni denique officio curæ pastoralis custodiuit & fouit. Et quoniã apud ægrotantes magni momenti esse, ac plurimum valere consolantium verba cognoscebat, cùm sponte ad paßionem & ad locum paßionis accederet, discipulorum animis subita tempestate consternandis medicinam instituens, Petro dixit. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Magna certè est accõmodati ad rem sermonis energia, & ad firmãdos animos, affectusque regendos, ad sedandos etiam corporum dolores, ægritudinumque molestias grauis elocutio plurimum valet, propterea apostolicæ disciplinæ documentum est, & auctor est Iacobus Apostolus ad ægrotantes presbyteros vocari, & veram religionem in viduarũ ac pupillorum visitatione consistere. Sed vt ad Christi vestigia reuertamur, cum propter Iudæorum sæuitiam relicta Hierosolyma trans Iordanem paululum diuertisset, audissetque Lazarum amicum grauiter ægrotare, vitæ suæ ratione posthabita, Vadamus, inquit apostolis, & iuuemus eum. Tantam igitur Christi Iesu saluatoris nostri huma-
nitatem

nitatam & clementiam si quis (vt dignum est) tota mentis acie contempletur, tantæ beneuolentiæ suauitatem non mirabitur solum, verùm etiam ad talis præceptoris imitationem accẽsus, totum se in officia charitatis effundet. Minimè tamen mirum est, si ab illo in huiusmodi amoris vincamur officiis, nam ipse omnium nostrûm est pater, nos autem, inuicem fratres, ac multò maior est, vt experimur assiduê, & natura ipsa confitetur, patrum in filios quàm fratrũ in fratres pietatis affectio. Quoniam igitur ipse præcipit, Discite à me, si tacuero nec te languẽtem ingrauescente iam senio cõsolari, ac leuare tentauero, quomodo ab illo didicisse videbor, cuius vita sanctitas, cuius natura benignitas, cuius doctrina charitas fuit? Assimilarer profectò non sine magno virtutis & conscientiæ damno, sacerdoti aut Leuitæ illi, qui ab Hierusalem in Hiericonta descendens percussum à latronibus hominem & semiuiuum relictum sine misericordia, sine humanitate, sine cura præteriit. Malo igitur Samaritanum imitari, qui lamentabili casu motus, vinum ac oleum plagis infudit, & prolata pecunia stabulario suo infir-

mum commendauit. Tentabo itaque pro virium mearum portiuncula, vir optime, te adiuuare, & artis remedia quantum Deus dederit, tuis vulneribus applicare, phaleratum autem & ambitiosum sermonem explodentes, humillimis ac familiarissimis colloquiis datatim vtemur, ne fortè sermonis insolentia & superbo dicendi fastu magis offensus, accipias pro consolatione fastidium. Sed iam vnum consolationis nostræ caput afferamus, à communibus exordientes, sicut Aristotele teste doctrinæ ratio postulare videtur.

De morbi cognitione. *Cap. II.*

SAnitatis exordiũ morbi cognitio est. Nam tum demum & ægrotus curari desiderat, & medicus sanare potest, cum & ille se infirmum, & iste genus infirmitatis intelligit. Et omnem operationem quam aliquis appetitus siue naturæ, siue voluntatis exercet, ab aliqua cognitione præuenire necesse est, perspicuum hoc in nobis quicquid volumus antè cognoueramus, in pecudibus quoque. Illæ etenim neque pabulum neq; coitum appetunt, nisi rerũ huiusmodi aliqua vel tenui notione pulsentur, quæ verò

sine

ſine cognitione vidētur operari, vt arbores, hæc à cognoſcente aliquo neceſſariū eſt in opus dirigi, ideò à Peripateticis dicitur, opus naturæ, intelligentiæ opus eſſe. Philoſophi enim naturas rerum cognitione priuatas, volunt ab intelligentiis, quæ voluendis cœlorū orbibus à Deo præfectæ ſint, in opera dirigi, & aliena prudētia ne operando peccent gubernari. Quo fit vt res inſenſibiles quales hærbæ ſunt & arbores, & id genus alia, tantò minus in procreandis fœtibus ſuis errent, quātò perſpicacioris naturæ iuuantur ingenio. Nos autem prudentiæ noſtræ (quæ tenuis eſt) innitentes in operatione plerumq; decipimur. Eſt igitur operi ſemper præuia cognitio, cognitione nanque voluntas, voluntate corpus excitatur. Tunc etiam cùm aliquid agimus quod nec appetebamus, neque cognitione fueramus aſſecuti, vt cū agricolæ ignorantes Theſauros effodiunt, quod fieri dicitur à fortuna, id quoq; non ſine præcognitione contigit, præcognitione inquā nō fodientis, ſed cuiuſpiam alterius, puta Dei vel angeli, à quo neſciens foſſor mouetur & regitur. Duplex igitur vt plurimum cognitio neceſſaria eſt ad curam,

&

& medici ſcilicet & ægroti. Propterea decem leproſis qui ſe infirmos cognoſcentes, gratia curationis ad Chriſtum venerant dictum fuiſſe legimus, Ite oſtendite vos ſacerdotibus, vt infirmantium cognitioni iungeretur cognitio medicantis. Sicut igitur hi qui curandis corporibus præſunt, radicem morbi & cauſas infirmitatis priuſquam manus adhibeant altius inueſtigant, ſic nos quoque qui à Deo curandis animabus præfecti ſumus, ſpiritualium languorum cauſas & naturas ſcire non vtile tantum, ſed etiam neceſſarium eſt.

De duplici morbo hominis. *Cap. III.*

ET quemadmodum ex duplici ſubſtãtia, corpore ſcilicet & anima, conſtat homo, ita duplex eſt hominis morbus, animi videlicet & corporis, duo quoque & medicorum & medicinarum genera ſunt. Vnum quo exterior, alterum quo interior homo curetur. Atque ita infirmitati noſtræ naturæque defectui prouidentia diuina, quia nihil odit eorũ quæ fecit, multiplex ſtuduit adhibere remedium. Plerumque fit vt animi in corpus & item corporis in animum redundet infirmitas, tanta eſt enim corporis

poris & animæ necessitudo, vt sua omnia bona ac mala, velint nolint, inuicem communicent, propterea neque sine animo corpus, neq; sine corpore animus benè valet in vita. Rei euidētia probationem excludit, quis enim non viderit ægrotante corpore animum ægrescere, & animo malè habente, malè affici corpus & præcipuè faciem? Nam cùm in capite animalis omnium instrumenta sint sensuum, omnis animi & corporis affectus in eo promulgantur, facies ira excandescit, metu pallescit, verecūdia erubescit, tristitia obscuratur, gaudio serenatur. Neque id in homine solum sed & in brutis accidit. Canes rictu, equi auriculis, feles oculis animum ostendunt, hinc dicitur ab Ouidio, Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu. Medici quoque inter ea quæ ad conferendam corporis sanitatem pertinent, animi accidentia connumerant, quod viderint has duas hominis partes omnia bona & mala, more amicorum, habere communia, cùm morbo animi, corpus ægrotat, animum curato, & cùm membrorum & carnis vitio patitur animus, corpus sanato. Itaque videndum est priusquam ad curam veniamus è
corpore

corpore ne an animo nascatur infirmitas. A causis enim incipiendum, vt arboris interitus non ex ramis, sed ex radice petendus est.

De quibusdam differentiis humanorum defectuum. Cap. IIII.

SPiritualium & corporalium ægritudinum in hoc est natura contraria, vnusquisque cùm corpore ægrotat, & si nonnunquam morbi speciem nescit, se tamen ægrotare perpendit, qui verò animo languet (vt cum superbiæ tumore insolescit, aut inuidiæ liuore contabescit) vt plurimum ægrotare se non videt. Item corporis morbum in alio minus deprehendimus, at animi vitium in aliis magis quam in nobismetipsis perspicimus. Hinc illud Horatij. Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? & illud item Persij: Vt nemo in sese tẽtat descendere, nemo, Sed præcedenti spectatur mantica tergo: & à Christo reprehenditur hypocrita qui festucam in oculo fratris vidẽs, in oculo suo trabem non percipit. Amplius humanorum defectuum quidam incurabiles, vt claudicatio, sterilitas, originalis cæcitas, & hi morbi vitia propriè nominã-

tur. Quidam verò nobis in vita accidunt,morbiq; dicuntur. Et hi quoq; duplices,quidam totius corporis vt febris ac Phthisis:quidam partis vt surditas ac cæcitas, est & quidam morbus leuis qui rebus agendis non est inpedimento, vt imbecillitas & occulta febricula, quæ quia minus à patiente percipitur, à medicis neutralis dicitur. Est & grauis qui à iureconsultis sonticus appellatur, vt febris prohibēs hominem in iudicio comparere. Cum multis corporibus vicia connascuntur, vt cæcitas, sterilitas, debilitas, oris prauitas, & huius generis multa. Morborũ spiritualium nullus perpetuus, nam cum animo, sicut nulla virtus, sic nullum nascitur vitium. Libet enim hic à Platone dissentire, qui cum scientiarum habitu venire animas putauit in corpora. Placet magis in Aristotelis venire diatribã, cui placet, animas cum viuificãdis corporibus sociantur, similes esse tabulæ puræ in qua nihil est pictũ, nihil figuratum. Magna igitur, immò mirabilis inter recẽtia corpora disparitas est, & compositionum varietas inenarrabilis, inter animas verò mox vt creatæ sunt, nullum discrimen est, pares oriuntur, sine vitiis

sunt,

ſunt, nullum diſcrimen eſt, pares oriuntur, ſine vitiis & virtutibus labũtur in corpora. Nec verum quod Pythagorici fabulãtur, eas ex corpore in corpus tranſmigrare, & hominum regenerationem fieri, quam Græci palingeneſiam vocant, & corpora ſortiri præteritis moribus ac præcedentibus meritis accommodata. Sunt tamen à natura etiam tum quũ infunduntur animis noſtris, vires quædam potẽtiæq́;, vt vis videndi atq; audiendi, quæ ad operandum corporeis egeant inſtrumentis, hæ nimirum, ſicut & opifices ſecundũ inſtrumenti diſpoſitionẽ operantur, verum hæc in animo diuerſitas non eſt, ſed in corpore. Intellectus verò etſi nullo corporis inſtrumento eget ad operandum, potẽtiis tamẽ, vt phantaſiæ & æſtimatiuæ, cõiugatus eſt, quarum operatio certam corporis partẽ & certam illius partis diſpoſitionem expoſcit. Intellectum igitur in operando ab ipſa phantaſia, phantaſiam ab inſtrumento ſuo corporeo quod in cerebro ſitum eſt, dependere nõ dubium. At inſtrumẽti diſpoſitio nõ vnũ ſemper habet tẽperamentum, ſed cœli & aëris, ciborũ etiam & aliorum quæ ad dietam pertinent, qualitatem
inſequi-

insequitur. Propterea corporibus non vno semper modo affectis ac dispositis non vno semper modo imaginamur, recordamur, intelligimus, sapimus, appetimus. Non easdem semper voluptates sequimur, non eadem placent exercitia, non ijsdem studijs oblectamur, non eadem insomnia cernimus, pro quorum etiam varietate vt docet Hippocrates in li. de somniis, periti medicorum sciunt de humorum dominio coniectari. Redundante enim sanguine lętiores, felle inardescente acriores, pituita excrescente pigriores, atra bile regnante meticulosi & tristiores efficimur. Accepit ergò anima (neq; id dubium) corporum affectiones, & sibi coniunctæ carnis ac circumstantium elementorum lęsa contagio nescit in votis seruare constantiam, quod in brutis & volucribus manifestius cernitur, iuxta illud Maronis nostri de serenitate loquentis. lib. i. Georg.

Haud equidem credo quia sit diuinius illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.
Verùm vbi tempestas & cœli mobilis humor
Mutauere vias, & Iuppiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat,
Vertuntur species animorum, & pectora motus

Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat
Concipiunt, hinc ille auium concentus in agris,
Hinc lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Manifestum hoc etiam in sensu gustus & visus. Nam propter bilis admixtionem palato infirmo mel amarescit & oculis ægris odiosa est lux, quæ iucunda est sanis. Corporum morbi sunt, animæ plærumque salutares, tunc enim maximè Deum recolimus, cum in obsessa carne regnat infirmitas, & multis sanctorum ad animi salutem, vt Paulo apostolo, carnis flagella fuere principium. At animi morbus corpora non solum non iuuat, verumetiam lædit ac destruit, vide luxuriæ deditos vt palleant & marcescant, vide inuidos, vt macerentur & tabescant, vide auaros, vt flacescant & areant, vide gulæ deditos, vt pigri, somnolenti, valetudinarij sint, ac malorum humorum pleni, quos Græco vocabulo medici vocant Cacohymos, morbos etiam spumales, hoc est malos mores, non sicut corporeos in communes toti animæ, & vni parti proprios diuidimus, non habet enim a-

nima

nima vt corpus partes, quarum vna sine alijs infirmetur, sed cum anima ægrotat, tota ægrota est, videtur tamen aliquando non tota sed secundum partem ægrotare, cùm scilicet ad vnius virtutis opus est strenua, ad aliarum virtutum exercitia lenta & impedita. sed tamen etiam tunc in toto appetitu venenũ est, cui quidem fieri potest per alios malos mores vitiorum accessio. Inter corporis & animi morbos est etiam discrimen hoc aliud, nam quia medicus animarum est Deus, cuius operationes & opera sũt perfecta, animæ morbus incurabilis est nullus, vnde Seneca inquit. Nunquam sera est ad bonos mores, via. Corporis verò morbi (vt supradictum est) idcirco incurabiles plurimi, quia natura (quæ corporalis medicinæ magistra est) Dei comparatione res manca est. Medicorum etiam naturalium nonnunquam conatus inualidus, quia teste Hippocrate, vita breuis, ars verò longa, experimentum fallax.

Quid sit morbus corporis & animæ. Cap. V.



Orbum corporis à Labeone ſic definiri recitat A. gellius in 4.noctium atticarũ libro, cap.2. quod ſit habitus cuiuſq; corporis contra naturã, vſum eius reddens deteriorem. Per habitum autem non corporis cultum intelligit, ſecundum quam acceptionem habitum militarem, habitum ſcęnicum, habitum religioſũ dicimus. Sed habitum dicit qualitatẽ noxiam naturę contrariam, craſim corporis vitiantem, altius imbibiant, vt nequeat ſubito dimoueri, qua præpeditũ corpus, animę non eſt (vt prius) obtemperans, propterea dicit, vſum eius reddens deteriorem. Secundum Platonem virtus eſt ſanitas, ęgritudo vitium. Virtus bona eſt conſuetudo vel qualitas ex bona conſuetudine derelicta, Vitium verò mala. Sicut cùm pulſa infirmitate bonorum ciborũ vſu, frequenti malorum abſtinentia, corpus in priſtinum vigorem ſenſim reuertitur, & eiſdẽ quibus fit valetudo, ſeruatur valetudo, ſic animus malarum operationum fuga, & bonarum exercitio virtutem in ſe gignit, roborat auget & conſeruat. Relictis igitur corporum morbis,

bis, de ſpiritualibus ægritudinibus deinceps agendũ. Neq; enim vt podagræ morbum incurabilem ſanemus, ſed vt malorum tolerantiam (qua contra huius vitę mortalis abſinthium nullum eſt efficatius) antidotum inducamus, præſens charitatis munus aſſumptum eſt.

Cur tanta diligentia ſit in curandis corporum morbis Cap. VI.



Smd cũ tot ſint corporis & animi Ealæ valetudines, quæ medicis ac medicamentis indigeãt, cur ſit vt omnes, ſpreto animo, ſolis curandis corporibus inhiemus, & illi tantũ in præcio ſunt medici, qui mederi corporibus vel ſciunt vel ſcire profitentur. Plinius natural. hiſtoriæ. xix. de medicina ſic inquit. Hæc primum inuentores ſuos cœlo dicauit, & hodie multifariam ab oraculis petitur, ab aliquibus ſcriptoribus penę infiniti celebrantur qui eam artem aut inuenerunt aut auxerunt, aut illuſtrauerunt. Magi illi quorum tãta apud Perſas & Aegyptios fuit authoritas, cum religionę & aſtronomia medicinam etiã profitebantur. De Appolline eius inuentore

Naso scribit: Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem dicor, & herbarum subiecta potentia nobis. His additur Orpheus, Musæus, Hesiodus, & vt aliqui volunt Chiron Centaurus qui de herbis scripserunt, & Medicinę operam dederunt. Pythagoras etiam Samius, & Democritus Abderites, medendi rationem magno studio quæsierunt, Machaon & Podalirius ob medicinæ peritiam cum alijs ducibus ex Creta ad Troianam expeditionem vocati sunt. Hippocrati cùm pestilentiam pullulare incipientem repressisset, decreti sũt honores, quos Herculi decreuerat olim Græcia. Herasistratus Chrysippi discipulus ex Aristotelis filia genitus, Antiocho rege sanato centum talentis donatus est. Teste Liuio cùm Romana vrbs peste laboraret inspectis libris Sybillinis decem legati à senatu missi ex Epidauro Deum Aesculapium in specie serpentis Romam adduxerunt. Mithridates sua ætate regum maximus, omnes antecessores (vt fama est) medendi diligentia superauit. Commentationes eius & exemplaria Pompeius Magnus in latinam linguam à Leneo liberto

suo

ſuo transferri iuſsit. Claruit in ea arte Aſclepiades Pruſienſis, qui (vt aiunt) eloquentiæ tamen magis quàm medicandi fretus auxilio nouam, exploſa veteri, medicinam inuenit. Antonio Muſæ, Cæſar Auguſtus quod fuiſſet ab eo graui morbo liberatus, ſtatuam æream iuxta Aeſculapium locari mandauit. Euax rex Arabũ medicinæ & ipſe curioſiſsimus, de herbis & lapidibus ad Neronem ſcripſit. Superuenit & Dioſcorides vir militaris in herbaria arte mirabilis. Tempore Antonini floruit Galenus vir quidem doctiſſimus & ea ætate in medicina ſingularis, ſecutus eſt eum Raſis Pœnus & ipſe illuſtribus medicis annumeratus. Fuerunt & alij innumerabiles retrò actis temporibu medendi magiſtri, ſed noſtræ ætati magis propinqui, Petrus Aponenſis Patauinus vir rerum ſcientia admirandus. At omnium neotericorum ditiſſimus neſcio an doctiſſimus, Thadeus Florentinus fuit, qui cùm à principibus Italiæ vocabatur, quinquaginta aureos in mercedem diurnam paciſci conſueuerat, ab Honorio ſummo pontifice ſemel vocatus, non prius acceſsit quàm centum au-

reos sibi in diem statutos intellexit. Vnde libe ratus pontifex, decem milia aureorum illi con donauit. Iuniores innumeros ne tibi sim onerosus, silentio prætereo. Hæc autem memorare suasit humanæ curiositatis admiratio, quod eis præmia honoresque decernat qui corporibus opitulari sciat, eis verò qui animas sanant, ne minimam quidem mercedem instituat. Credo tamen ita factum vt moribus parcam, subtili & oculta sagacitate naturæ. Natura enim corporeæ vitæ studiosa, videns homini ex parte corporis mortem impendere, corpus tantum fulcire conata est pigmentis & medicis, relicta animæ incorporeæ cura Deo incorporeo. Cui sententiæ plurimum consonat quod Deus paruam immò minimam & aliquando nullam corporis animarum verò tantam rationem habere se ostendit, vt ipsemet corpus suum pro animarum salute tradiderit, & certè plures Deus medicos & medelas animabus quam natura corporibus adinuenit. Patriarchæ, noui ac veteris testamenti doctores nimirum medici sunt animarum, religiosi nostri temporis omnes &

hi

hi præſertim qui declamant in eccleſijs, & qui confeſſionibus fidelium audiendis prẹſũt, animorũ medici ſunt, hi practicorum illi theoricorum medicorum loco ſuccedunt. Prophetarum vaticinia doctorum conſulta, leges quoq; tam humanæ quam diuinæ præcipuè & omnis deniq; philoſophia de moribus, ſunt animarum medicamenta ſulubria, quibus animæ non à morte ſed à miſeria ſempiterna præſeruantur, quæ tantò peior quantò longior morte iudicatur. Vt igitur omnium ſupradictorum concludatur affinitas corpori corporea debetur medicina, corporalis medicus, & medico præmium corporale. Animæ verò, quia ſpiritus eſt, ſpiritualis medicus, & medico prẹmium ſpirituale proponitur. Sic oportet nos perſuaſos eſſe, quoniam id & rationi & doctrinæ Apoſtolicæ conſentaneum eſt, & ꝙ iacto hoc fundamento facilus patientiæ ſtructura conſurgit Hinc etiam ſicut mortem corpori, ſic immortalitatem animæ natura denunciat, cum ſcilicet eam vt naturalis opis minimè egentem relinquit incuſtoditam, at Deus curam eius aſſumit, non quò, vt antẹ dixi, mor

tem effugiat, cui ſuapte natura nunquam addicta eſt, ſed vt miſeriam ſempiternam cui peccando ſe ſubijcit, euadat. Sed iam ad veſtigandã ſpiritualium morborũ pergamus originem.

De morborum ſpiritualium origine. Cap. VII.



Piritualium infirmitatũ quibus pene totum genus humanũ opprimitur tibi ſi aduerteris radicẽ & fundamentum breuibus explicabo, vt cognito morbi loco, ſciamus vbi oportet applicare remedium. In hoc Peripateticorum & Theologorum ſcholæ conſentiunt, duas eſſe principales animæ partes, per quas videntur homines duas, & has quidem contrarias naturas, aſſecuti, rationalem ſcilicet & ſenſitiuam. Iſta cum belluis nobis communis eſt, illa verò propria eſt hominis forma, Primaq; perfectio rationalis in duas ſecatur partes. Intellectum ſcilicet & voluntatem. Intellectus eſt omnia cognoſcere, voluntatis verò intellecta, ſi bona videntur

appete-

appetere, sin autem mala nocentiaq; sint vel appareant, quoad eius fieri potest propulsare vel fugere. Sensitiua duas item continet vires, vnam qua ea quæ sensui occurrunt aut obijciuntur dignoscit, alteram qua occurrentia obiectaq; prius cognita vel tenere satagit, vel declinare. Prima vis est ea qua sentimus, qua videmus, qua audimus, qua palpamus, qua olfacimus, qua & gustamus. Nam quasi quidam fonticulus in quinq; sensuum exteriorum riuulos virtus ista defluxit, exteriorum inquam, nam vt philosophis placet totidem sunt interiores sensus, qui intra carnei forulos cerebriq; cauernulas vt visum est Auicennæ & Alberto Magno, ac cæteris medicorum ac Philosophorum qui de corporis humani anatomia scripsere, discretas habent sedes propriasq; mansiunculas quæ spirituum animalium viæ specierumque receptacula nominantur, sed ex ijs phantasiam commemorasse sufficiat, quando ipsa id officij in parte sensitiua sortita est, quod intellectus

obtinet

obtinet in rationali. Altera vis seu virtus bifariam quoq; diuiditur, in concupiscibilem, scilcet, & irascibilem. Concupiscibilis in ea fertur quæ voluptatem afferre, per sensum & phantasiam indicantur, in ea verò quæ tristia apparent, ita se habet, vt ea vel abigat, si facultas adsit, vel procul eis sese q̃ maximè proripiat, irascibilis ad subsidium isti coniuncta est. Quoties enim concupiscibili quippiam impedimenti se ingerit, irascibilis magno impetu accurrens, illud totis viribus conatur auertere. Hic diligenter aduerte, huc mentis aciem tota attentione conuerte. Iam tibi ostensurus sum malorum omnium fomitem scelerumq; radicem, vnde omnis nostra descendit iniquitas. Videbis acerrimum hostẽ virtutis, videbis id, quod membrorũ legem Paulus appellat. Lex membrorum, est virtutis concupiscibilis impetus, qui græcè ὁρμὴ dicitur, hic semper in id solum quod delectat nulla honestatis, nulla virtutis nulla Dei habita ratione, tanquã magnis ad polum mira naturæ lege conuertitur. Hi duo appetitus in eadem anima, quasi duæ in eodem axe rotæ, sessori & equo comparari pos-

possũt. Volũtas recta sessor, appetit' equus est, sicut enim equus antequam dometur est fræni & sessoris impatiens, sic appetitus nisi prius longa diligentique cura coërceatur voluntatem aspernatus in diuersa cum indignatione se proripit. Domabilis est, sed longa opus est diligentia, magnis calcaribus, fortissimisq; capistris & frænis vtendum est. Rem miram audi, quam velim sæpius adhibita diligentia contempleris. Quicquid leges tam sacræ quã ciuiles, tam veteres quam nouæ, tam publicæ quam priuatæ, seu pœnam comminantur, seu pollicenť in præmiũ, seorsum tendit, vt huius contumacissimi appetitus ceruicosam duriciẽ & caput obstipũ contundat & subigat, facilius Xerxem Themistocles, Darium, Alexander, Gallos, Cæsar, Bellorophon Chimæram, Hercules, Hydram, Theseus, Minotaurum, Aristeus Proteum, Cadmus draconem, quam hanc immanissimam feram debellauit, immò cum illa debellarint, ipsi ab ista oppugnati sunt & expugnati. Propterea dictum est à sapiente. Melior est patiens viro forti, & qui animo dominatur suo, expugnatore vrbium. Non aliam

ob

ob causã veteres Eremitę viri sanctissimi quales in noua lege fuerunt Paulus, Antoni⁹, Hilarion, & in veteri Helias, Helise⁹ & ceteri filij pphetarũ Carmeli accolę ordinis nostri principes & authores, vrbes& hominũ cõsortia fugiebant, in ieiunijs & diuinarũ rerum contemplatione degebant, nõ aliã inq̃ ob causã, nisi vt hunc rebellem & contumacem appetitũ emollirent, legiq; subijcerent, continua hæc intra nos pugna, &(vt August. inquit)rara victoria.

De animi perturbationibus Cap. VIII.


NEc prętereundũ hoc loco, partem hanc animę quã sensitiuã dicim⁹ nunq̃ quiescere, sed instar maris semper ęstuare, & assiduis perturbationib⁹ agitari. Sicut enim mare duodecim ventis quos Plini⁹ in lib. de naturali historia connumerat, vexari nõ desinit, hoc est ab oriẽte in occidẽtẽ, & ab occidẽte rursũ in orientẽ agitari, scilicet, Subsolano, Vulturno, Euronoto, Austro, Libanoto, Aphrico, Fauonio, Cauro, Trascea, Septemtrione, Aquilone, Cęcia, Ita mẽorata pars animę totidẽ pturbationibus quas Egidi⁹ Roman⁹ lib. i. de regimine princi-

principiũ refert in magnos fluct⁹ intumeſcit & fremit. Sũt autẽ hę ꝑturbationes, Amor, deſiderium, odiũ, abominatio, delectatio, dolor ſeu triſtitia. Iſtę enim ad animũ. Illę verò referunt̃ ad corpus. Spes, deſperatio, audacia, timor, ira, ſegnities, q̃ ipſe Egid. & alij Neoterici vocãt mãſuetudinẽ paſſionum ad eius mãſuetudinis differentiã, q̃ cũ ſit mediocritas q̃dam inter irã & ſegniciẽ nõ paſsio, ſed virt⁹ eſt & appellat̃. Primus ſenarius ad cõcupiſcibilẽ, Secũdus ꝑtinet ad iraſcibilẽ. Sed queãdmodum p̃ter iam dictos generales ventos, alij q̃dam peculiares ſũt, vt Scirõ apud Athenien. paulũ à Cauro deflectẽs, ſic dictus ꝙ ſpiret à ſaxis, q̃ Sciron latro à Theſeo interfectus quondã inhabitabat, & Circius apud ꝓuinciã Narbonenſẽ naues in Italiã recto curſu deferens, ita p̃ter iã dictas ꝑturbationes alię q̃dam numerant̃ ab Ariſtot. in lib. 2. Rhetoric. videlicet Zel⁹, Gratia, Nemeſis, Miſericordia, Inuidia, Erubeſcentia. His appetitus, ſicut mare, natura ſua inſtabilis ſemper perturbat̃ & fluctuat, hinc mũdi turbines excitantur, hinc diſcordię, hinc tumultus, hinc bella, hinc excidia vrbium & hominũ interitus oriuntur, his laqueis, his retibus animę noſtrę

captiuantur, his plagis includuntur, simul hoc visco falluntur, hoc veneno potantur, his sordibus inquinantur, his deliramentis illuduntur, hoc luto inuoluuntur, his illitæ maculis amittunt Dei patris imaginem, hi scopuli nauigantibus ad cœlum passim obijciuntur. Hæ sunt nostræ Syrtes vbi hærent nostra nauigia, hæc Caphareia saxa, hæc mendax & insidiosa lux in ipso Caphareo. Hic Euripus, vbi saltem septies in die periclitatur iustus. Hæc scylla, hęc Carybdis, hæ Symplegades, quarum concursibus depræhensæ animæ cęlestis patriæ cursum amittunt, hæc torpedo quæ mentibus nostris torporem ac stuporem immittit, & ad bonum opus reddit immobiles. Hæc illa mirandæ virtutis Echeneis, quæ armatas classes & magno ventorum impetu concitas mirantibus nautis infrænat & sistit, he Syrenes, quæ vocum lenocinio & blandientibus cantilenarum illecebris, captos in feras, amissa humanitate, transmutant. Hæc Medusa aspectu tam noxia vt videntes conuertat in saxa. Hæ Salmacis aquæ viros effœmināt. Hæc deniq; est illa teterrima pestis quæ nostra hac tempestate per totū terrarum

rarũ orbẽ cõtagia suæ atrocitatis effudit. Hæc tibi volui commemorare & quasi oculis subijcere, vt visis hostiũ tuorum castris, scias quantum tibi immineat periculum, & qua virtute pugnandum, & quibus ad victoriam opus est copijs.

Vnde secuta sit rebellio appetitus. Cap. IX.

ET ne querelæ aut calumniæ locus relinquatur, quod inter has compugnantium virium conflictationes adeò constituta sit humana fragilitas, à Theologis sapienter occurritur. Aiunt enim (& sententiæ huius author primus est Moses) hominẽ à Deo per gratiam ita formatum, vt quamdiu diuinæ legi subiectus esset, nec mortis necessitatem incurreret, nec vllã rebellionem ab inferiori creatura pateretur, haberetq; non extra solum, sed & intra se quietem, tranquillitatem, & pacem, adeò vt & intellectus sine phantasmatibus clarè intelligere, & ratio sine membrorum & appetitus discordia liberè & expeditè posset operari. At soluta in Deum patrem obedientia: Homo multiplici est in animo & corpore pœna mul-

na mul-

na mulctatus. In corpus enim cũ infinitis languorum aculeis mors immiſſa eſt. Quam ſententiam poëtæ gentilium quaſi diuinantes in ſeparato Promethei fabula depinxerũt. In regno verò animi duæ grauiſſimæ ſeditiones exortę ſunt. Vna p quam intelligentię libertati damnũ inflictum eſt, vt ſcilicet intelligere nõ poſsit, niſi vt Ariſtoteles inquit, phantaſmata ſpeculetur, cui ſeruituti antè peccatũ nõ erat addicta. Altera per quam voluntas illa eximia ſupremaq; potentia, qua ſola promereri commereriq; & boni maliq; pro arbitrio eſſe poſſumus, contranitentis appetitus æmulationem incurrit. Et plerumq; (teſte ſcriptura) ſolet vſu euenire, diuino etiam iudicio comprobatum oſtenditur, vt quæ quis fecerit, eadem patiatur. Sic Sauli, poſtquàm Deo rebellauit, Dauid aduerſatus eſt. Ipſi quoq; Dauid Abſalon, Salomoni quidam Adad regia ſtirpe natus, qui diu exularat in Aegypto. Item Razon & Ieroboam, qui poſt mortem Salomonis ſuper decem tribus imperauit. Natura igitur vitiata peccato, & appetitus vinculo in vindictam ſoluto, bellũ hoc aſsiduũ & repugnantiã carnis incurrim⁹. Hic itaq; loc⁹ eſt cui medicina q̃rit,
cui

cui sūt applicāda fomenta virtutis, cui patientię crasis inducēda, vt animo beneuolenti subdita sit, & obtemperans ac idonea rationi.

De varijs hominum dispositionibus ad peccandum. Cap. X.



Vemadmodū teste Christo in euangelio, Spadonū tria sūt genera, vnū eorum qui natura frigidi sunt, alterum eorum qui ferro ac manu fiunt, tertium, cū quis etsi natura est pronus in Venerē, virtutis tamen beneficio fultus castimoniam seruat, vt de Socrate legimus, qui cùm iuxta Metoposcopi iudicium, ex totius corporis filo atq; habitu iudicantis, esset natura vinolentus atq; Venereus, ea vitia sic diligentia, profligauerat, vt nemo esset ea tempestate continentior, & sanctior. Ita ferè in omni virtutis ac vitij genere cōtingit. Sūt enim (vt exempli gratia de iracūdis loquar) ꝗ naturę impetu ferè nullo moueanť ad irā, vt ij ꝗ segnes, imbelles, ignauiq; nascūtur. De quibus illud Satyrici, Sed lęua in parte mamillæ Nil salit Arcadico iuueni. Sunt qui etsi bili concitantur, nocendi tamen instrumentis carent, vt facti ꝑ ferrū Eunuchi ꝗ licet

ſalacitatem ſentiant (ſicut in vita Apollonij Tyanei legimus apud Philoſtratum) tamen non habent, vnde Veneris conſequantur effectum. Sunt qui & impetum & inſtrumentum habentes, rationis lege quaſi quadã animi diuinitate reguntur. Hæc igitur cùm ita ſe habeant in ſolo ferè genere tertio virtus eſt poſita, quod ex arboribus perſuaderi poteſt, Arbor enim quæ natura recta eſt, nulla indiget ad rectitudinẽ induſtria, quæ verò ita praua naſcitur vt dirigi nullo modo poſsit, omnẽ à ſe artem facit alienam, at quæ inflecti poteſt ac dirigi, laborem artificis non fruſtratur. Atq; hęc de actionib⁹ quas trãſeuntes vocant, & inſtrumentis egent, quicunq; legis, dicta memineris. In manentibus enim quæ organis non vtuntur, vt voluntatis operationibus, nulla obſtat quin peccare poſsint membrorum inopia. De his dictum eſt à Chriſto. Qui viderit mulierẽ ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. De alijs verò intelligitur illud ſapientiæ dictum. Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus. Et eorum quidem qui repugnantiæ ſtimulum patiuntur, gradus ſunt pœnæ in infinitum abeuntes. Eſt namq; quæ tenui diligentia

gentia ſuperetur, eſt quæ maiorem conatum contranitentis rationis poſtulet, eſt qui tanto impetu arcem rationis impugnet, vt vix humana reſiſtat infirmitas, & hi ſunt vt plurimum quibus ingens eſt animus, & natura feruens multis adiuta ſpiritibus, qualis in Hectore, in Achille, & in alijs qui ſemidei, à noſtris, à Græcis vero dicuntur Heroes. Hi ſunt forti atq; elato animo viri, qui magna ſemper aggrediuntur, quorum vt ſplendida facinora, ſic & enormes caſus audiuntur, mediocritatem fugientes, aut præclaris facinorib⁹ ſe illuſtrant, aut famoſis ſceleribus ſe inquinant. Fuit ex horum numero Dauid. Fuit Salomon, pater & filius, ambo, modò religione, modò vitijs excellentes, & ex noſtris Paulus Apoſtol⁹ qui & eccleſiam Chriſti molitus eſt extinguere, & ad Chriſtum conuerſus de ſtimulo carnis conqueritur & colaphizari ſe dicit à Satana. Addam & beatiſsimum patrem Hieronymum, qui in vaſta ſolitudine conſtitutus, ſibi videbatur choris intereſſe puellarum, & vt ipſe inquit frigeſcente corpore ſola libidinum incendia bulliebant. Eſt in manibus omnium liber confeſsionum Auguſtini, in quo mulierum amore non

tentatum solum, sed & superatum se ingenuè confitetur. Erat in ijs natura potens & fertili terrę perquam simillima, quæ vna eademq; fœcunditate (nisi prohibeatur à villico) & malas herbas & bonas passim & promiscuè gignit, manifestum id & in equis qui eisdem viribus quibus possunt velociter currere, agiliter saltare, bellatorem ferre possunt, & dominum ferire, & sessorẽ excutere, & obuios conculcare.

Vndè tanta in hominibus diuersitas. Cap. XI.



Vòd si quæras vndè tanta sit in hominibus naturarũ varietas, vt specie nonnulli differre videantur, quod de animabus hominum Platonici concedunt, vt enim reperies qui naturâ timidi sint, tardi, somnolenti, inertes, pigri, segnes, ignaui, ita videas qui nascantur animosi, strenui, vigiles, industrij, vegeti, cordati, excitati. Inuenies etiã quosdam naturâ pios, religiosos, iustos, cõtinentes, modestos, benignos. Itẽ quosdam impios, irreligiosos, iniquos, auaros, procaces, inuerecundos, immanes. Benè dispositi à natura (hoc autem

tem licet oculo ad oculum intueri) minori diligentia proficiunt. At quibus nouercali odio natura difficilis fuerit, solent omnia faciendo nihil proficere, & operam ac impensas vt plurimùm perdere. Nec Cherilus malus Alexandri poeta, nec Mæuius & Bauius minus quàm Homerus & Vergilius, perdiscendę poëticæ studium impendisse putandi sunt, sed minus habuisse fauoris à natura. Propterea illi sunt ingnobiles, isti inter Hieronicas honorantur. Plotinus in primo de prouidentia libro, cap. 4. tria tangit quæ putat nobis inuitis ad bonitatem ac maliciam plurimùm conferre. Primum est inclinatio illa qua etiam antè præsentem vitam cœpit anima vergere in corpus, & carnis optare consortium. Alterum est corpus sic affectum, vt animã ad talia prouocet, & statim ab initio incautam, & deinceps gradatim assuefactam. Tertiũ est subitus sensibilium occursus per sensus in animam sic aut sic afficiens eam. Horum trium duo tanquam vera suscipimus. Primum autem reijcimus, quoniam cum catholicis animas antè hanc vitam fuisse non putamus. Insequi videntur, & nationes sua vitia. Vndè & Latini superciliosi

ac elati dicuntur. Vani Ligures. Leues Galli. Iactabundi Hiſpani. Mendaces Gręci. Pœni fœdi fragi. Citaẽ à Paulo Apoſtolo Epimenidis poëtæ Græci vulgatus ille de Cretenſib. Verſus. κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί, Cretenſes ſemper mendaces, malę beſtiæ, ventres pigri. Si quæras igitur vndè tanta ſit in natura varietas, diſcrepantia in moribus, in vita diuerſsitas, nolo me modò coarctare ad inextricabiles huius perplexæ quæſtionis anguſtias. Dicam tamen tranſeunter & ſummatim, affirmaboq; referre multum quo ſemine quis progenitus ſit, quo ventre ſit fotus embrix, quibus horis natus infans, quibus cibis & exercitijs educatus, quibuscum alitus quibus diſciplinis imbutus, ſub qua cœli parte nutritus. Non enim omnium æquè nationum corpora ſunt ad ſapientiæ perceptionem idonea, Vndè Socratem vel, vt alij volunt, Thaletem dicere ſolitum accipimus, propter tria ſe maximas Deo gratias habere, quòd ſcilicet mas non fœmina, homo non beſtia, Græcus non barbarus natus eſſet. Erant enim Græci natura apti ad philoſophiam, quod propter aëris & cœli temperiem corpora ſortiti eſſent ab excelentijs

contrari-

contrarietatum, vt philosophi aiunt, remotiora. Seres enim & qui extrema mundi climata inhabitant, tantum ab eorum complexione qui clima quintum incolunt elongantur, vt complexio quæ vni genti salubris est, plerūq; alteri mortem consciscat. Et vt corporum dispositionibus sic moribus, legibus, sententijs differunt & ingenijs. His de causis Athenienses ingeniosiores, Thebani robustiores habiti sūt, quòd videlicet illi in puriore, isti in crassiore aëre versarentur. Tantus est corporis influxus in animam, vt Platonici qui dæmones & angelos volunt esse corporeos, putent eos pro corporum varietate varijs rebus oblectari, eos qui de cœlesti substantia corpus habent, figuris & cantibus allici, qui ex igne, fumo & odoribus sacrificiorum. Qui verò ex aëre dicunt sese corporibus nostris insinuare solitos, & humani corporis humorem exugere. Affirmat Herodotus libro histor. 3. se ex genere Scytharum sapientem audiuisse neminem præter vnum Anacharsim, qui vt Cicero in quæstionibus Tusculanis inquit, Sapientiæ fuit admirandæ. Hæc igitur quæ ad benè beatèq; viuendum tanti momenti sunt, non nostræ sunt faculta-

tis,ſed aliũdè ſuppeditantur.Licet enim benè mori,noſtri ſit arbitrij, tamẽ benè naſci & benè educari noſtrę non eſt poteſtatis.Propterea cũ de ſalute agitur,nõ vitę principium ſed finis inſpicitur.Satis ergò fuerit nobis poteſtatem cum difficultate relinqui, diuinum adiutorium nulli negari,patere viam omnibus à vitijs ad virtutem,à virtute ad gloriam,quod ſi quibuſdam maiori cum labore,certè etiam maiori cum mercede.Hæ particulares cauſæ quæ rebelliones appetitus augent ac minuunt, intellectæ ac recitatæ ſunt à philoſophis, & cõmunis illa cauſa,hoc eſt peccatum originis à primi parentis inobedientia natum, à ſolis theologis allegatur,quæ prædictis adiuncta, tantæ molis eſt in omnibus, vt omnes ad peccatum incuruet.Hinc illud Apoſtolicum,ſi dixerimus, quia peccatum non habemus noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.Sed iam ad appetitum redeamus.

De vi appetitus. Capitulum. XII.

APpetitus ergò per inobedientiam primi huminis absolutus in lege rationis, p̄uaricari cœpit & insanire, de cuius clandestinis insidijs & incursionibus apertis, Iacob⁹ ita loquitur: Vnusquisq; verò tētatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. In eo ꝙ abstractus dicit violentiā exprimit, in eo ꝙ illectus adiungit, fraudulentiā significat. Paulus autē ad Romanos scribēs, appetitū his verbis accusat & taxat: Nā velle adiacet mihi, ꝑficere autem bonum non inuenio, non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago, si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sic Apostolus. Erant in Paulo sicut & in nobis duo ferè homines, spiritualis scilicet & carnalis. Verba autem supra dicta spiritualis sunt huminis de carnalis tyrannide conquerentis, & carnalem hominem hoc est appetitum, peccatum vocat, quia videlicet semper nos ad peccatum flectat & inducat. Spiritualem hominem ipse Paulus dicit interiorem, cùm paulò infra subiungit,

Condele-

Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Et de carnali ſubinfert. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę. Mox homo ſpiritualis in Paulo videns ſe non poſſe penitus carnali reſiſtere, quaſi indignabundus in hæc verba prorumpit. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? paucis interiectis ita concludit. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Hoc idem & Chriſtus inquit. Spiritus quidē promptus eſt, caro autem infirma. Spiritus quippe meus eſt in qua præſidet voluntas conſentanea rationi & parata ſemper, niſi retrahatur ab appetitu parere diuinæ legi. Caro autem hoc eſt appetitus carnalis infirmus ea de cauſa eſt appellatus, quòd voluntatem ſemper præpediens omnem operam noſtram reddit infirmam. Vel quia nos propter carnis legem rationis conatibus reſiſtentem, ſimus ad omne præclarum facinus infirmi. Nec tamen minus infirma caro nuncupabitur etiam tum cùm appetitus bonis operibus aſſuefactus adhæſerit rationi, nā vis ea, quæ quoniam imperium voluntatis exequitur, executiua nuncupatur, corporeis inſtrumentis

strumentis alligata, nec opere & perfectione, nec operante velocitate, potest voluntatem adæquare. Ex Deo igitur & ex voluntate efficatia est, at tarditas & deterior agendi conditio ex carne, nõ aliter quàm in claudo progressionis obliquitas ex curuitate cruris est, sed eũdi facultas ex anima, hoc perpedẽs in 2. Ethicorũ dixit Aristoteles, incontinentes similes esse Paralyticis, quemadmodum enim Paralyticus morbosa qualitate vim motiuam impediente quorsum non vult manum vertit, sic incontinens si aliquando vel bonitate naturæ vel diuina inspiratione motus, aspirare velit ad virtutem, continuè proteruientis appetitus impulsu de viæ regiæ rectitudine in dextram aut in sinistram, hoc est de mediocritate virtutis in id quod plus aut minus est deturbatur.

Quomodo appetitus ligetur. Cap. XIII.


Ontra hanc teterrimam pestem quod aliud melius dari potest Antidotum quàm quod Paulus ostendit dicens. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Pugnãt ergò

ergò inter se hæc duo semp & ea pugnę lex est, vt victo imperet, & quò libuerit trahat. Rem miram intellige, quam si saperent & sibi rectè consulerent homines, fortassè vitam cautius instituerent, nec se ipsos inconsultè ac improuidè viuendo tot vitiorum catenis alligarent. Vsus & consuetudo ea sunt quæ appetitum ligant & obstringunt. Consuetudo verò quę catena est adamante solidior, per exercitium vsumq; contexitur, actiones assiduæ annulli sunt: si appetitus ad id quod concupiscit voluntatis assensum semel attraxerit, vnum catenæ annulum complicauit, si centies eam seduxerit, iam ex centum orbiculis catena contexta collum victæ voluntatis innodat, & captiuam ducens illudere & insultare non cessat. Hinc Horatius in Epistolis.

Animum rege, qui nisi paret, Imperat; hunc frænis, hunc tu compesce catena. Animum autem vocat impetum appetitus.

Quid valeat habitus, Cap. XIIII.



Atena hæc à philoſophis qui rerum naturas ſubtiliter inſpexerunt, habitus appellatur. Is continuis & ſequentibus malis actionibus ſic pedetentim & ſenſim nobis adhæret & ſubrepit, vt in naturam tranſire videatur; ſicut lignum à natura rectũ poſtquàm diu flexurã paſſum fuerit, curuitate dimoueri non poteſt, nec ligno minus tenaciter adhęret ea figura, q̃ ſi ab origine curuatura veniſſet. Scitũ eſt illud memorabile Lycurgi exemplum, q volens populo quantũ conſuetudo poſsit oſtendere, duos catulos, vnum in ſyluis alterum domi in popina educari fecit, mox conuocatis turbis tale ſpectaculum exhibuit. Catulos adduci iuſsit, & propoſito hinc lepore, hinc cacabo, ſolui eos mãdauit, q popinæ aſſuetus erat, ad cacabũ repentino curſu ſe proripuit, qui verò in ſyluis coaluerat, mira pedum leuitate fugientem leporẽ inſecutus eſt. Vidẽtur ergò habitus naturâ fortiores, vtpote quã ſubigunt, domant, & immutant: & vnuſquiſq; habitum habens (niſi diligentiam adhibeat in

contra-

contrarium) ſecundum eum ſemper operatur. Operatur autem habituatus facilè, promptè, perfectè, & cum delectatione. Qui verò ſine habitu eſt, etſi benè operari poteſt, neq; enim id negauerim, nõ æquè expeditus & prõptus venit ad operandũ, nec tanta inerit operationi voluptas, perfectio, facilitas. Vndè illud Ariſtotelis in Ethicis. Citharœdi eſt citharã propulſare, ſtudioſi benè pulſare. Ineſt ergò habitui (vt theologorum clariſsimi ſentiunt, & præſertim Io. Scotus in primum ſententiarum diſtin. xvij. q. ij) vis actiua, qua cum animæ virtute (cui infuerit) habituatus, valet ad melius & laudabilius operandum. De vi conſuetudinis quid à Valerio dicatur hic referam. Cretenſes, inquit, quum acerbiſsima execratione aduerſus eos quos vehementer oderunt vti volunt, vt mala conſuetudine delectentur, optant, modeſtoq; voti genere efficaciſsimum vltionis euentum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiſcere & in eo perſeueranter morari, exitio ea vicina eſt dulcedo. At ſi voluntas mea diligentia ſtudioq; excitata, cœperit appetitui dominari, & eius feritatem mollire tollendo, breui, ſi perſeuerauerit & victoria vti

ria vti sciuerit, nec vires remiserit, victrix euadet, & in altissimam virtutis arcem cũ victoriæ signis euolabit. Ad hoc Paulus ad Romanos hortatur dicens. Ergo fratres debitores simus non carni, vt secundũ carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vita scilicet immortali ac sempiterna, quæ sola vera est vita, & ab omni mortis contagione semota.

Quòd paucorum est appetitum superare. Cap. XV.



Ed pauci admodum sunt qui carnis imbecillitate deuicta, fœlicitate tantæ victoriæ potiantur, ea namq; est voluntati cum appetitu concordia, ea familiaritas, ea necessitudo; vt penè nunquam sciat eius plenè repugnare blanditijs. Docuit hoc cum summa totius humani generis incommoditate Protoplastus homo, qui cum modò esset ab opifice Deo conditus, & in perfecta membrorum corporis & animæ virium integritate formatus, præmonitus etiam quid euenturum esset de-

linquenti, malê suadenti fœminæ, ne (vt Augustinus inquit) eam quam habebat in delitijs contristaret, assensus est. Ex illo tempore cœpit verum esse quod à Mose dicitur, chi Iezer leb Adam Kaha Mincabrab, id est, quod latinè pluribus verbis explicatur: Sensus & cogitatio cordis humani prona est ad malũ à iuuentute sua. Vitium hoc in ramos à radice diffusum, indies magis magisq; cõualuit, & senescente natura quotidie reuirescit. Adam rationis typus est, appetitus Eua. Cùm rationẽ dico, superiorem animæ partem (quæ & voluntatem & intelligentiam includit) intelligo. Voluntas libera est, facilè tamen persuadetur, & paulo momento huc vel illuc impellitur. Appetitus verò libertate carens, semper obstinatè & irreuocabiliter tristitiã fugit, & sequitur voluptatem. Irreuocabiliter inquam si eum spectas, nunquam enim seipsum ipse reuocat, aut cohibet, sed si superiorem virtutem cui subijcitur animaduertis, reuocari potest, vt diximus.

Quòd

Quòd motui cœlorum aſsimilatur motus appetitus. Cap. XVI.

PОrrò operæprecium eſt in his animæ potentijs, intueri ſimile quiddã motui cœlorum. Quemadmodum enim nonæ ſphæræ, quod eſt primum mobile, impetu firmamenti & planetarum, orbes, quotidie ab ortu ad occaſũ rapiuntur, qui diurnus motus appellatur, & tamen dum ſeorſum feruntur motu quodam alio ſic contranituntur, vt & quibuſdam temporum ſpacijs totum Zodiacũ retrogrado curſu metiantur: Sic & appetitus quantumuis à ratione regatur, ſemper tamen diuerticula quærens, aliquantulum refugit, & quaſi bos à plauſtro ſubiugatus & Bubulcĩ ſtimulo punctus, ad carpendum gramen collũ intorquet.

Quòd duplici hominis naturæ, duo ſpiritus pręfecti ſunt. Cap. XVII.

HVic duplici hominis naturæ duo (vt Theologi volunt) à Deo dæmones deſtinantur, vnus qui (cũ ipſe bonus ſit) ad bonum, alter qui iuxta ſuam nequitiam nos

vertat ad malum, qui appetitui fauet genius dicitur ab antiquis. Genius autem ab ingenio dicitur, quod naturam significat vni cuiq; insitam, & genius quòd ingeniũ, hoc est, naturã secundet, appellatur. Fuerunt etiam philosophorum quidam qui dixerunt, singulis rerum naturis & speciebus, singulos angelos attributos qui seruandis eis curam impenderent. Euclides etiam Socraticus duos omnibus hominibus genios appositos dixit (qui & lares vocantur) bonum scilicet & malum. In cuius sententiam Lucius Florus venit, cum dixit. Bruto postera die in prælio morituro per noctẽ apparuisse atram quandam imaginem, & quę esset interrogatam, tuus malus genius sum respondisse. Nõ enim addidisset malus nisi alterum bonum geniũ existimasset. Hi & penates dicebantur, qui quoniã ꝑ eorũ seu hominũ seu locorũ quibus pręsunt, custodia cũ alijs laribus pugnant, & aliquando superantur, dictum est à Vergilio de Aenea. Ilium in Italiã portans victosq; penates. Hęc quanquam gentilia sint attigi, quod non sunt si bonum iudicem inueniant, multũ à nostris dogmatibus dissidentia; at de his aliàs. Sed quorsum ista nunc? Nem

pè vt

pè vt ostenderem non mirum esse paucos ad illam victoriam peruenire, de qua dictum est, & tamen necesse est, vt in paucorum, bonorum catalogo computemur, & ab illa infirmitate subtrahamur, de qua scriptum est à sapiente, stultorum infinitus est numerus.

Quòd miseri sunt qui peccant. Cap. XVIII.


Vi ad tantam scelerum immunitatem confirmato iam peccandi habitu descenderunt, vti nec rationem audire, nec cœlum iam suspicere posſint, hi sunt de quibus dicitur ab Apostolo, excœcauit enim eos malicia eorum, Eosdem Aristoteles taxat cum inquit in Ethicis. Omnem malum esse ignorantẽ. Malus enim habitus quasi quædam tenebrosa caligo de vitiorũ palude se attollens, longè amplius quàm perturbatio seu paſsio mentem excæcat, & ignorantiæ nocte lumen rationis abscondit. Licebit hoc experimento cognoscere, si statuantur duo, vnus intemperans, alter incontines. Intemperantem dicimus qui sine vlla repugnantia rationis libidinibus

& voluptatibus immergitur: Incontinens verò est qui post aliquam pugnam appetitus & rationis à fluctu perturbationis opprimitur. Quæratur vter eorum grauius crimē putet adulterium, respondebit incontinens, graue sibi videri, & propterea se conari ab eo tanquā à turpissimo ac fœdissimo animi morbo declinare. Intemperans verò contemnet forsitan & ridens respondebit illud quod in sepulcro Sardanapali recitatur inscriptum. Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido hausit. Cognosce quantum ignorantiæ secum ferat mala consuetudo. Quis ignorantem non dicat eum qui dicit malum bonum, vel qui graue malum putet esse leuissimum. Nonne qui trabem dicit esse festucam hebetes habet oculos? & qui ictum gladij culicis aculeum fuisse credat, tardioris est sensus?

De tribus stultitię gradibus. Cap. XIX.



TRes huius stultitiæ grad⁹ esse, per tres illos mortuos quos Christus suscitauit, ostēsū est: primus qui in domo sua suscitatus est hos significat, q malis cogitationibus allecti veneno peccati intra cōscientiā admisso ad

ad extrinsecū opus vel verecundiæ fræno vel alia quauis causa præpediti non exeunt. Secūdus qui extra ciuitatis portam vitæ restitutus est, illos ostendit, qui cogitationē in opus duxerunt, tantò infeliciores effecti, quantò magis voti compotes extitere. Tertius qui in monumento fœtens & quadriduanæ mortis detentus ergastulo, iam amicos in vitæ desperationem adduxerat, illos signat, qui cogitationē in opus, & opus in consuetudinem habitumq; verterunt, quorum vita plena flagitijs cœlo infernoq; detestabilis est. Illud obscurū & illaudabile genus hominū dum fas & iura subuertit, dum neq; modum neq; modestiam seruat, dum omnis disciplinæ seueritatē abijcit, quāq̄ multis præsit, latèq; dominetur, vitio tamē ac diabolo seruit, dicente Paulo ad Rō. Serui estis ei⁹ cui obedistis, & q̄q̄ leui extrinsec⁹ pelle niteat intrinsecus tamē ruderibus opplerū, tabidū & intolerabile sanie putrefactū. Quāq̄ sibi multisq; placeat, Deo tamē & angelis bonis inuisū infensūq; & est & esse debet, vtpote quod simile sit sepulcris dealbatis, quod vitiorum sentina, latrina scelerum & totius immunditiæ cloaca dici possit. Propterea Pau-

lus ad Romanos capite.vj. Non ergò, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, sed neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, & Dauid huius spiritualis morbi fœtorem nō sustinens clamabat. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Quòd terrena voluptas breui dilabitur, argumentum ab Imperatorum exemplis.
Cap. XX.

ADde quod ea quib⁹ peccatores plurimum fidunt, & quæ perditè amant, breui amissuri sunt, nam quæ subsunt fortunæ ludibrio, nō est eorum diuturna possessio. Subijciamus exemplum eorum qui apud homines dij fuerunt, qui in vita consecuti sunt quicquid promittit terrena fœlicitas, de Imperatoribus loquor qubus quatuor hæc, diuitiæ, potentia, honor & voluptas, q̄ præ cæteris omnibus mortales mirantur affatim suppetebant. Iulius Cæsar omitto quot curis, quot laboribus,

bus, quot periculis & dispendijs peruenit ad regnum. Id enim impoſsibile relatu eſt, nec dũ plenis velis imperio nauigabat, & ecce coniurationis tempeſtas exoritur, qua ſic oppreſſus eſt, vt tribus & viginti plagis confoſſus obierit. C. Caligula poſtquàm triennio & decem menſibus imperitauit trucidatur à ſuis. Claudius anno imperij. xiiij venenatur. Nero iuuenis adhuc & in ætatis flore conſtitutus q ardente Roma Troiæ Aloſi decantarat, ſeipſum ſuo pugione confodit. Galba ſenex imperij menſe ſeptimo in vrbe ad lacum Curij trucidatur, & eius caput quod toti orbi legem dixerat à gregario milite amputatum ad calones & lixas eſt proiectum. Otho nonageſimo quinto imperij die ſeipſum pugione confodit. Vitellius cum ſumma ignominia ex ædibus tractus luto & ſtercore conſperſus mucrone gladij mento ſuppoſito ne præ pudore faciem inclinaret ad ſcalas Gemonias minutatim excarnificatur. Domitianus ex optimo patre peſsimus filius, Chriſtianorum perſecutor ſæuiſsimus, anno imperij ſui decimoquinto necatur à ſuis, tantò infœlicior, quantò eius potentia diuturnior. Prolongatio enim tam ſæuæ tyrannidis

quid fuit aliud quàm coaceruatio diuinæ indignationis? Antonius Commodus omnibus (vt aiunt) incommodus duodecimo imperij anno strangulatur. Helius quòd illiberalis esset & sordidus, imperij mense sexto palàm occiditur. Antonius Caracalla septimo imperij sui anno, dum leuandæ vesicæ gratia descendisset ex equo, à Parthis opprimitur. Heliogabalus homo flagitiosissimus, quarto imperij anno tumultu militum enecatur. Decius Christianorum inimicus, imperij anno secũdo à barbaris est occisus, cadauere eius nusquam reperto. Valerianus, qui cum Galienō regnauit captus à Pacoro Parthorum rege non occisus statim, sed ad diuturnam mortem seruatus, erat enim ei equũ ascendenti scabellũ pedum, ꝙ aliter dicit̃ suppedaneũ. Sed q̄d ꝑgo tyrãnorũ cędes recensere? Versu illo Satyrico cõcludendum. Ad generũ Cereris sine cæde & sanguine pauci Descendunt reges, & sicca morte tyranni. Hic citari posset Antimachus Poeta Gręcus, qui cùm dolorem suum (quẽ è morte charissimæ coniugis Lysidices conceperat) emollire vellet, elegiam scripsit, in qua calamitates omnes Heroum altius repetens numerauit,

rauit. Sed ad pręsẽs ista sufficient. Hęc autem dicta sunt vt memineris breuę & intercisum esse omne ꝙ in hac vita nos allicit, longum & perenne ꝙ nos cruciat. Nã (vt Poëta inquit) nulla est syncera voluptas, & dulcedini semꝑ amaritudo ꝑmixta est, ꝙ Humerus poeta clarissimus innuit cũ dicit. In limine Iouis duo dolia posita, vnum mellis, alterum fellis plenum, & singulis animalibus è cœlo in corpora descendentib. ex vtroq; dolio portionẽ dari.

Testimonia ex sacra scriptura idem probantia. Cap. XXI.



Is attestatur quod in psalmo dicitur, Vidi impium superexaltatum & excelsum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat: Et iterum, Viri sanguinũ & dolosi nõ dimidiabunt dies suos, & si aliquando ꝓspero negotiorũ cursu lętantur, si peccare nõ desinũt, verificatur in eis quod Claudianus inquit, Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. Et in psalmo dicitur: Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus. Audire non pigeat ꝙ in alio psalmo sanctissimus Dauid de-

hoc pessimo hominem genere sit locutus, & quibus eos verbis insectetur. Sic enim inquit. Quid gloriaris in malicia, qui potens es iniquitate, tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum, dilexisti malitiam super bonitatem, iniquitatẽ magis loqui quàm æquitatẽ, dilexisti verba ꝑcipitationis, linguam dolosam. Propterea Deus subuertet te, in finẽ euellet te, & religabit ac trãsmigrare, te faciet à tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti & timebunt & super eum ridebunt & dicent. Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in mulitudine diuitiarum suarum & præualuit in vanitate sua. Hactenus Dauid. Alibi quoq; dicit. Inimici autem Dei mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Huiusmodi homines igitur dum se impunè peccare aduertunt, dũ patientia Dei malè vtuntur, dũ omnibus libidinibus suis perfruuntur Deum negant, prouidentiã irrident, genus aliud vitæ non putant, & persuasi animam interire cum corpore post mortem nihil nos futuros existimant, immo & desiderant ne commisso-

rum ſcelerum pœnas luant. Idcircò dicitur in Pſal. Homo cùm in honore eſſet non intellexit. Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

De hominis excellentia. Cap. XXII.

VIde quæſo, quod iam diu tamen vidiſſe te credo, ſed recole modò in quanta excellentia conſtitutus eſt homo, vt percipias quàm ingratus ſit Deo, qui paſsim proſtituit ſe diabolo. Eſt enim tantæ perſpicacitatis ſuapte natura homo, vt ingenio ſuo diſciplinas omnes ac artes excuderit. At quomodo id factum, Ariſtoteles in primo li. metaphy. indicat: dicens Hominem cui ocium ſuppetebat, poſtquam ſæpè periclitatis in rebus ac cominus notis diu ſe exercuit, & acta ac euenta memoria collegit feciſſe artes atq; diſciplinas, & hoc nihil eſt aliud quam quod A. Gellius refert dixiſſe Afranium poëtã in togata, cuius hi verſus ſunt. Vſus me genuit, mater peperit memoria, ſophiã vocant me Graij, vos ſapientiam. Sed Ariſtotelis ſectatores & præſertim

prẹſertim Euſthatius in Ethica proſecuti ſunt dicentes.Ex his quę eodem modo neceſſariò ſemper eueniunt prodijſſe ſcientiam, à cuius regulis nihil excipitur.Ex his verò q̃ nõ ſemper ſed tamen vt plurimum accidunt, artem factam,quam quia multas exceptiones admittit & fallere interdum videtur artificem,dixit Agathon fortunę amicam, At quę ſepè fiunt nec tamen vt plurimum, ſub artẽ redigi neq̃uiſſe,ſed circa ea verſari prudentiam,de his enim homines cõſultando deliberant. Quę aũt pq̃ rarò apparent,neq; ſcientię,neq; arti,neq; conſilio ſubdita,caſui ac fortunę reliquerunt Hęc igitur ſunt humanę ꝑſpicacitatis indicia, q̃ Plinius naturalis hiſtorię li.vj.cap.lvj, Ioa. etiam Tortellius in dictione horologium tribuentes ſua inuenta ſignaculis authoribus latinis,ꝓſequuntur, Tantę etiam ſublimitatis eſt homo,vt omnium q̃ cœlo continentur, immò & cœli ipſius ac Dei ſit capax. Vndè philoſophi gentiles multa de Deo rectè tradiderunt. Vt ꝙ vnus, ꝙ immenſus, quòd incorporeus, ꝙ ſempiternus,,quòd optimus,ꝙ omnipotens, ꝙ ſemper vigilans, quòd affectibus carens, ꝙ mundi opifex,ꝙ primus motor,ꝙ finis omniũ

atq;

atq; principiū. Et de hoc genus aliis tam multa recte pceperunt, vt magna pars Theologię nostrę ab eius accepta sit. Cœlum autem quod tanto interuallo remotū est, sic ducente oculorū acie ratio penetrauit, vt polos, vt axes, ęquinoctialem, eclipticam, maximas solis declinationes, tropicos, arcticum & antarcticum circulos nec non & aspidas seu epicyclos, motus etiā planetarū & firamenti ita dephenderit, vt q diligenter supputare & ad calculū Matheseos reducere voluerit, vix errare vnquā possit. Quod exēplo declaratur Hipparchi, ipse enim, teste Plinio, solis & lunæ cursus & eclipses in sexcentos annos seculo ipso attestante pcinuit non minus veraciter q̃ si consiliorum naturæ particeps fuisset. Tanti insup vigoris est vt sit eius animo celeritas vento citatior, igne volucrior, tātę felicitatis, vt sit paulo min⁹ minutus ab angilis sicut ppheta inquit: & vt philosophi dicunt in æternitatis horizonte locatus, hoc est, rebus ęternis ppinquissimus, & quo ad animā, particeps ęternitatis. Horizontē nanq; vocant Astronomi circulum, quo visus terminatur & hemispheria diuidunt, & dicūt hominē in eo constitutū, q imaginati sint naturarū omni-

omnium congeriem distribui in duas partes; quasi in duo hemispheria, mundi hemispherijs ideò similia, quia sicut mundi sic & naturarum vna congeries, quæ æterna complectitur nos latet, altera verò quæ tempore mẽsuratur apparet. Homo igitur in horum hemispheriorum cõfinio ponitur, quia corporea mole corporalia, & animi in mortalitate contingit æterna, & est vtrorumq; quoddam participiũ, partem sui in hoc, partem in hemispherium illud extendens. Sortitus etiam corpus quod immortalitatem pòssit induere, ad imaginem quoq; Dei factus. Omnium præterea animantium dominus, habens ad custodiam sui angelos quasi satellites, aut pædagogos. Cœli insuper nisi Deũ contemnat hæres futurus, dæmonibus hoc est angelis malis & apostatis imperat. Vndè Hermes Trismegistus dixit, hominem tantæ sublimitatis, vt deos faciendi habeat facultatẽ. Statuis enim fabrefactis dæmones ad inhabitandũ eas magicis artibus inducebant, & eas quasi animatas pro dijs habebant. Insuper & promerendi paradisum habet arbitrium, & vt in 2. physicorum meminit Aristoteles homo quodammodo finis est omnium:

nium,& vt Plinius in principio ſeptimi libri de hiſtoria naturali dicit, Cauſa hominis videtur cuncta alia genuiſſe natura. Et idcirco prædictus Hermes Triſmegiſtus, homo, inquit, magnum eſt miraculum ô Aſclepi, & in 2. libro Aſtronomicon.M.Manlius de homine loquens ita inquit. Eximiam natura dedit linguamq; capaxq; Ingenium volucremq; animum, quem deniq; in vnum Deſcendit Deus atq; habitat ipſumq; requirit.Et in tanto demens conſtitutus honore dum appetitum magis quã rationem ſequitur, comparatur iumentis inſipientibus, q̃ nullo rationis moderamine, ſed ſolo impetu feruntur appetitus.

Quæ ſit ſumma hominis miſeria.
Cap.XXIII.


Tatus igitur iſte: flagitioſorum hominum ſummæ miſeriæ quã nulla in hac vita maior eſſe poteſt ſtatus eſt.Sũma enim miſeria culpa eſt.Nam & ipſi damnati & æternis pœnis addicti magis eo quòd culpis ſordeant, quàm quòd pœnis doleant miſeri ſunt, & quòd miſeriæ plus inſit culpæ quàm pœnæ, ſi va-

ſi vacat & placidi rationem admittitis edam. Quod enim peius eſt, id miſerius, at culpa peior eſt quàm pœna. Quid inquã peior? immò neq; mala eſt pœna cùm iuſta ſit, omne enim iuſtum bonum. Sed malum dupliciter dici planum eſt, malũ ſcilicet ſimpliciter & vt Theologi dicunt malũ huic, & fieri poteſt vt quod ſimpliciter bonum eſt, ſit huic malum. Sicut pœna quæ ſimpliciter bona cùm ſit, eſt tamen huic mala quem cruciat, mala autem dicitur quod bonum quoddam tollat, ſed quoddam bonum, neq; enim ſimpliciter dicitur bonum, ſed tripliciter. Bonorum enim quoddam honeſtum, quoddam vtile, quoddam delectabile. Pœna de qua eſt ſermo non omnis boni genus, ſed eius ꝙ delectat expungit, & quia ꝙ honeſtum eſt non ſolum nõ deſtruit ſed fulcit, ſimpliciter bona eſt, huic tamen mala qui plectitur, quia per eam voluptate priuatur. Sed age dic vtrũ optabilius, puniri inſontẽ, an ſontẽ abſolui, vel (quod idipſũ eſt) culpa ſine tortura, an tortura ſine culpa. Si appetitum cõſulas, ſi beluarũ prudẽtia vtaris, modò impune feras culpã ridebis. At ſi mentẽ inter roges & cœlum ſuſpexeris, nõ moleſtias tantũ vitæ natu-

naturales, verùmetiam carcerem, seruitutem, morbos, infamiam, ferrum, incendia, mortem deniq; ipsam culpæ antepones: Legimus admirandæ fortitudinis exemplum singulare, cui simile non habet gentilis antiquitas. Septem mulieres Cappadoces dum cruorem Blasij martyris, cuius agonem admirantes, conuersæ fuerant pronæ humi spongia colligunt, obiecto Christianitatis titulo trahuntur ad præsidem, & cùm post multas comminationes inuictæ persisterent, ministri magistratus genus omne tormentorum exponunt. Laminas, equuleum, plumbum liquefactum, & illos pectines ferreos quibus Blasium modò discerpserant, ad incutiendum terrorem intentant, & quò sit in spectaculo plus energiæ, quia cõtraria mutuo se exaggerant ad numerũ mulierũ septẽ thoraces igne candẽtes ad lęuã, septẽ verò vestes xylinas mollissimas atq; cãdidissimas ad dexterã collocãt, iubẽt vtrũ malint ad nudũ induãt. Vna illarũ relictis duob⁹ infãtulis quos secũ habebat cũrsu cõcita vestes xylinas corripuit, & in ignẽ negãdę fidei incitamẽta piecit. Nõ est ad aspectũ tã terribiliũ pœnarũ exterrita mulier, nõ ploratu natorũ mater
 ęlan-

elanguit, duriora morte tormenta nõ horruit, sed naturã vincente constantia thoracẽ ignitum ad carnem induitur. O rem antea nunquã auditam, ô facinus dignum æterna memoria, ô exemplum ad confirmandos debiles efficacissimum. Nos autem à maioribus nostris tãtum degenerauimus, tantum ab antiqua virtute recessimus, vt vel minimo incommodo vsq; ad Dei blasphemiam prolabamur.

De delectatione & an sit peccatum.
Cap. XXIIII.


COnducere proposito satis arbitror, si ad ea quæ de cõcupiscibili atq; irascibili differebam redeamus. Dixi concupiscibilem vim in ea tantum quæ delectant, & irascibilẽ in ea toto impetu ferri quæ labefactare videntur voluptatem. Hæc igitur ita se habẽt, sed altius ac intimius mente pergamus rẽ reconditam cognitu dignissimam, & ex Philosophorum ac Theologorũ arcanis deprompṫam accipito. Si concupiscibilis quod cupit assequatur, & voti compos fiat, repentè ex victoria gaudium innascitur, flammescit, accenditur.

tur. Si consequi nequit, aut si quicquam offendit quod offendat, tristitiam incurrit. Gaudiū & tristitia operationes non sunt, sed ab operatione necessariò profluūt, sicut palati delectatio non est ipsa cibi contritio, sed ex contritione, sicut lux ex sole, calor ex igne, & pulchritudo ex iuuentute cōsurgit, propterea etsi operatio ipsa in nostra est potestate, vt amare & odisse, positis tamen operationibus, delectatio aut tristitia, velimus nolimus, sensū inuadit, sicut in nostra est potestate ignē accendere, at cùm accensus est, velimus nolimus splendet & calet. Hinc Plato dixit animas fieri malas non sponte sed inuitas. Nā licet peccandi operatio sit libera, tamen habitus malus qui nobis malitię notam inurit, ex actione libera necessariò consurgit, & animam inuitam capit & irretit, ex liberis ergò actionibus q̄dē necessariò & naturaliter ꝓdeunt, vt passiones & habitus. Dolor igitur corporis & animi, tristitia, similiter gaudium, & delectatio, operationes nō sunt, verùm ex operationibus surgunt, Amare & odisse quod est voluntatis; Sēsisse, percipere, ꝙ spectat ad sensum operationes sunt, ex his oriuntur ea quæ prædixi,

mœror, lętitia, dolor & voluptas, quas latini pturbationes, noui Theologi pafsiones, Gręci πάθη dicunt. Et idcirco eos q natura vel more sũt rigidi nec vllis affectib. inflectunt qualcs legim⁹ Diogenẽ, Pyrrhonẽ, Heraclitũ, Timonẽ, ἀπαθεῖς, hoc eſt impturbabiles vocant. Nõ igitur in pturbatiõe actionis, ſed in ipſa actione peccatũ eſt. Si rẽ turpẽ amas, peccas. Delectatio & libido q̃ ex amore turpitudinis manant, peccatũ nõ eſt, ꝓpterea ſi ad flagitioſũ opus inuitus venias, q̃q̃ adſit voluptas, nõ tamen peccas. Si verò ad honeſtũ facinus vltro te cõferas, etſi non delectaris, tamen rectè agis, habes ergò in opere ſine triſtitia officiũ, & ſine omni delectatione peccatum. In opere igitur præcedente, non in affectione ſequente, laus & vituperium, virtus & vitium, lucrũ & damnũ.

Redargutio quorundam Theologorum de delectatione loquentium. Cap. XXV.



Inc ſequitur minimè verũ eſſe q̃ dicitur ad menſuram malarum voluptatũ torqueri malos in inferno. Sunt enim plæriq; quorum anim⁹ eſt ad peccata próptiſſimus

ſimus,ſed corpus ægrum, ex cuius habitu frīget appetitus,reſiſtit voluptati.Non ergò delectatio quæ pendet ex membris, ſed interior actio q̄ pendet ex animo,ratio pœnarum atq; menſura eſt.Locus autem Apocalypſis, quem allegant, ſic eſt exponendus. Quantū glorificauit ſe & in delicijs fuit,hoc eſt, quantū delectari ſtuduit,vel quantæ ſe delectationi expoſuit.Mos enim ſcripturæ eſt vt nonnunq̄ effectus ꝓ cauſa ponatur.Sic erubeſcere ꝓ verecūdari,excandeſcere pro iraſci,geſtire pro gaudere frequenter vſurpant.Hoc etiā ab aliquibus Theologis ſic enarratur,vt delectationem duplicem dicant,vnam quæ operationem antecedat, & hominē ad peccandum irritet: Alterā q̄ voluntas appetitu inardeſcēte,corrupta ex opere expectat vt ei fruendo ſe totam immergat.Huic ſecūdæ cōmenſurari aiūt pœnas, q̄bus contradicimꝰ ea ratione, ꝙ voluntas non ſemꝑ voluptatē q̄ optat aſſequitur. Non ergò Deus delectationi q̄ peccans percipit,ſed ei q̄ ex peccato ſperauit tormēta retribuit.Appetitusergò ſenſibilis vt cœpimꝰ enarrare ſi rē gratā offēdit,exultat &geſtit,ſi in qppiā ꝙ oſtē dat ,incurrit,mœrore deijcitur.Tūc iraſcibilis

pro concupiſcibili pugnans, quod nocet aggreditur, & ſi voti compos ſit exultat, ſin autem non poteſt triſtatur & languet. Nec quiſq̃ (oro) me redarguat, ꝙ in enarrandis his verboſior fuerim. Nam quę maior ſermonis virtus eſt, quàm vt apertus ſit? Adde ꝙ ii, vt Auguſtinus inquit, dicere nihil eſt aliud, quàm ꝙ animo contines auditori ſermone oſtendere, certè qui dicendo id nō conſequitur, vt intelligatur, dixiſſe non videtur, ſed iam ad cæ tera feſtinemus.

Quid ſit Virtus & vitium, & in quo ſita ſint. Cap. XXVI.



Abes iam quid vitiū quidve ſit virtus. Eſt namq; virtus in concupiſcibili ſeu iraſcibili habitus per morem acquiſitus, vires iſtas legi ſubijciens, & ad omne rationis imperium hominem ſemper prouocans & inclinans. Per morē acquiſitus indè dictum eſt, vt non putes virtutem moralem inſtar ſcientiæ à preceptore infundi, aut id virtutis eſſe quod natura ſua ſponte produxit. Sunt enim plæriq; natura, neq; ſcurræ neq; ruſtici, ſed

vrbani, sed id non est in eis virtus, at quædam potius naturæ felicitas ac Dei donum. Quòd Crassus auus Crassi qui à Parthis interemptus est nunquam riserit, Antonia Drusi nunquam spuerit, Pomponius consularis poëta nunq̃ ructarit, natura id præstitit, non virtus. Propterea id in eis, vt Aristoteles docet, neq; laude neq; vituperio dignũ fuit. At ꝗ Socrates semper eodem vultu neq; hilari nimis neq; turbulento visus sit, id in eo viro sapiẽtia claro virtutem existimo. Vitium verò in eisdem potẽtijs habitus est per morem inductus ad ea tantum inclinans, quæ sensui placeant & applaudant. Cùm assueuit ergò concupiscibilis parere rationi, consuetudo hæc temperantia est, qua suadente, consuetis homo abstinet voluptatibus, & à vitio quasi ab extasi in se reuersũ turpitudinis suæ pudet ac pœnitet. Est igitur bonus habitus animę sanitas, nam sicut corpus tum demũ benè valere à medicis dicitur cùm & rectè operatur & à cõtrarijs nõ facilè vincitur: sic secundum Philosophos atq; Theologos tum animus est incolumnis cùm secundum rationem agit & incitamentis malis non assentit, hoc per virtutẽ habetur. Virtus igitur

(vt ex sententia Platonis antè iam diximus) animæ sanitas est, ꝙ si sanitas est, & perfectio.

De quibus deinceps agendum, & quantum valeat ex arte certare. Cap. XXVII.


Vnt, Aristotele teste in primo secundoq; Ethicorum libris, in diuersis animę potentijs ꝓ ingenio & natura ipsarum, diuersi habitus speciesq; virtutum. Verùm posthabitis alijs, de his tantū agemus, quę in irascibili collocantur, quoniam hęc sunt, quę plurimum valent animi tui morbo conducere. De fortitudine ac patientia, de spe & longanimitate, de pseuerentia & fide subijcientes aliqua relatione digna, memorię iucunda, dulcia auditui, necessaria vsui. Has virtutes, si tibi conciliaueris, si familiares ac cōtubernales habueris, nulli⁹ hostis vim formidabis, ex omni ꝑiculo erueris, in omni certamine coronaberis. Nā cū ab initio sanctorū comites semꝑ extiterint & eorū stratagemata viderint, docebūt te certare legitimè. Quod quanti momenti sit, audi Paulū dicentē Non coronabitur nisi q legitimè certauerit. Certant illi legitimè q bellicę rei peritiam habent. Peritiam autem illi habēt qui

qui exercentur diu secundum artem, q̃ postq̃ transiuit in habitum, naturæ vim sic eleuat, vt par diuinitati nescio quid addat. Subijciam hic ex libro Vegetij de re militari primum caput: vt cognito quid in corporalibus bellis certandi lex valeat, certare spiritualiter tantò magis discas, quantò hominis magis interest vitia supare q̃ homines. Igitur eius hęc verba sũt. In omni p̃lio nõ tã multitudo & virt⁹ indocta q̃ ars & exercitiũ solet p̃stare victoriam. Nulla enim alia re videmus populum Rõ. sibi orbẽ subiecisse terrarũ nisi armorũ exercitio, disciplina castrorũ, atq; vsu militię. Quid enim aduersus Gallorũ multitudinẽ paucitas Rõ. valuisset? Quid aduers⁹ Germanorũ ꝓceritatẽ breuitas potuisset audere? Hispanos q̃dẽ nõ tantũ numero sed etiam virib⁹ corporũ nostris p̃stitisse manifestũ est. Aphrorũ dolis atq; diuitijs semper impares fuimus, Gręcorum artibus prudentiaq; nos vinci nemo vnquã dubitauit, sed aduersus hęc omnia profuit Tyronem solertem eligere, ius (vt ita dixerim) armorũ docere, quotidiano exercitio laborare, q̃cunq; in acie euenire p̃lijs possẽt omnia cãpestri meditatione prædiscere, & quotidiano

exer-

exercitio roborare, seuerè in desides vindicãdo. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit ꝙ se benè didicisse confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est. Rudis & indocta multitudo exposita semper ad cædem. Hæc Vegetius. Ex quibus constat ꝙ si tanta diligentia in spiritualibus bellis homines vterentur quanta in corporalibus vsi sunt Romani, quanquam sit homine diabolus & longi temporis experientia & ingenij perspicacia & motus velocitate præstantior, semper tamen victores essemus. Nam ꝙ habet minus à dæmone nostra natura, suppleret Deus ꝑ gratiã, si nostrã videret solertem industriã. Aristoteles in Ethicis, in virtutibus, inquit, scire ipsum parũ est, immò nihil, vti verò atq; exercere plurimum, immò totũ. Et ibidem contra ignauos inuehitur dicens: Sed plæriq; non ita agunt, verùm ad disputationes fabulasq; conuersi, putant se optimè philosophari, ægrotos imitati, qui verba Medicorũ audiũt quidem diligenter, faciunt autem nihil ex his quæ sibi præcepta sunt. Vt ergò illorum corporibus non benè erit, qui ita curantur, ita nec illo-

illorum animis qui ita philosophantur.

Quę sint arma spiritualia homini cum diabolo pugnaturo. Cap. XXVIII.


FOrtassè me miraberis q tibi quiescere volenti & pacifico homini proponam militiam, bellum persuadeam, & ad tyrocinij rudimēta sollicitem. Ad te reuertere, rationem consule, & videbis hoc esse salutare consilium. Putas ne te inter hostium castra victurum in pace? Animaduerte vbi sis, vbi cubes. In mundo, in carne constitutæ animæ, quæ quies, quæ securitas, quæ pax esse potest? Memor esto visionis beatissimi viri Antonij Abbatis qui in excessu mentis positus, vidit totū orbem laqueis impeditum. Tota scriptura sacra ad arma clamante, tibi persuades in pace viuere? Militia est vita hominis super terram dixit Iob. Ipsi sanctorum principes apostoli, & ipsorum primi Petrus & Paulus, & pugnandum nobis esse & pugnandi artem & armaturam docent. Petrus enim inquit, Sobrij estote & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanq̃ leo rugiens circuit quæ-

rens quem deuoret,cui resistite fortes in fide. Ecce bellandum dicit, hostē ostendit,periculum nunciat,arma demonstrat, sobrietatem, orationem,fidem:His armis cum diabolo est, non ferro nec funda, dimicandum. Hostis enim qualitas docet armaturā,aliter cum Gallis,aliter cum Parthis, aliter cum liberis, aliter cū seruis decernendum. Propterea Paulus ad Ephesios scribens admonet eos,cū quo sint hoste cōgressuri,Nō est nobis, inquit, colluctatio tantum aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarū harū,contra spūalia neqtię in cœlestib⁹.Aduersus igitur spūales hostes q certant ꝓ cęlesti hęreditate tollēda,spiritualia arma sūt habenda,& quęnā ea sint bonus armorū doctor Paulus expressit, ꝓpterea, inquit,accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo. Armatura Dei virtutes sunt, quibus munitus homo interior, non timeat à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Et subinfert, State ergò succincti lumbos vestros in veritate,hoc est, verè continentes estote.Nam

qui

qui in agone contendunt, ab omnibus abſtinent,& illi quidem vt marceſcibilem coronam accipiant,nos autem incorruptam. Lumbos ſuccingere eſt libidinem ac libidinis inſtrumenta velare,ligare, conficere. Vndè & ſuccinctorium dicitur veſtis qua pudenda velantur,à lumbis libido re & nomine deſcendit,dicit enim libido & lubedo quaſi lumbedo,ſicut libet & lubet,& vtrumq; apud veteres in vſu fuit.Vnde & equis libidinis pruritũ ineuntib' lumbos ꝑcutiũt.Et ſubiũgit, induti loricã iuſtitię.Eſt aũt iuſtitia q̃dã ꝑticularis diuiſa in diſtributiuam & cõmutatiuã, & hęc eſt quattuor cardinaliũ vna.Eſt & iuſtitia gẽeralis virt',ꝙ ſit totius legis obſeruatio legalis appellata,de qua dicitur ab Euripide,neq; lucifer,neq; heſper' ita mirabilis.Hęc igitur loricę cõparatur,q̃ armatura eſt& munimẽtũ corporis quale in antiquis Imperatorũ ſtatuis videmus,habens etiã cũ Numini additur,Meduſã in pectore nõ ocioſæ ſignificationis ſignũ, & de hac q̃ ęgis dicitur puto Paulũ intellxiſſe, lorica enim cum Meduſæ capite iuſtitiam non particularem ſed legalem ſignat:quę archa eſt illa Promethei in qua virtutes omnes incluſit

Heſi-

Hesiodus. Et benè numini attribuitur, ꝙ eam iustitiam habere diuinum sit. Propterea loco prædicto addidit Paul⁹, vt posſitis reſiſtere in die malo & in omnib⁹ perfecti ſtare. Perfectus enim non eſt, niſi qui animo iuſtitiam legalē, hoc eſt, omnem virtutē amplectitur. Huic loricæ, Meduſæ caput, id eſt, ſaxifica virtus inſcribitur, quia aſpectum viri qui omni virtute ſit preditus, abhorrent dæmones, & præ timore ſtupiditate contracta lapideſcunt. Et notandum ꝙ armaturam grauem Paulus inſtituit, cùm iuſtitiam legalem nominauit: Eſt enim duplex armatura, grauis & leuis, Hæc q̄dā arma, illa omnia continet. Qui leui vtuntur ferentarios, q̄ verò graui cathaphractos vocant. Quo innuitur, animum volentem de diabolo triūphare, omnibus armis muniri & cataphractum eſſe oportere. Subdit Paulus, Calciati pedes in præparatione Euangelij pacis. Quo præcepto imbuitur tyro ſpiritualis, vt omnes animæ vires quæ mouendi corporis funguntur officio, ſemper paratas habeat, & ad capeſſenda iuſſa diuina expeditas & promptas. Sic etiam à magiſtris rei militaris iuniores in primis ad gradum, ad curſum, ad ſaltum inſtruuntur,

untur. Et de Pompeio Salluſtius dicit, ꝙ cum alacribus ſaltu, cũ velocib. curſu, cũ validis vecte certabat. Nec enim aliter potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſe, & milites frequentibus exercitijs paraſſet ad prelia. Proſequitur Apoſtol', In omnibus ſumentes ſcutũ fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Cõtra diaboli tela flagrantia ꝑtendendum eſt ſcutum nõ cryſtallinũ illud Palladis quo cõtra Meduſam vſus eſt Mercurius, nõ ꝙ fabrefecit Aeneæ Vulcanus, ſed alterius materiæ, alterius artis, Tela enim diaboli nõ ſũt ignea, non ſunt fulmina, non ſunt Phalaricæ, nõ ſunt Malta, qua Comagene Luculli Romani fugauit exercitũ: Inuiſibilia ſunt tela, appetitũ ita ſuccendentia, vt homines illis ſauciati, ſeſe in mortem ſponte præcipitent. Illorum autẽ vim fides extinguit. Subiungit Paulus, & galeam ſalutis aſſumite. Galea quæ caſsis dicitur, munimentum eſt capitis, quo datur intelligi, oportere omnes ſenſus qui ſortiuntur ſedem in capite, defenſos eſſe memoria & deſiderio ſalutis æternæ. Sunt autem, vt phyſici volunt, ſenſus decem, quinq; exteriores qui omnibus patent, & interiores totidem, ſcilicet ſenſus

quem communē vocant, phantasia, imaginatio, æstimatiua, memoria. His ita vtendum, vt nihil imaginemur, nihil cogitemus, nihil in memoriam transire sinamus, nisi pium, honestum, salutare, diuinum. Idcircò decitur à propheta, Cogitatio sancta seruabit te. Turpes & immundæ cogitationes ministræ sunt Sathanæ, & quanquam animo blandiantur, cauendum tamen ab eis tanquam ab hostibus quorū tantò periculosior est hostilitas, quantò illecebrosior est calliditas. Arma q̄ hactenus memorauimus quandam patientiæ speciem ideò præ se ferunt, ꝙ sunt non ad offendendum idonea, sed magis seruandæ saluti nostræ & euitandis accommodata vulneribus. At quod addit Paulus, Gladius scilicet spiritus, quod est verbum Dei, ad fortitudinis naturam accedit, eius enim est, vt sæpè iam diximus, non pati solum sed etiam cùm oportet, iacturam inferre. Vno autē modo Verbum Dei est Christus, de quo Paulus ad Hebræos: Viuus est, inquit, sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionē spiritus & animę, qa diuidit appetitū à ratione. Alio modo quicq̄d inspirāte Deo sancti loquun-

loquūtur, eſt verbum Dei, quo gladio vſus eſt Stephanus cùm ſtaret in concilio contrà Iudęos. Propterea de Iudæis dicitur, diſſecabantur cordibus & ſtridebant dentibus in eum. Vſus eſt & ipſe Chriſtus, cùm poſt ieiuniū quadraginta dierum eſt congreſſus in deſerto cum diabolo. Exorciſtæ qui latinè adiuratores dicuntur, diuinorum verborum vires agnoſcūt, & eius præcipuè nominis, quod quia quatuor litteris ſcribitur, tetragrāmaton dicitur, pro quo nos dominus, Hebræi verò legunt Adonai. Qui ergò p̄dictis armis ſe munierit, erit ille fortis armatus, de quo Chriſtus dicit in Euangelio. Cùm, inquit, fortis armatus cuſtodit atrium, in pace ſunt omnia quę poſsidet. Sic ergò inſtructus ſtabis ad ianuam. Sunt autem ianua, ſenſus exteriores, atrium verò interiores. Conſcientiæ domum ita cuſtodies, vt ab hoſtili defendatur ingreſſu. Si in principio pugnæ fortiter feceris, & inſtar Torquati hoſtes deieceris arcem rationis oppugnantes, à rege noſtro breui coronaberis. Et vt de pugna magis quàm de pace cogites, paucis ita concludo. Tota hominis vita eſt pugna, vel ſeruitus. Dum tu pacem cogitas

vitia te impugnant, si nonpugnas, vinceris, si vinceris seruis, vita ergò est pugna vel seruitus. Quē pugnare piget, seruire oportet. Et si qui impij sunt qui pacem habere videantur, pax ista non est pax, quia nō est pax impijs, dicit dominus, sed habere pacē videntur, quia spōte seruitium ferunt, & se diaboli fecere mancipia. Dicat ergò anima mēbris corporis q̄ pugnæ diuturnus labor offendit, illud Maronis.

O socij (neq; enim ignari sumus antè malorum)
O passi grauiora, dabit Deus his quoq; finem.
Durate, & vosmet rebus seruate secundis,

Quo fine sanitas quęrenda est.
Cap. XXIX.



DIcturus de his virtutibus ne interdicendum tibi grauius subrepat incommodū, statui te paucis admonere, ne in eorum sententiam venias, qui cùm ægrotant, tanto desiderio sanitatis vrgentur, vt Hippocratis & Auicennæ remedijs non contenti, vsq; ad deliramenta vetularum & magicas incantationes insaniant. Accipe igitur hoc nostræ militiæ documentum & more Romanorum disce

in

in pace ita dimicare, vt cùm bellum ingruerit, non frangare. Quoties igitur iniucundi quid accidit, quod appetitum & sensum offendat, vt phthisis febris, morbusve alius (licet displiceat) toto conatu contine irascibilem, ne ad propellendum repentè consurgat. Consueuit enim temerariè niti & impetuosè rationē anteire & id Theologi surreptionem vocant. Antè igitur rationem consulito quæ est rectitudinis iudex, & in regno animæ Dei vicaria. Et an morbus hic ferendus, an abigendus sit inuestiga. Respondebit ratio Pythagoricū illud, Curandum est vt sit mens sana in corpore sano. Nam corpus animæ tanq̃ instrumentum à Deo tributum est, vt ad id quod ratio posceret se idoneum & obtemperans exhiberet. At cùm infirmū est, neq; in publicis neq; in priuatis negotijs seruit, & tunc animus corpore quasi compede quadam præpeditus, à naturæ & virtutis cessat officijs, fitq; contra naturam membrorum seruus, quæ moderari debet ac regere, Dicit enim Crispus, animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Rationis ista quidem probabilis est & æqua responsio, cui etiā Pauli apostoli ad Timotheum scribentis

consentit authoritas. Sic enim ait, Noli adhuc aquas bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Appetitus verò & ipse sanitatem suadet vt ratio, fine tamen differt. Optat enim sanari ac benè valere, non vt examussim & castigatè operetur, sed vt libidinosè ac licenter inquinetur, vt scilicet more canum ad vomitum redeat, more suis ad volutabrum luti. Sed hic est animæ oculus nequam, qui opus omne tenebrosum facit, neq; enim ad normā respicit, & ideò nequam est oculus, quia eius malus ꝓspect⁹, lim⁹ aspectat, strabo est, immò luciosus, nā in luce cęcutiens, videt in tenebris. Lux est virt⁹, tenebrę peccatū. In his q̄ sunt peccati, est circumspectus, oculatus & sagax, in his est Argus, in his est Tiphis, in his est Dædalus. In his verò quæ ad virtutem & sapientiam ptinent, iners, ignauus, marcidus, somnolentior Phoca, pigrior coclea, cæcior talpa. At rationis bonus est oculus, finem nanq; probitatis intendit, regulam semper tenens, & perpendiculum. Propterea & opus eius est nitidū, rectum, interpolatum ac lucidum, lucem non refugit, videri non metuit. At opus malū, tenebrarum

brarũ amicum, delitescere cupit, & in publicũ (vtpote suæ deformitatis conscium) prodire non audet. Timet occurrere Satyricis, Cynicis, veteribus comœdis, viris nomenclatoribus, tetricis censoribus, pudet appellari quod non pudet esse. In genijs nostris naturæ vis insita, virtutem in nobis depingit & vitiũ. Nam cùm de vitijs loquimur, contractis superciliis, frõte caperata, toruo aspectu, truculento vultu, verbis atrocibus fulminamus. Species hæc vitiorum. Sed cùm sermo est de virtutibus, ex intimis animæ penetrabilibus exit in faciem festiuitatis hilaritas, alacritas exit in verba quędam suauiloquentiæ, pulchritudo non fucata, quæ si perpenderis virtutis imaginem conatur exprimere. Accedit & famæ vulgare iudicium vitijs non parcens, quod ore non potest (more philomenæ) scripto promulgat. Sanitatem ergò, sine proposito quem ratio consulet, quærere est licitum, immò & debitum. Finem verò appetitus respicere, turpe ac inhonestum.

Quomodo quęrenda est ſanitas.
Cap.XXX.



Ed ita finis rectitudo non ſufficit, niſi modus quærendi ſit licitus. Licita ſunt quæ lege conceduntur, aut quæ non prohibentur. Omne quod peccatum eſt prohibitū eſt, & omnę quod prohibitum peccatum. Propterea vt pituitam cures, fornicari non licet. Nec audiendi ſunt medici, qui ad corporis ſanationem peccatum inducunt. Quę enim dementia eſt vt corpus mundes animam inquinare? id ſimile eſt vt argentū ſerues aurum amittere, ne veſtem amittas, corpus occidere. Legimus Conſtantinum Imperatorem graui quodam morbo laboraſſe, cui erat (medicorum iudicio) cruor humanus ſingulare remedium, quod optimus princeps Chriſtianis dogmatibus nuper imbutus cum audiſſet, abhorruit, & malle ſe dixit ſemper ægrotare q̄ tam immani remedio conualeſcere. Et quanq̄ hoc de Conſtantino non legerim loco ſatis idoneo, ꝙ ſcilicet eo morbo laborarit, tamen fidem facit Plinius qui in xxvj. de naturali

turali historia lib.cap.1. sic inquit. Dixim' ele phantiasim antè Pompeij Magni ætatem non accidisse in Italia,& ipsam à facie sæpius incipientem in nare primum veluti lenticula, mox inualescente per totum corpus maculosa varijs coloribus,& inæquali cute,alibi crassa, alibi tenui,dura, ceu scabie aspera,ad postremum verò nigrescente, & ad ossa carnes apprimente intumescentibus digitis in pedibus manibusq;. Aegypti peculiare hoc malum,& cùm in reges incidisset populis funebre,quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam.Sic Plinius.Quẽ locum citauimus vt id medendi genus olim in vsu fuisse constaret. Sed quod mox subinfert Plinius credi hoc de Constantino non sinit,ait enim,Et hic quidem morbus in Italia celeriter restinctus est.Si ergò tempore Plinij q sub Vespasiano floruit,erat iam restinctus hic morbus in Italia,simile veri non est Constantinũ eo laborasse, qui post longum tempus imperauit. Sed his omissis ad ea veniamus, vndè potest nobis impendere periculum. Prohibitæ igitur sunt incantationes, sortilegia ac superstitiones omnes quæ sunt simpliciũ vetu-

larum deliramenta,non deridicula ſolum verum & peſtifera ac graui cura coërcenda, Et ſi vim aliquam videntur habere non verborum, non ſignorum,non Dei vis illa eſt,ſed fallacium dæmonum nos vanis obſeruationibus illaqueare ſtudentium. Eſt in v.decretalium lib. caput,cuius initiũ eſt;Cũ infirmitas corporis, vbi duo in medicos decreta ſunt.Primũ vt pri uſq̃ ad infirmorum curam deueniant,eos admoneant,vt medicos aduocent animarum.Petrus Apponenſis vir magnæ, ſed nimiũ audacis temerariæq; doctrinæ, ſecutus Orphæum, Zooaſtrem,Porphyrium, Apuleiũq́ & cæteros damnatæ Magiæ ſtudioſos in conſiliatore ſcribit,incantationes ad infirmorũ curã conferre q̃ plurimum.Verũ quia in decretis Gratiani cap.xxvj.q.v. capite Non liceat,vanas iſtas ſtellarum & incantationũ obſeruationes videtur ſanctorum patrum damnare ſententia,Petro aſſentiendum eſſe non conſulo, ſi tamen verba ſint ſancta,fideliter & nulla ſuperſtitione prolata, vt ſymbolum fidei, & oratio dominica,nõ damnauerim, verũ ea cũ peccati ſuſpitione carebunt,nõ iam incantamenta ſed religioſa verba aut ſacræ p̃ces appellent̃.Eadẽ
quæ-

q̃stione in decretis capite vltimo, gẽmas herbasq; sanitatis gratia sine vlla incantatione deferre concessum est. Imagines verò astronomorum, characteresq; p̃ter crucis signũ penitus damnantur, de quibus etiam apud Thomã Aquinatem in secunda secundę parte reperies q̃stione. xcvj. cùm ocium lectioni vacare te sinet. Sed hęc breuiter dixisse volui q̃ hac nostra tempestate plęrosq; videm⁹ his malis artibus deprauatos, clàm inita cũ diabolo amicitia q̃ plurimos seducere, & grauissimis erroribus animas implicare. Nos autem quibus propositum est, nunq̃ à catholica puritate discedere, talia floccipendimus, eligentes nos magis ægrotare q̃ cum saluatoris contumelia sanos esse. Dãnari hæc etiã & irrideri videntur à Plinio libro naturalis historiæ. xxviij. cap. ij. iij. & iiij. vbi recitatis quàm plurimis huius curiosæ ac superstitiosæ vanitatis exemplis, in fine secundi ca. subiungit. Quap̃pter de his vt libitum cuiq; fuerit opinetur. Cætera igitur q̃ approbati Medici remedia docent, non solum aspernanda non sunt, verumetiam diligenti cura sumenda, Medicisq; parendum, si peritiã habeant medicandi, dicente scriptura

Hono-

Honora Medicũ, propter necefsitatem enim creauit illum Deus,& infra paululum. Deus creauit medicinam de terra,& vir ſapiens non abhorrebit eam. Cùm poſt maris rubri tranſitum veniſſent Iudæi in locum vbi fontes erant amariſsimi, Deus conſulenti Moyſi remediumq; petenti lignum indicauit, quod naturali vi ſua miſſum in aquas amaritudinem abſtulit. Poterat ſine ligno ſolo verbo ſuccurrere, ſed ne res naturales fruſtra feciſſe videretur, monuit (vbi opus eſt) fugiendum ad eas. His igitur quæ lex & ratio damnant prætermiſsis, ſic de corporis ſanitate curandũ eſt, vt quicquid agitur ad animæ ſanitatẽ referatur & ab animæ ſalute ſumatur exordium. Quod ſi contingat ſanari non poſſe (Sunt enim morbi quidam incurabiles) virum ſapientem æquo animo ferre decebit morbum, tanquam à Deo miſſum, qui nunquam percutit niſi vt ſanet, qui nos caſtigat vt meliores reddat & ex damno iacturaq; corporis profectum q̃rit interioris hominis.

De

De patientia. Cap. XXXI.



Ed iam ad fortitudinis & patientiæ tractatũ, vt promisimus, per compendium sermonis accedam. Mala quæ accidunt aut inferuntur, licet (vt antè dixi) repellere, seruata norma legis & rationis. Habitus in irascibili, qui ad hoc inclinat, fortitudo dicitur. Facit enim animũ ad subeunda pericula sublimem elatum atq; constantem, & quantum & quando oportet semper audentem, vt non secari, non vri, non amaris potari metuamus. Animos igitur ociosos excitat, excitatos erigit, erectos firmat & immobiles reddit, hæc in infirmo virtus tum optima est cùm saluti locus est, ita tamen ea vtendum vt frænetur irascibilis. Nam impatiens excandescit, & bile quasi bos œstro concitatur. Natura verò non statim, non in momento, sed tractu temporis operatur. At vbi sanandi spes nulla est, debet infirmus sese cohibere, & amuletum ferre patientiæ. Patientia ergò habitus in irascibili, q̃ non ad impugnandum ea quæ concupiscibilẽ offendunt & sensui nocent, sed ad æquo animo tole-

tolerandum inclinat. Ipsius nanq; irascibilis flammam extinguit rabiem sedat, furorē emol lit. Fit autem in nobis hic habitus, si aduersa mitissime & sine resistentia frequēter feram⁹, sic enim paulatim violenta hæc & immanissima fera potest subigi, frangi, ac domari, tantò q; est maior patientiæ q̃ fortitudinis virtus, quantò grauius ac difficilius est malis, nullo pacto, quàm rectè resistere. Fortitudo enim vt aiunt Iurisconsulti cū moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, sic se tuendo vt culpari non debeat, resistit, patientia nullo modo. Hinc Iacobus dicit, Omne gaudium existimate fratres cùm in varia tentamenta incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ, id est, dum aduersa patimini, patientiā operatur. Patientia verò opus perfectum habet, nam cùm habitus est inductus, tum demum perfectè operamur, non enim valet patiens nisi habitum habuerit plenè operandi. Iuuat nanq; habitus rationem & coniunctis viribus fortius enituntur. Scotus in tertiū sententiarum distinctione. xxxiiij. fortitudinem dicit genus esse, sub quo species collocanť duę. Vna qua aduersa repellēdo certamus, & hanc bellicositatē vocat. Altera qua

æqua-

æquanimiter ferimus,& patientia dicitur,atq; ita secundum eum non distinguitur à fortitudine patiẽtia, vt species à specie, vt homo à leone, sed vt species à genere, vt puta homo ab animali. Erit patientia bellicositate tantò præstantior, quantò appetitum magis infrænat. De his aliter ab alijs disseri & p̄cipuè à Thoma Aquinate nescij non sumus, sed more Academicorum nulli sectæ addicti ex vnaquaq; arbitratu nostro quod placet assumimus. Hæc de veræ patientiæ virtute tradita sunt. Est enim alia quædam malorum tolerantia q̃ virtus nõ est, vt in auarorum negocijs est cernere. de quibus Horatius inquit. Impiger extremos currit mercator ad Indos: Per mare pauperiẽ fugiens per saxa per ignes. Verum hanc duriciem rectius vocaueris, teste Augustino. Neq; enim verè patiens qui vt dicetur sustinet tot diuersa. Patiens est qui pro virtute, pro legibus, pro pietate, pro Deo nititur quicquid acciderit ferre, nec frangitur.

De

De gradibus patientię. Cap. XXXII.



Erum patientiam quæ virtus est excellentissima tres habere gradus inuenio. Vnum qui & perfectissimus est, illis attribuunt, qui aduersa non solum cum opus est ferunt, sed etiam quæsitum eunt, & quasi mercennarij opus vnde aliquid lucrentur inquirunt, & quod inquirunt inuento gratulantur. Horũ quoq; duo sunt ordines, Martyres quidam, Confessores alij. Fuerunt enim temporibus illis cùm in persecutione crescebat ecclesia, sicut sub Nerone primum, deinde sub Domitiano, & plærisq; alijs Imperatoribus, multi Christianorum, qui, aspirante Dei gratia, tanta fortitudine & patientia excellebant, vt tormentis cruciatibusq; tyrannorum voluntariè seipsos, cum latere possent, obijcerent. Secundus ordo confessorum est, quibus etsi tyranni pepercerunt, ipsi tamen sibi non parcentes, & in seipsos irati quod pœnitentiæ genus est optimum, crucem suã tulere post Christũ. Isti coràm hominibus modici ac humiles, sed Deo magni & excelsi sunt, illi de quibus in die iudi-

iudicij quando conſcientiarum libri proferẽtur, iudex viuorum ac mortuorum dicet, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Tunc in iſtos Chriſti paruulos ſæculi principes ac magnates qui modò theſauris incubant, horrea dilatant, mollibus veſtiuntur, ſplendidè conuiuantur, alterius interitum admirantes & præ triſtitia ſpiritus gementes, repetent illud Sapientiæ dictũ: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo cõputati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt? ergò errauimus à via veritatis. Et de hoc iam ſatis. Primus igitur hic atq; optimus patientiæ gradus eſt, in quo ſi Ludouicum Morbiolum conciuẽ tuum qui anno p̃terito functus eſt vita collocauero, quanq̃ multi ſint vt ſemper fuerunt qui iuſti ſimplicitatem derideant, non ero fortaſſè grauiter condemnandus. Secundus gradus eſt eorum qui non quæſitum eunt nec inuitant ad ſe mala, attamen cùm veniunt, benignè ſuſcipiunt, & reuerenter tanq̃ Dei nuncios amplexantur

xantur. Ex hoc numero fuisse Iob arbitror, cuius in patientia nomen est clarum. Ipse namq; cùm cladem audisset cœlum suspiciens dixit; Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. Huic adiungendus est Thobias qui cœcitatẽ oculorum tam patienter tulit, vt ab angelo curari meruerit. Tertium ac infimum patientiæ gradum illi sibi vendicant, qui mala neq; quærunt neq; cũ venerunt gratanter accipiunt, ingressa non eijciunt, secum patiuntur, grauatè ferunt, conqueruntur etiam: tamẽ sedata bile in Deum non elati mussando transeunt, & à vitio parum distantes in extremis patientię marginib⁹ sedent. Et hi sunt qui nostra hac ætate viri boni sunt. Vix restant nobis antiquæ virtutis istæ reliquiæ, & raris quidem in locis, vt periculum sit, ne & ipsæ quoq; breui collabantur.



SECVN-

SECVNDI LIBRI DE PATIENTIA CAPITA.

Quæ



BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE, TEOLOGI: DE PATIENTIA, Liber Secundus.

Quod patientia via est sanctorum ad cœlum. Cap. I.



His igitur maiore fide quàm eloquentia dictis velim te, vir præstantissime, paulò altius inspicias & abiectis sæculi curis, & spinis illis, quæ iuxta Christi parabolã, semen, hoc est, verbum Dei fructificare non sinunt excisis, teipsum intrinsecus quæras, iuxta illud Persianum, nec te quæsiueris extra, & cũ animo tuo rationem ponas, animaduertasq; in quonã patientiæ gradu sis constitutus. Quod si fortassè (quod minimè suspicor) à patientia te exclusum videris, scito te à sanctorum sorte separatum. Quotquot enim à mundi exordio ad nostram vsq; ætatem Deo placuerunt, crucis patibulum in mortali suo corpore portauerunt. Audi quid in psalmis dicitur. Propter

te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Item, transiuimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium. Paulus ad Hebræos de sanctis sic loquitur, Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circumierũt in melotis (quæ sunt pelles ouinæ) in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terrę. Sed quid ꝑ multa vagor? Nõne innocentissimus Abel quem iustum in Euangelio Christus appellat, primus omniũ sanctus, ab impio fratre Chain occisus est? Dauid quem secundũ cor suum Deus inuenit, vnxit & erexit, nonne regis Saul? Nonne allophilorum? nonne filij dilectissimi petitur insidijs? Nonne Esaias in duas partes sectus? Nonne Hieremias lapidibus obrutus? nonne Helias à Hiezabel fugatus? nonne Zacharias Barachiæ filius inter templum & altare occisus? Pro salute patriæ Iudas Machabæus diu fortiter ac animosè pugnans cum tota fratrum stirpe deletus est, sub Alexandri Magni

ſucceſſoribus, vt Machabæorũ teſtatur hiſtoria. Iudæi qui legẽ vereri & obſeruari voluerunt miſerè trucidati ſunt, inter quos Eleazarus vnus de ſenioribus ſcribarum, vir ætate prouectus, vultu decorus, vitæ ſanctitate venerabilis, cùm porcinam carnem contra legis inſtituta comeſſe cogeretur, maluit iuſtè ac religioſè mori, q̃ flagitioſam ignobilemq; vitam paulò amplius producere. Dum igitur in tormentis conſtitutus vicinam mortem videret, ſic exclamaſſe dicitur gemẽs, Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis, quia cùm à morte poſsem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores, ſecundũ animam verò propter timorẽ tuum libenter hęc patior. Fuit iſte profectò dignisſimus, qui in cœlum reciperetur, quoniam tam animoſè, tam fortiter terrenum hoc corpus pro lege Dei tormentis obiecit. Taceo Ioannẽ Baptiſtã, taceo Apoſtolos, taceo martyres, quoniam nota magis nulli eſt domus ſua. Ioſeph innocens à fratribus venditur. Suſanna deteſtabilem calumniam patitur. Daniel leonibus obijcitur. Sed quid plura? Terrena hæc habitatio malis eſt mater, bonis nouerca. Tu ergò Carole Antoni noli triſtari, im-

immò magis gaude, & gratias age, q̧ in hoc venerando cœtu tot sanctorũ, pari cũ eis sorte numereris, nihil hæsitans breui futurum, vt sicut cum eis fueris in pœnis, sic etiam cum eis in cœlis coroneris. Nonne meministi q̧ nõ sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Quod si meministi, cur tantum te maceras, cur mœrore conficeris? In hoc dolorum torculari premeris, vt fructum afferas, vt conscientiæ rubiginem exuas, vt cœlestem animum in cœlum attollas. Si dicat aurum argentario, cur me coquis? cur me cædis? cur me lanias? Nonne rectè respondebit, vt pficiaris, vt ad eam ad q̃ es genitum gloriam peruenias. Propterea scriptum est, Quem diligit Deus, corripit, & castigat omnem filium quem recipit. Est teste Plinio, quoddam aquilæ genus, quod halietũ vocant, hæc pullos mox vt nati sunt, contra solẽ statuit, quos fixa acie solem ferre posse viderit, seruat educandos, quos autem oculis conniuere, & radijs offendi depræhenderit, tanq̃ indignos vita eliminat. Nõ aliter ꝑfectò Deus nobiscum agit, nam quos videt in aduersis animo deijci, educare non curat, qui verò sub-

ſiſtunt ac durant, cuſtodit & nutrit. De quorũ numero fuit ille qui dixit, Propter nomen tuum deduces me & enutries me. Item, ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Et ipſe Deus apud Eſaiam de Iudæis conquerens, Filios, inquit, nutriui & exaltaui, ipſi autẽ ſpreuerunt me. Quàm diu enim benè viuendo Deo adhæſerunt (cum eo qui dixit, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Deo ſpem meam) tamdiu eos pauit & rexit. At poſtq̃ cum filio prodigo receſſerunt, ſubſtantię ſuę portione conſumpta, q̃a nunq̃ ad patrẽ redierunt, porcinis cibis ali, & in agreſtem naturam tranſire permiſsi ſunt.

Rationes philoſophorum, cur corpus humanum factum ſit fragile. Cap. II.



T dicet quiſpiam qui mundi huius harmoniam ignoret, cur humanum corpus tam fluxũ ac fragile fabricatus eſt Deus, cùm lapidibus & ferro tantam duriciem, reſiſtendiq; potentiam dederit? Quid huic reſpondebo? niſi quod apud Aulum Gellium lib. vj. Noctium Atticarũ cap. j. dixiſſe Chryſippum

ſippum in libro de prouidentia legiſſe me memini. Ait enim non fuiſſe principale naturæ conſilium, vt faceret homines debiles, ac morbis obnoxios, nunq̃ enim conueniſſe hoc naturę authori parentiq; omnium rerum bonarū, ſe cùm multa magna gigneret pareretq;, aptiſsima ac vtiliſsima per ſequelam adiuncta ſunt incommoda. Nam cùm ratione ſubtiliſsima Deus hominem fingeret, vtilitas ipſa operis poſtulauit, vt tenuiſsimis minutiſq; oſsiculis caput conpingeret. Sed hanc vtilitatem rei maioris alia quædam incommoditas extrinſecus conſecuta eſt, vt ſcilicet eſſet caput minus munitum, ictibus offenſionibusq; paruis etiam peruium ac fragile. Inde quoq; morbi ægritudineſq; conſecutæ ſunt. Hanc ſententiam contemplatus Auerrois in librum Ariſtotelis de anima dixit. Senſus in animalib' cauſã dediſſe breuioris vitę. Nã vt euidẽtius certiuſq; ſentiam',carnes oportuit eſſe molliſſimas, at molliora facili' offẽdunt magiſq; patẽt nocumẽtis, q̃ lignea duraq; corpora. Vtilitas igit hominis ad hãc operis qualitatẽ duxit artificẽ. Qua de re q conqueruntur (Conqueruntur autẽ ſoli imperiti) merẽtur ſenſu rationeq;

tioneq; ſublatis, in lapides & ligna conuerti, quorum naturam magis æmulantur. Finge ꝑ proſopopeian, quam poëtæ & prophetæ ſæpe vrſurpant, duos coram te ligni truncos humi iacentes interrogatos tibi reſpondere. Interrogentur autem quidnam eſſe malint, quam à fabro formã ſortiri cupiant. Reſpondeat primus Cytharam me facito. Alter in aratrum me dolato. Cytharæ ratio ſubtilitatem poſcit tabellarũ, corpusq; quod facilè lædi & confringi poſſit. Quid igitur ſi lignum, poſtquàm vt popoſcerat, Lyræ formam ſortitum eſt, de ſua fragilitate cõqreret, admittem⁹ ne hanc q̃rimoniã? an nõ poti⁹ obiurgabimus & ingratitudinis ac inſipientię truncum accuſabimus, q̃ opifici gratias nõ agat & formę nobilitati duriciẽ ꝑferat? Sic ꝑfectò de noſtra hac fragilitate ſeu, vt philoſophi dicũt, naturali impotẽtia q̃ vitaliũ opationũ ratio poſcit cõqueri hominis eſt ingrati ſimul & ſtulti. Quis enim mẽtis cõpos ſine his qppiam cõſequi ſtudeat, q̃ iuncta illi neceſſariò videat? hoc eſſet naturã velle ſubuertere, &, vt ita dixerim, exoptare ſolẽ ſine luce, terrã ſine mole, Mundũ ſine Deo. In hoc ſum⁹ ſapiẽtes, dicit apud Ciceronẽ Cato, quòd

quòd naturam optimam ducem sequimur, eiq; paremus. Subijcere libet, ꝙ Plotinus Platonicus vir excepta infidelitate diuinus, in 1. de prouidentia libro cap. xj. de huiusmodi senserit, Ait nanq; Quemadmodum artifex non omnia quæ in animali sunt efficit oculos, Ita neq; ratio fecit omnia Deos, verùm alia quidem esse Deos statuit, alia verò dæmones sequenti natura. Post hæc autem homines, animaliaq; deinceps, neq; id quidem inuidia sed ratione, intellectualem habente varietatē. Nos autem sic affecti sumus sicut imperiti picturæ, qui pictorem damnant, ꝙ non vbiq; pulchros æquè colores posuerit. Pictor autem vnicuiq; parti ꝙ eam decebat attribuit. Ciuitates quoq; benè institutæ non æqualiter in omnibus disponuntur. Præterea quisnā comœdiam, tragœdiamq; vituperet, ꝙ non omnes in ea sint heroës, sed intersit & seruus, & rusticus aliquis rudiori voce pronuncians? Poëma tamen non erit pulchrum, si quis indè tollat deteriores, hæc Plotinus: Quæ quia sunt nostris admodū consentanea subieci. Ergò duplex hominis natura cùm sit, vna omnibus hominibus communis, vt recto corpore esse, duas manus, duos

pedes habere, loqui, intelligere. Altera vnicuiq; propria, vt talis oris figura, talibus lineamentis esse fictum. Vtramq; & communem & propriam sapiens vir æquo animo feret & faciens ex necessitate (vt aiunt) virtutem, corporis deformitatem & damnum vertet in animi opulentiam atq; ornatum. Non ab re fuerit hic annotare quid in j. lib. Ethicorum de fœlice homine scribat Aristoteles, confert enim eum quadrantalibus seu tesseris, quibus in alueolo luditur, Græci cubos vocant, ꝙ videlicet sicut tesseræ quomodocumq; iactentur; sic semper in vnam partem incumbunt, vt & rectitudinem & immotam stabilitatē retineant: ita homo cordatus & vere sapiens quò res cunq; cadant, & in quamcunq; fortunā inciderit, feret optimè, ac per omnia omninò decēter. Quod si quotidianos casus sic ferre debemus, quomodo nón feremus etiam eos quos euitare communis omnium parens natura non potuit?

De quatuor corporis humoribus. Cap. III.



Vnt qui laborant bile atra, quã nostri Medici Græco vocabulo melancholiam vocant. Sunt qui parasina seu porratia vel etiam fulua (græcè χόλη dicitur) plus iusto abundent. Sunt qui phlegmate quam vocant latini pituitam suffocentur. Sunt quibus impedimento est superfluus sanguis, hæc (vt suprà diximus) ante primi hominis culpam, tanta harmonia continuata erant, vt ex ipsis neq; mors, neq; morbus neq; molestiæ quicquam emergeret. At soluta hominis in Deum obedientia, soluta est horum huiusmodi pax, dissipata cõcordia. Pituita prædominans synanchias, Melancholia quartanas, Cholera tertianas, Sanguis quotidianas febres facit. Hoc autem exempli gratia dictum sit. Nam multis & innumerabilibus penè modis humores isti à medio discedentes genera infinita morborum inducunt. Cholera, item fulua quia acuta est & ignea, repentinas iras tollit, & quasi nimbus æstiuus citò desistit, atra si iram concipiat, eius est pertinax & serò se cohibet. Qui illam

pati-

patiuntur iracundi vocantur, qui verò hanc, amari & acerbi. Sunt etiam qui atram cum fulua miſcuerint, & in his ſicut humorum, ſic & morum mixtura conſurgit, & medium locum tenent inter prædictos. Hippocrates vocatus ab Abderitis vt curaret Democritum ſemper ridentem, inuenit eum in agro auiculas exenterantem, & receptacula humorum iſtorũ veſtigantem, multum enim confert, & ad ſalutẽ corporum & ad mores humanos iſta cognitio. Et beneficio Medicinæ fieri poteſt vt quis in nouam complexionem, & per ſequelã in morum tranſeat nouitatem, ſicut in his patet qui bilem atram polipodio & helleboro, fuluam verò curant thure Pontico, quod pharmacopolæ reubarbarum vocant.

Quomodo complexiones diſtribuantur à Deo. Cap. IIII.

ET dicet iterum quiſpiam, cur hæc ita diſtribuit Deus, vt bilẽ Horatio, phlegma Heraclito, ſanguinem Socrati, melancholiam Oreſti tribuerit? Quænam ratio fuit ita diſpenſandi? caſu ne iſta an prouidentia vl-

la gubernantur? Reductus sum in Syrtes, quas prius effugeram, tentabo igitur breuibus verbis etiam hinc elabi, & si quid nouę mercis inuenero, poterit his quæ suprà diximus applicari, vt ex his duobus locis vna sententiæ veritas, & ex duobus capitibus vna disciplinæ fiat integritas. Magnæ (vt verum fatear) præsumptionis hæc quæstiò, cui Paulus Apostolus vas electionis vsq; ad tertium cœlum raptus sic respondet, Nonne habet potestatē figulus, ex eadē massa aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam facere? Sufficeret hoc dixisse, quia iudicia Dei abyssus multa, inuestigabiles viæ, & occulta consilia. Nec tantū debet hūana temeritas audendo procedere, vt ea cernere velit, quæ latere Deus instituit. Neq; enim domino gratus erit seruus qui penetralia atq; adyta cuncta, quæ in domo sunt, perlustrare tentauerit. Ea nanq; temeritas magis videtur explorantis insidias, q̃ serui officium præ se ferre. Sic licet, inquam, responderi posit, dicā tamen aliud balbutiens, & id Augustini fretus authoritate. Augustini viri sanctissimi & sapientissimi hæc est sermone breuis ac simplex, sensu verò lōga mul-

 tiplexq;

tiplexq; ſententia, quam Theologi noſtri ſæpè vſurpant. Sic Deus res quas condidit adminiſtrat, vt eas agere ꝓprios motus ſinat. Igitur ſicut anima in toto corpore ſic Deus ſemper operans in toto mundo vires naturis pro mucrone addidit, & operari eas inſtituit, immò inſtrumenta ſua fecit quibus cum Deo patre fabri filius vſq; modò operans vteretur. Has igitur vires nec operari impedit, nec operantes deſerit, ſed ſicut nauta nauim iuuat & dirigit, ille in portum iſte in finẽ, & quemadmodum ociante anima mẽbra ſopiuntur: Sic ceſſante Deo vt in igne Babyloniæ monſtratum eſt, omnis naturæ conatus inanis eſt. Immò ſi naturæ quas ipſe condidit, ne operentur ꝑ ipſum ſteterit, videri poterit confiteri, vel eas non rectè factas, vel ſe facturæ ſuæ pœnitere. poteſt tamen ſi vult, rarò tamen id vſu euenit, præter naturæ ordinem quædam & facere & ſuo arbitratu impedire. Ea quæ in cœlo ſunt ſydera ſeu ſint ignes vt Platonici, ſeu quædã quinta eſſentia vt Peripatetici volunt, non ſigna tantum rerum inferiorum ſed cauſas eſſe non dubium, id enim omnes Aſtronomi, id Ariſtoteles in Meteoris, id in ſecundum ſenten-

tiarum Theologi, id ipsi confitentur oculi nostri. Quis est enim tam hebete visu vt non videat sole discedente naturam mœrere, aues conticescere, frondes defluere, rursus ipso reuertente mundum exultare, terram aperiri, plantas reuiuiscere, omnia instaurari. Vires ergò syderibus datæ, terram & terræ nascentia sic afficiunt, vt hoc si comedas in bilem, illud in pituitam, aliud in sanguinem transformetur, quo fit vt homine varijs pro arbitrio suo cibis vtente, varietur in eo & stomachi & hepatis & renum, & per sequelam seminis quoq; & vuluæ complexio. Sinit ergò Deus pro seminum qualitate, pro dispositione materni vteri, pro cœli & stellarum aspectibus, pro ciborũ & dietæ natura, fieri complexiones hominum diuersas, & corpora nostra in infinitas ire differentias. Angeli verò qui rebus humanis à Deo pfecti sunt, miris modis ista vel suo vel Dei arbitrio moderantur. Horũ scientiam vocamus magiã naturalẽ, cuius Iacob nõ ignarus, ouiũ fœt9 colorabat in vtero. Et hic mod9 varia pcreãdi. Potest enim angelus quispiam tibi, nesciẽte te, psuadere, vt hoc magis q̃ illud comedas, vt cibis ita cõcoctis fiat coagulatio

certi seminis, vt hac magis hora coëas, vt mulieris vulua, quã Medici matricem dicunt, sit sic affecta. Quibus variatis, variari quoq; fœturam oportet. Cur autem in meam magis q̃ in tuam perniciem ista contingant, nescire me fateor: Qui autem causam dicunt, decorem vniuersi, nõ faciunt satis animo impatienti grauiterq; ferenti se cũ decore vniuersi dedecorari. Sed ignorata causa, ignorare nõ licet, hæc omnia ęquo animo ferenda, cũ vnicuiq; ꝑsuasum esse debeat, nihil à Dei numine sine recta ratione fieri posse. Sed sunt quidam non minus impij q̃ imperiti, tam arrogantes, tam proterui, tam insolentes & infruniti, vt velint naturarum omnium virtutes ac operationes, angelorum etiam ritus & officia propter sui pedis morbum immutari. Quod q̃ alienum sit à recta ratione, breui exemplo dignoscito. Si in Cythara ad concinnitatem redacta, neruus vnus conqueratur, & dicat se nimium tendi, rogetq; se parum remitti, quid putamus Cytharœdum responsurum, nisi, totius cytharæ magis, q̃ nerui vnius rationem habendam? Sic ꝑfectò Deus ordinem mundi & naturarum, ex quibus mundus constat, curã gerere & debet, & ge-

& gerit. Quod si contra nitaris, & obijcias, vniuersi ordinem opitulari singulis debere, nō obesse. Quemadmodum in optima rep. sic cōmune bonum administratur, vt singuli in pace sine iniuria viuant. Nec enim alterius rei gratia principes ac magistratus creantur, nisi vt singulis benè consulatur. Sicut de Solone Salaminio dicitur, q tanto prudentiæ temperamento leges Atheniensibus dedit, vt parem gratiam à Senatu & à plebe contraxerit. Quod si tantæ (vt ita dicam) conditura felicitas ab hominis potuit prodire consilio, quid humano generi præstare debuit Dei prouidentia, cuius est ad nostram nulla proportio? Nonne potuit & omnibus simul & singulis benè consulere? O homo bulla, qui nascendo moreris, & florendo marcescis, tantane contra authorē tuum surgis audacia, vt ei succenseas? vt velis in eum exercere censuram? Pone hanc vaniloquentiā, & recordare illi⁹ dicti Genesios, Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erant valdè bona. Sed an condere potuerit meliora, non defuere Theologi qui disceptarint. Concludamus ergò, nobis quidem à Deo benè consultum, sed quoniam (vt Aristoteles inquit) in-

tellectus noster in causas altissimas ita fertur, sicut nycticoracis oculus in lumen solis, non posse nos consilij diuini rationē scire. Et propterea dictum à Christo, Nescitis quid petatis. At dices iterum si naturarum ordinem & operationes violari nephas est, non licebit infirmo votis & precibus cum Deo de impetranda sanitate tractare. Cui obiectioni respondeo, licere quidem simpliciter, & modestè petere, & quod petitur, si datur, cum gratiarum actione recipi debere, si non datur, conqueri non licere, istorsum mea non in tendit oratio.

De Animæ libertate Cap. V.



Orporum hæc conditio. Animi verò natura libera, immunis, ingenua, ab ærumnis exclusa corporeis, nec cœlo regitur, nec elemētis seruit. Etsi propter appetitus connexionem (corporeis qualitatibus est subditus) in peius semp inclinatur, in manu tamē cōsilij sui est. Corpus naturalibus reb⁹ & Deo, Anima verò sibi & Deo subest. Propterea vtrumq; secudū diuersas translationes legimus

in psalmo. Latini sic legũt. Anima mea in manibus meis sẽper. Gręci autẽ sic ἡ ψυχή μου ἐν ταῖς χέρσι σου, hoc est in manibus tuis, id est, Dei. Nostrę tamẽ translationi cõcordant Hebræi, apud quos legitur Napsibe caphi, quod est, anima mea in manu mea. Plotinus in lib. de virtutibus, dicit animam non habere suprà se naturam nisi Deum, à quo (sicut luna à sole virtutem mutuatur, & lumen. Nec ab ijs multum dissidet, quod Aristoteles dicit in politicis, rationem, scilicet, principatu politico appetitui, corpori verò despotico imperare. Inter hos duos principatus hoc interest, quòd in despotico, hoc est, herili (nam Græci dominiũ Δεσπότιαν vocant) iugum seruitutis est grauius, sicut seruiuit Israël in Aegypto: Et hoc ius habet animus in corpus, in animam verò sicut & in angelos solus Deus. Vndè sicut & in Apocalypsi legitur, Ioanni ab angelo quem adorare volebat responsum est: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum. Sed in hac Dei seruitute summa libertas est, quia Deo seruire est cum eo regnare. In politico autem subditi aliquando possunt & contradicere principibus, & aduersari, sicut appetitus rationi. Hãc

etiã ob causam, spiritus promptus, & caro infirma vocatur à Christo. Corpus est igitur vile mancipium, animus autem semper & vbiq; principatur, corpusq; suum regit & possidet. At nos qui pro inscitia ac demẽtia nostra magis corpus q̃ animã colimus, concupiscentijs nostris illecti & abstracti, Deum subornare & pueriliter ac inepte supplicando, in sententiã nostram conamur attrahere. At sicut neq; pater filio semper indulget, sic neq; Deus nos semp exaudit. Propterea filijs Zebedei honorem ambientibus promisit martyrium, ac si diceret, vos salutis vestræ ignari ea tantum q̃ sunt corporis infantiliter petitis, ego autem q tanquam opifex figmentũ vestrum intelligo, & tanquam pater veram vestram salutem inquiro, corpore cuius natura caduca est contempto, circa ea quæ animi sunt laboro. Exuendę sunt igitur huiusmodi cogitationes. Deus vt nostri misereatur exorandus. Et in hoc maxime audiendus est Socrates, qui nihil vltra à dijs petendum arbitratur, q̃ vt bona tribuerent: Nos autem id plerunq; votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Ipse enim Deus fecit nos, & nõ ipsi nos, sub potẽti manu

eius humiliari nos decet. Ipsi enim est cura de nobis, & (vt Iacobus inquit) expectat à nobis fructum nostrum temporaneum & serotinum. Eum scilicet quem Maius, & quem september afferat. quæ sunt per metaphorum dicta, vt per hæc intelligamus, & eum fructum, quem adolescens adhuc in iuuenta, & eum quem ætas in occasum vergens, & in mortem iam inclinata producat

An distributio complexionum procedat à fortuna an à casu. Et quòd Aristoteles fortunam malè descripsit.
Cap. VI.



Ides igitur quæ sit complexionũ ratio diuersarum, quæ si patrem qui generat mortalem inspicias venient à Fortuna. Si verò angelos qui mundo præsunt, si ad Deum rerum opificem spectes, nec fortuna nominanda, nec casus. Id nãq; à fortuna factum dicit Aristoteles, quod efficiens, dũ aliud quippiam optat, effecerit: vt fossor si dum plantandæ vitis gratia scrobem facit, thesaurum reperiat. Thesaurus inuent' à fortuna dicetur, & ip-

ſa fortuna ipſe foſſor erit. At Deus, qui (vt inquit Auguſtinus) non aliter nouit facta quàm fienda, nunquam agere ſic poteſt, vt dum vnum intendit, aliud faciat. Hoc nobis argutulis ſed re vera parum cernentibus vt plurimũ hallucinãtibus accidit. Si enim foſſor theſaurum hic latere nouiſſet, iam non propter aliud, ſed ipſius theſauri gratia fodiſſet, eſſetq; theſauri inuentio non fortuita, ſed à propoſito fodientis inuenta. Propterea dicit Ariſtoteles, vbi maior intellectus, eſſe fortunã plærunq; minorem: quod ego pro captu meo ſic intellexerim. Intellectui, qualis noſter eſt, qui ſibi quæ euentura parũ videt, præter propoſitum multa contingunt. Nam fallax iſta rerum mobilitas, & inconſtans mundi fluctuantis ingenium, noua ſemper important, Et bona ac mala ſperata & inſperata promiſcuè ingerit, naturæ nunq̃ ocioſa fœcunditas, quo fit vt euenta plura ſint quã à nobis mortalibus præſcribi poſsint. Et hæc cauſa eſt vt in tanto rerum luxu quærenti vnum, aliud ſe offerat, ſicut in foro cùm nũdinę ſunt, in tãta plebis frequentia ignoti plures q̃ noti occurrũt. Si ergò dum Petrum q̃ris Ioannem reperias, id dicetur
fa-

factũ à fortuna. Animo igitur omnia intuenti diuino, nihil, plurima prospicienti vt angelico, pauca cognoscenti vt nostro, multa casu & fortuna contingunt. Non videtur tamen Aristoteles rectè fortunã descripsisse, cùm eam dixit causam p accidens. Licet enim is q dum colit agrum reperit thesaurũ, sit eius inuentionis causa per accidens, quia dum aliud facit istud offertur, non tamen est fortuna fossor appellãdus, nomen enim Fortunæ non ad significãdas has causas, sed ad longè aliud inuenit antiquitas. Deum enim Fortunam dixerunt, q́ dandi & auferendi ius haberet, & ei veteres gubernaculum & copiam appingebant, tali figuratione innuẽtes bona hæc terrena regi à Fortuna, iuxta illud Ouidij, Fortunæ cætera mando, Quæ iuuet, & melius, q̃ tu tibi consulat opto. Causam ergò quandam latentem & ignotam, vndè accidentium rerum subitus & inopinatus pdiret euent' dixere fortunã. Quòd si dicat Aristoteles, thesauri fortuitam effossionem, præter fossorem, causam non habere, & ideò fortunam fossorem appellandũ, id planè absurdum est. Nam apud sapientes confessũ est, in omni causarum serie causam per accidens

nunquam esse primam. Sed causas indagantem cùm talem inuenerit oportere altius speculari, donec causam videat quæ effectum norit & intendat. Hanc autẽ in stellis vbi fatũ collocant, quia ratione carent, non inuentam, quæremus in spiritualis natura substantiæ, quæ Deo & angelis bonis & malis est communis. Causam ergò talẽ arbitratu suo & temerè, vt aiunt, cuncta dispensantem fortunam indigitant, quæ profectò nihil aliud est nisi Deus & angeli in ministerium Dei creati, qui si aliquãdo vident dando aut auferendo temerarij, nihil tamen agunt inconsultè, sed est potius in humano intellectu cœcitas, & in iudicio hominum magis q̃ in operatione illorum temeritas. Causas huiusmodi immateriales & incorporeas quæ re vera mundum administrant, visus est Aristoteles, non curare, quòd nihil de eis exploratum haberet, & quòd id negocij suprà humanũ iudicauit ingenium. In hanc disputatiunculam me traxit prouidentiæ diuinæ reuerentia, à cuius authoritate subtrahi videntur quæcunq; fortunę tribuantur, fortuuæ, inquã, quæ quid sit nescitur, at cùm eam esse constat Dei prouidentiam, leuiùs patientia suadetur

& æ-

& æmulus quidam Deo ſubtrahitur. Sed ijs iã parcendum exiſtimo, ne in philoſophorum, q physici dicuntur, ſpineta te ducam. Socratica illa philoſophia vtilior, quæ vitam & mores inſtituit. Illa enim doctos tantũ facit, iſta verò & doctos & bonos.

In quo conſiſtat fœlicitas in hac vita contra Peripateticos & Stoicos. Cap. VII.


Ic fortaſſè quiſpiam dixerit, cur non ægrè, cur nõ moleſtè ferendæ ſunt ægritudines, cùm nos in hac vita miſeros reddant? Ariſtoteles enim, cuius tanta eſt apud omnes authoritas, vt ab eo præuaricari nefas putent, in Ethicis dicit, fœlicitatem humanam in virtutis operatione conſiſtere, ſed perfectã non eſſe, niſi virtuti animi, corporis & fortunę bona coniungantur. Cuiuſmodi ſint, corporis ſanitas, forma liberalis, honeſta familia, diuitiæ etiam quæ nobis familiæq; ſufficiant, amici quoq; optimi quibuſcum iucundè viuere & omnia cõmunia habere poſsimus. Et vt ipſe Ariſtoteles inquit, ſine amicis nullus eligeret viuere, etiamſi cuncta poſsideat bona.

At inter corporis & fortunæ bona(sic enim vocant ipsi bona externa)primum locum tenere videtur corporis sanitas,sine qua neq; amicorum congressus, neq; diuitiarum vsus, neq; bonorum splendor,neq; liberorum copia delectare tantũ sufficit,vt felices simus. Paucis ego respondebo, affirmaboq; Aristotelis humanam esse sententiam.Et propterea oportere eam sacris eloquijs cedere & veritati reuelatæ diuinitus.Non enim potuit ipse qui ad speculationem corporeæ naturæ se conuerterat,suprà incorporea oculos eleuare. Nec aliud felicitatis genus vidit,q̃ eius,quæ in huius vitæ turbinibus potest vel nullis vel certè admodum paucis accidere. Sed filius hominis qui de cœlo descendit nos ad alium finem genitos esse monuit.Ipse nimirũ ille fuit de quo inquit Ouidius. Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram, Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri,Iussit & erectos ad sydera tollere vultus. Consummata felicitas in hac vita si haberi possit, disputetur ab alijs.Certè apud nos definitum est à nullo adhuc habitam. Legimus omnium q antè nos fuerũt historias,Hebręas,Gręcas, Latinas, Barbaras.

baras: Qui fuerit in hac vita perfectè beatus reperimus neminem. Legimus infinitas hominum miſerias, calamitates, ærumnas, multorũ etiam domi & foris ſapienter dicta, fortiter facta, prudenter conſulta, verè beatum nuſquã inuenimus. Pli. lib. vij. Naturalis hiſtoriæ, cap. xlj. vna, inquit, fœminarum in omni æuo Lampido Lacedæmonia refertur, quæ Regis filia, Regis vxor, Regis mater fuit, vna Pherenice quæ filia, ſoror & mater fuit Olympionicarũ. Pherẽice iſta q̃ & Calliopatria dicta fuit, filiũ Piſithodũ in certamẽ olympiacũ pſecuta virili habitu quaſi pugil, cùm victorẽ agnouiſſet, ſupato aggere quo gymnici claudebant, nudauit ſe, & ad pœnã q̃ſita, q̀ Alphęum amnẽ tranſiſſet (id enim dieb' illis fœminis erat capitale) abſoluta eſt, datumq; id patris & fratris & filij verecundiæ, q omnes Olympionicę fuerunt, & hac cauſa induti q ſacris certaminib' p̃erant ſtatuerunt, vt ex eo tẽpore nudi adeſſẽt q ad ludicrũ id certamẽ cõuenirẽt. Vna familia Curionũ, in qua tres cõtinuè vna ſerie oratores extiterũt. Vna Fabiorum, in qua tres continui principes ſenatus. M. Fabius Ambuſtus, Fabius Rutilanus filius. Q. Fabius

Gur

Gurges nepos. Idem capite. xliij. Q. Metellus in ea oratione quam habuit in supremis laudibus patris sui, L. Metelli Pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitũ, quindecim viri, q primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit, decem maximas res optimasq; in quibus quærendis sapientes ætatem exigerent, consummasse eũ: Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorẽ, fortissimum Imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore vti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniã magnam bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & clarissimum in ciuitate esse. Hæc contigisse ei nec vlli alij post Romam conditã. Longum est refellere & superuacuum, abundè vno casu refutante. Siquidem is Metellus orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio, cùm Palladium raperet ex æde Vestæ memorabili causa, sed euentu misero. Quo fit vt infœlix quidem dici nõ debeat, felix tamen esse non possit. Sic Pli. Alterius Metelli qui huius nepos fuit mẽtionẽ facit, qui propter honores amplissimos cognomenq; Macedoniæ, à quattuor filijs illa-

tus est rogo, vno prætore, tribus cõsularibus, duobus triumphalibus, vno censorio, quæ singula quoq; paucis contigere. In ipso tamẽ flore dignitatis suæ à Catinio Labeone tribuno plebis, quem è senatu censor eiecerat, reuertens à campo, meridiano tempore, vacuo foro & Capitolio, ad Tarpeium raptus vt præcipitaretur, vix potuit à limine mortis reuocari. Et in fine eius capitis concludit dicens: Nulla est profectò solida fœlicitas quam contumelia vlla vitæ rumpit, & in humanæ fœlicitatis inquisitione persistens, nominato & excluso Augusto, qui propter amplissimã imperij dignitatem fœlix cùm non esset, videri tamen poterat. Duos subijcit, quos ad castigandam hominum vanitatem dij fœlicissimos iudicarunt: Phediam quendã, qui ꝓ patria proximè occubuisset, & Aglaum Arcadũ pauperrimũ, quem à Psophide vico Psophidium cognominant, cùm enim Gyges regno Lydiæ armis & diuitijs abundãtissimo inflatus animo Apollinem Pythium venisset sciscitatũ, an aliquis se esset fœlicior, Deus ex abdito sacrarij specu, Aglaum ei prætulit. Is ætate senior terminos agelli sui nunquã excesserat, paruuli ruris

fructibus & voluptate contentus. Cui sententiæ planè adstipulatur illud Sapientiæ. Melior est buccella cũ gaudio, q̃ domus plena diuitijs cum iurgio. Item illud psalmi: Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorũ multas. Et cap. xlvii. meminit cuiusdam Euthymi Pyctæ, hoc est, pugilis (pyctes enim pugil interpretatur) qui quoniam semper Olympiæ victor fuerat, & semel tantum à Thasio Theagene circumuentus dolo victus, iussu eiusdem oraculi & Iouis adstipulatu, pro Deo est habit' & cultus. Patria ei Locri in Italia, qui Epizephyrij dicuntur, apud quos erat ei statua, & Olympiæ altera, quæ ambæ vna die fulminis impetu consumptæ sunt. Hic teste Aeliano in lib. variæ historiæ viij. saxum ingenti magnitudine gestabat, qui Locris ostendebatur, & alio quàm cæteri mortales fato absumptus est. Nam apud Cecinum amnem qui Locros diuidit à Rheginis, ab oculis hominũ repentè disparuit. Hi sunt qui ex toto humano genere, ex tam infinita hominum multitudine, vt fœlices haberentur, electi sunt, de quibus illud Hieronymi dici potest. Quantis laboribus hæreditas cassa expetitur, minori promissa precio
mar-

margarita Christi emi poterat. Vera ergò Solonis sententia (quãq̃ ab Aristotele damnata) qui neminem in vita beatum existimauit dici debere. Cui consonat illud psalmi. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas domini. Nõ plus ergò quærenda est in hac vita fœlicitas, q̃ apud Gallos Roma. Apud Gallos enim nunq̃ ipsam vrbem Romam, sed viam quæ Romam ducat inuenies. Nulla igit emitur nec esse potest dum viuimus nobis alia fœlicitas quàm ad veram fœlicitatem vera via, quam qui tenet à mortalitate ac miserijs se asserere potest. Vita enim nostra si cum virtute & Dei gratia agatur, ad beatitudinem, si cum vitijs & Dei odio, à miseria ad miseriã est, & quãtò hęc vita laboriosior ærumnosiorq; est, modò iustitiã & pietatem seruet, tantò maior est futura fœlicitas. Audi nõ me sed Ioannẽ in Apocalypsi. Beati q lauant stolas. seu vestes suas, vt potestatem habeant in ligno vitæ, & p portas intrent ciuitatẽ. Stolas lauare est pœnitentiã agere, q̃ pdicationis Christi fuit initiũ. In ligno vitę potestatẽ habere, Christo, q est lignũ vitę in medio paradysi, est frui posse; Per portas intrare ciuitatẽ, est p mandatorũ

obſeruationẽ ad cœlum ire. Dixit enim Chriſtus adoleſcenti: Si vis ad vitam ingredi ſerua mãdata. Sed q̃d multis opus eſt, quando licet vno verbo concluderet? Res ita ſe habet, vera & compendioſa fœlicitas in hac vita nulla eſt alia niſi mandatorum Dei & Euangelicæ legis obſeruatio. Non diuitijs, non potentiæ intendendum eſt, Regnum Dei æſtimationem non habet, quantum exhibere potes, tanto emitur. Non opus eſt ſanitate, non liberis, non clientibus, non amicis, ſed Dei gratia, & virtute conandum eſt, vtrumq; à noſtro pendet arbitrio. Licet enim ſine Dei munere, neq; virtus, neq; gratia haberi poſsit, tamen vtrumq; ideò noſtræ eſt voluntatis, quia Deus bonorũ ſuorum liberalis ac magnificus diſpenſator, tantũ tribuit, quantum eſt quiſq; paratus accipere. Stat enim Chriſtus ad oſtium & pulſat, ad aperientem intrat, cum eo aſsiduè epulatur & habitat. Neq; Stoici cum duce ſuo Zenone, neq; Peripatetici cum duce Ariſt. rectè de felicitate ſenſerunt. Illi enim in virtute ſola, iſti in operatione virtutis eã collocant. Sed nos à Deo illuminati & edocti, virtuti operationiq; virtutum ſuperaddimus gratiã. Hæc ſi conſequi
potes

potes (potes autem si vis) licet amicis priueris, licet summa premaris inopia, licet in sordibus iaceas, licet insanabili morbo tenearis, felicitatem tamen habes, non illam quam Sardanapalus vir muliere corruptior, nō eam quam Cræsus & Attalus, non illam quam Salomon habuit dum corruptè vixit, sed eam quam Paulus, quam Petrus & alij habuerunt, q in tentationibus cū Christo permanserunt. Sed tandem postremo loco audi testimonium Christi, quo nullum maius excogitari potest, vide vbinam Christi iudicio præsentis vitæ beatitudo sit posita. Beati, inquit, eritis cùm vos oderint homines, & exprobrauerint ac eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis, gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlo.

De Synteresi, Ratione & conscientia, Cap. VIII.

PVlsatio Christi de qua dicitur (Ego sto ad ostium & pulso) nunquā intermittitur, die noctuq; perstrepit. Domus est anima, ostium voluntas, tres (quibus fit pulsatio)

ſunt mallei, ſynteresis, ratio, & conſcientia. Synteresis eſt animæ generale iudicium, quo, quid agendũ ſit naturaliter, in genere cognoſcit: Vt quòd colẽdus eſt Deus, quòd pater honorandus, quòd ſubueniendum miſeris, quòd ſemper in commune bonum aliquid conferẽdum, quòd humana ſocietas eſt ſeruanda. Hæc animi virtus, quia nunq̃ corrumpitur, Synteresis, hoc eſt, cõſeruatio dicitur à Græcis. Ratio ad ſingula deſcendens ſubiungit, hunc eſſe Deum, hunc eſſe patrem, hunc eſſe miſerum. Conſcientia ad opus properans, hunc igitur colendum, hunc honorandum, huic ſubueniendum eſſe concludit, diſcurſus iſte conſilium eſt, quod intellectus operatione perficit, & ex his colligitur ſyllogiſmus, q̃ à praxi, hoc eſt, ab operatione practicus dicitur. Ad primam vim nullo nobis opus eſt præceptore. Lumen eſt perpetuum naturali luce ſemper illuſtre, ſemper clarum, nec extingui poteſt, nec abſcondi. Hoc enim eſt de quo in pſalmo dicitur: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Ad rationem multũ curæ, multũ operæ impendendũ, falli nãq; facillimè poteſt, & ea decepta conſcientiam q̃ ſequitur, labi, decipi, & er-

& errare necessé est. Intellectus igitur triplex est malleus, quo ianua, id est, voluntas pulsatur, nam ad intellectũ tria illa pertinent: Pulsator est Deus, pulsat autem vt apperiatur, apertio est electio, hoc est, consultationi quæ præcessit consentaneus voluntatis assensus. Si quod cõscientia dictat, eligitur, patefactæ sunt ianuæ, & ingrediẽte Deo fit salus animæ. Recta voluntatis electio, domus est apertio. Gratiæ infusio, Dei est introitus. De hac Dei pulsatione Paulus ad Philip. cap. ij. Deus est, inquit, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate scilicet sua.

Quòd sine Dei custodia frustra laborat humana prudentia. Cap. IX.

AT dicet quispiam dum me infirmitas reddit inutilem, quis familię aderit? Quis liberorum necessitati occurret? Didicimus adhuc pueri versus illos Maronis in Georg. Vidi lecta diu ac multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret, sic omnia fatis
In pei⁹ ruere, ac retrò sublapsa referri. Respõ-

debo ad hæc sic breuiter, vt responsione non graue, sic prolixè vt voto satisfaciam. Ille custodiet qui semper custodit. Atqui dicit propheta: Nisi dominus custodierit ciuitatē frustra vigilat qui custodit eam: Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. An putas tibi filiorū tuorū maiorem curā esse q̃ Deo? Sed vide apud Esaiam cap. xlvj. quanta nos charitate suscipiat, quanta errores nostros patientia ferat, quanta nos fide custodiat. Ait enim: Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos, ego portabo, ego feci, ego ferā, ego portabo, & saluabo. Quomodo fieri potest vt sit in alicuius corde tāta duricies, q̃ diuinæ dignationis sermo tā pi⁹ emollire non possit? Quis animo tam stupido, qui audita per os tanti prophetæ diuinæ pietatis redundantia tanta, non putet ei suarum rerum curam esse? nō speret se mortuo familiam regi? At dices experimento didici eas familias pessum ire, quas nullus pater curat, nullus tutor regit, nullus œconomus administrat. At ego quoq; experimento didici, multas familias quibus aderant custodes, amici, curatores, pessum isse, interijsse & euanuisse. Vbi Priami do-

domus, quæ tum (cùm maximè viris opibusq; pollebat) igni ferroq; cōsumpta est? Vbi Neronis familia, quæ tum cùm cœlos tangebat à fundamentis est eruta? Vbi Longobardorū & Gotthorū principatus, qui postquàm ꝑ omnē ferè Italiam radices miserat, repentè conuulsus est? Vbi Carthago? Vbi Corinthus? Vbi Numantia? Vbi vetus illa Hierusalē? Vbi Romę gloria? Perierunt, in cinerem lutumq; cōuersæ sunt, nō quia defensoribus carerent, sed quoniā Deus custodire cessauit. Hector apud Maronem inquit. Si Pergama dextra, defendi possent, etiam hac defensa fuissent. At contrà, quis Romulum & Remum infantes, nudos feris expositos, omni humana ope destitutos seruauit inter lupos? Quis Hispanorum ducē Abidem ad feras proiectum? Quis Cyro infanti quem postea Persarum regem effectum, Christum suum Deus vocat, nutricem canē dedit? Quis istos custodiuit, nutriuit, & aluit? Quis Moysem fiscella inclusum, in alga iacētem, fluminis alluuioni expositum liberauit? Quis Petrum à fluctibus absumptum ne mergeretur erexit? Quis est ergò qui facit hæc? Nempè ille qui facit omnia. At dices. Cessabi-

mus ergò nos, ignaui iacebimus, faciet ille omnia. Ne sic dixeris. Audi quod sup hoc Gregorius sentiat, eius hæc verba sunt de Deo loquentis. Licet enim omnium bonorum sit ipse largitor, fructum tamen nostrę quærit industriæ. Finge liberis tuis esse nutricem, q̃ morbo confecta ac iam moritura filiorum tuorum vicem ingemiscens, præsente te clamet: Quis dulcissimi infãtes deinceps me vita functa vos pascet? Quis vestiet? Quis educabit & reget? Tu pater qui hæc audis nonne lamentationes has & vanas & superuacaneas dices? Nõne rectius loqueretur si diceret, deinceps vobis pueri melius erit, quoniam me abeunte sub paterna disciplina futuri estis, hactenus viuente me parentes, quia vos mihi crediderant, fortè negligentius vos habuerunt, at cũ abiero, ipsi oneri & curæ succedent. Recta hæc cogitatio sermoq; fidelis. Sic proeul dubio nobis accidit, Carole Antoni vir optime. Deus nobis pater est, longè plus nos amat, sapientius gubernat quàm nosipsi nos. Sed nostra temeritas finem non habet, fides nostra cœca est, spes nostra spiritu carens tanquam follis sine vento iacet. Frustra ergò dictum est: Iacta in
domino

domino curam tuã, & ipse te enutriet. Ergò tã surdi erimus vt non audiamus dominũ ad nos ex Euangelio Matthæi clamantem? Considerate lilia agri quæ nõ laborant neq; nent: Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus aut quid bibem⁹ aut quo operiemur? Nolite in crastinum solliciti esse, sufficit diei malicia sua, hoc est anxietas & sollicitudo. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Cur bonis mala eueniant philosophorum opinio. Cap. X.

PLatonici quidam in quorum catalogo Plotinus est, cur boni flagellentur à Deo, causam inquirentes ad Pythagoræ Palingenesiam recurrerunt qui ab aliquo dæmone persuasus se aliquando Euphorbum, aliquando pauonem fuisse putauerat. Existimauerunt ergò animas pluries in corporibus fuisse, & pro vnius vitę meritis pręmia in alia vita recipere, & sic fieri, vt quę vni corpori iuncta peccauerint in alterius coniunctione plectant, atq; ita iustè potuit ꝑ Euphorbi scelere pati Pythagoras, sed longè nobis aliena mens

est.

eſt.Palingeneſiam catholica nō audit eccleſia, præter eam de qua Chriſtus dixit,oportet vos naſci denuò,quod dictum admiratus Nycodemus princeps phariſæorum,quomodo,inquit, poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Sed de hac modò non eſt ſermo. Aſtronomi cœlo imputant.Vndè Manlius in iiij. aſtronomicon libro inquit

Fata regunt orbem,certa ſtant omnia lege,
Longaq; per certos ſignantur tempora curſus.
Naſcentes morimur,finiſq; ab origine pendet.
Tunc & opes & regna fluunt,& ſæpius orta
Paupertas,arteſq; datæ,moreſq; creati,
Et vitia,& clades,damna,& compendia vitæ.

Vulgaris & ſuperſticioſa gentilitas numina quædam aduerſa eſſe credidit quibus infeſtandi homines libido inſit,& ea eſſe quæ Virgilius læua appellauit.His nō contradicimus, ſed ad orthodoxę fidei regulā reducētes, læua hęc numina dęmones nominamus nocēdi auidos ac nobis infēſos,& ideò numina dici poſſunt quòd habent voluntatem ac poteſtatem, numen enim vtrumq; ſignificat.Sed ipſos cum ſtellis & cauſis omnibus quas ſecundas dicunt ſub arbitrio communis Dei optimi maximi

credimus contineri, quod & sancti Iob testatur historia. Illic nanq; dicitur potestatem tentandi à Deo datam, nec plus ausum fuisse diabolum nisi quando & quatenus accepit à Deo.

Sex causæ flagellorum nostrorum.
Cap. XI.

BEatorum verò patrum qui Deo inspirante locuti sunt sententia est, quattuor de causis fieri vt homines vitę huius angustijs pressi multipliciter flagellētur à Deo. Ego autem sex & amplius causas esse comperio, quod sacræ scripturę testimonijs constat. Quidam nãq; flagellantur à Deo vt flagitiosæ vitæ maculas pœnitentia deleant. Peccatum enim quod prudentia non cauet pœnitentia delet. Et ipsa vt sancti docent secunda post naufragium est tabula. Nã cùm statim baptizati matris ecclesiæ sinum ingredimur, quæ nos ad cœli portum vehat, nauem intramus, ecclesia namq; nauis est Petri. Sed si furentibus tentationum procellis innocentiæ carina soluta sit, corripienda est pœnitentiæ tabula.

Cui per vndosum sæculi fretũ innitentes, etsi non sicci, viui tamen feramur ad littus. Peccati autem remissionem littus voco. Sed quoniam in his naufragijs quidã vsq; adeò stulti sunt, vt neq; saluari curent, Deus optimus ac pijssimus nauarchus eos, vt tabulam hanc capiant verberibus excitat, neligentiam increpat, somnolentiam discutit, & lethargicam ignauiam studet pastor bonus flagris abigere. Hanc ob rem populus Hebræus missus est in captiuitatem toties, toties incola fuit in terra aliena, & in Aegypto sub Pharaonibus, & in Babylonia sub Assyriorũ Regibus, vt tot incommodorum malleis attriti & pœnitentiæ scobina ac lima expoliti sordere desinerent. Quod vt ita esse comperias lege Iudith historiã, vide quod Achior dux Ammonitarũ Holopherni de Iudæorum gente consultanti respõderit. Dixit nãq;, quotiescunq; pter ipsũ Deũ suũ alterum coluerũt, dati sunt in pdam, in gladiũ, & in opprobrium, quotiescũq; autem pœnituit eos, recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi. Ecce quo pacto alienigenarũ quoq; testimonio (erat.n. Achior alienigena) flagellat hominẽ Deus vt

ad pœnitentiā adducat Nec desunt ad hoc testimonia ex Machabæorum libro quem Iosephus is qui antiquitates edidit scripsisse dicitur. Ait.n. obsecro aūt eos qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescāt ꝑpter aduersos casus, Sed reputent ea quæ acciderunt non ad interitum sed ad correctionem esse generis nostri, etenim multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium, hæc ille. Legimus Attilam Hunnorū regem ferocissimū cùm tantis cladibus vastaret Italiam, dixisse se, quod re vera erat flagellum Dei esse. Legimus & in recentioribus historijs Tamerlanem Tartarorum (qui Scythæ sunt) regem, cùm rei bellicæ successu inflatus, Pacitatē Turcorum imperatorem bello captum quasi feram cauea inclusū, secum quòcunq; castra mouisset, circunferret, dicere solitū, se esse Dei iram & orbis vastitatem. Memoria proditum est Hannibali, cùm flagranti odio festinaret ad Italos, apparuisse in somnis serpentem horrendę magnitudinis, qui à tergo sequens exercitum, nemora & saltus ingenti fragore prosterneret, quid aliud erat serpens ille terribilis, q̃ Hannibal

nibal ipse cuius ministerio volebat Deus totius Italię punire flagitia?

Secunda causa flagellorum.
Cap. XII.


Eus etiam homines nonnunquam asperius tractat, non vt peccatorum rubiginem abstergat, quam non habent, sed ne imminenti sordesse inquinent, ea diligentia in nos vsus, quam nos in seruandis cibis adhibemus; solemus enim carnes quas sumus in plures dies seruaturi, aut sale perfundere, aut aceto immergere, aut frigidissimo in loco suspendere. Solebant etiam antiqui mortuorum corpora myrrha perungere, quoniam his omnibus contra putrefactionem virtus inest. Sic nimirum flagella diuiua contra futuram culpam singulari solent esse remedio. Hinc Paul', Et ne magnitudo, inquit, reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ spūs Sathanę q me colaphizet. Legisse me memini (locum non memini) quendam virum sanctissimum a dæmonio, quod suis tunc meritis ab energumino quodam expulerat, fuisse arreptum, & id pro

pro remedio factum à Deo, ne scilicet tantæ gratiæ miraculo elatus statum amitteret quē habebat.

Tertia causa flagellorum. Cap. XIII.



Aepenumero Deus profectui nostro semper intentus, sicut Aquila prouocans pullos ad volandū, vt nos altius prouehat, terrenis voluptatibus priuat, sic fit vt mēs q̄ in his humilibus terrę bonis cibum nō inuenit, sublimius (vt pascatur) ascendit, & hæc cū plærisq; alijs sanctorū, tū p̄cipuè diuo Hieronymo ad p̄fectionē via fuit. Hieronymus enim dum intēpesta nocte ad psalmodiam de more cōsurgeret, muliebrē vestē ab ęmulis clā suppositā nihil tale suspicatus induit, & in eo habitu dū strenuus Christi miles in ecclesiā sine mora se proripit, chorum cantantium ingressus patuit contumeliæ non vulgari, non tamen animo fractus, nec victus à malo, sed vincens in bono malū: Sapientia enim vincit maliciam, cùm S. Iacob cessit iræ, cessit insidijs, Hierosolymam perrexit, eremum incoluit, testamenta transtulit, & mirabilis vitæ sanctitate

clarus nonagenarius obijt. Sic & nos solemusq; aliquando euntem equum calcaribus, vt celerius gradiatur, vrgere. De hoc autẽ tentationis genere Gregorius in Ezechielem loquens ait. Quod flagellum grano, quod fornax auro, quod lima ferro, hoc facit tribulatio viro iusto. Item percutimur in via, ne viam pro patria diligamus. Et iterum. Tolerandi ergò vbiq; sunt proximi, quia Abel fieri non poteſt, quẽ Chaim malicia non exercet.

Quarta cauſa flagellorum. Cap. XIIII.



Atur etiã bonis aduerſitas, vt ad aliorũ pfectum p eas tanq̃ per indicem magis eorum pateſcat integritas. Ad q ostendendum duorum hominum clariſsima pferent exempla, Abrahę ſcilicit & Iob eius cõſanguinei, nam ſecundum Hieronymum in q̃ſtionibus hebraicis à Nachor fratre Abrahæ deſcẽdiſse Iob dicitur. In his ergò duobus viris illuſtribus duarũ virtutum maximarum & homini maximè neceſſariarũ exemplar, cui te cõformari oportet, eſt poſitũ, ad hos tanq̃ ad normã & perpendiculum reſpiciunt omnes q

Deo volunt perfectè obedire & æquo animo aduersa tolerare. Stabat lachrymabundus Abraam vnicum p̄clari ingenij & optimæ indolis filium adultum, sibi obsequentem, innocentem, pium, mansuetū, quo amisso prolis alterius spes nulla superat stricto ad aras gladio confossurus. Credimus ne saxeū pectus Abraæ fuisse? putare possumus super tam elegantis formæ filium, cùm tam patienter gladio porrigeret iugulum, paternæ pietatis viscera non commota? Magna certè & plusquā dici possit patris & filij fides fuit, fortitudo mirabilis constantia plusq̄ humana, patientia singularis & inaudita, hoc speculo delectatus Deus, totā posteritatem eorum vsq; ad aduentum Christi peculiari semper cura tutatus est, Iob verò patientia facta est miseris & ærumnosis commune refugium & magisteriū vniuersale dolentiū, in eo tanq̄ in Cebetis tabula describunt vitę nostrę casus, & quomodo ferēdū sit vnūquodq; aduersitatis genus ostenditur, & sunt qui putent librum illum non historiam veram cōtinere, sed parabolā esse & quasi figmentum q̄dam poeticū, eorsū inuentū, vt legētes tolerātię leges & iura p̄discerēt, sed re vera gesta

res fuit, ita nos ſentire cogit veneranda authoritas ſanctorum patrum & in primis Hieronymi, qui Iob poſt Moyſen & prophetas omnibus hagiographis anteponunt. Ipſe in tota libri ſui ſerie nil aliud conatur oſtendere, q̃ homines nõ ſemper ſuis meritis, ſed etiam ſecreto Dei iudicio aliquãdo & ſine culpa, nõ tamẽ ſine cauſa, flagellari à Deo, contra quod amici eius probare nituntur, plecti non debere hominem innocentem, & eum qui à Deo flagellatur de præcedenti culpa ex pœna redargui, q̃ ſenſus cum refragetur fidei orthodoxæ, erit à nobis tanq̃ quidam ſcopulus euitandus. Hæc autem omnia ad diſciplinam noſtram ſunt facta & ſcripta, ſicut in littoralibus, quas Pharos vocant turribus nocturnæ lampades accenduntur, vt portum nautis tempeſtate iactatis à longè oſtendant.

Quinta cauſa flagellorum. Cap XV.



Onnunq̃ ad ſolã Dei gloriam p̃cuti homines ſaluator oſtendit, cùm diſcipulis interrogantibus ſuo ne an parentum merito factũ eſſet, vt quidã cœcus natus eſſet.

Re-

Respondit eam cœcitatem neq; ipsum cœcũ neq; parẽtes peccando meruisse. Sed vt in manifesto & irreparabili naturæ defectu ars & virtus diuina lucesceret, sicut cùm percutitur animal quoddam vt Medici virtus & Medicinæ agnoscatur effectus. Sanctissimum igitur Iob imitat⁹, cũ ruit in te doloris acerbitas, cõuersis in cœlũ oculis dicas: Manus tuę Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me? memẽto quæso quòd sicut lutum feceris me, nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestiuisti me, ossibus & neruis cõpegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Hæc & his similia quàm plurima quæ in eo reperies, in doloribus repetens leuamen accipies, & quasi Iob socium habeas in pœnis, minus morbo tanq̃ in plures diuiso grauaberis. Et memento semper mortalis vitæ, quoniã breuis est, bona & mala citò prętérire. Et ideò cum Iob cantabo: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & cõteritur, & fugit velut vmbra, & nunq̃ in eodem

ſtatu permanet,& iterum illud. Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſsipatæ ſunt, noctem verterunt in diē, quia me inſomnem fecerunt, & rurſum poſt tenebras ſpero lucē, & item illud. Nunquid non paucitas dierum meorū finietur breui? Dimitte ergò me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Et ſimiliter illud. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulcrū. Hæc aſsiduè in languore cantanda ſunt, tum verò pacatis doloribus vbi quietum datur interſtitium, hæc iterum ſcrutanda adhibitis commētarijs & pacis tempore ea paranda, quæ poſſint bello ingruente prodeſſe.

Sexta cauſa flagellorum. Cap. XVI.



Vosdam aliquando Deus exaſperat vt in conſummatam eorū nequitiam pœnis æternis ſæuire incipiat, ex his fuit ille impius Herodes ſecūdus, q poſtq̃ vt placeret Iudæis Iocobum interfecit, 'cùm pateretur Deum ſe vocari, mox ira Dei compræhenſus

hensus est,& in vltionẽ tantæ impietatis vermibus cœpit toto corpore repente scatere, vẽtris doloribus concuti, dysenteria torqueri, & viuus adhuc poculo amaritudinis libabat primitias ꝑditionis. Pilatus quoq; in Christum peruerso vsus iudicio, eo tandem deuenit miseriarum, vt sibi ipsi manum intulerit. Iudæ Iscariotis exitum detestabilem, facinorosę cõsentaneum vitę, nemo est qui ignoret. Iulianus apostata homo nequam ac pessimus imperator, qui Christum Iesum in derisionem Galilæum & fabri filium appellebat: Persico bello sagitta transfixus, dum expiraret clamare coactus est. Vicisti, Galilęe, vicisti. Hos igitur nõ vt sanaret, verùm vt puniret Deus non Medici amplius beneficio, sed iusti iudicis percussit officio. His ergò atq; alijs iustissimis de causis Deus nos tentat. Ad peccandum autem neminem tentat, quia vt Iacobus inquit, Deus intentator malorum est. Sed cum quis ad peccandum inducitur, nunquam tentari se à Deo causetur. Nã sic vnusquisq; aut à concupiscẽtia sua, aut ab humani generis hoste tentatur. Quãto verò tẽperamento cõdita sit, & q̃ minimẽ noxia, immò q̃ vtilis & lucrosa Dei tẽtatio

mõstratur, cùm ad diabolũ de Iob dicitur: Verumtamen animam illius serua. Tuum igitur fuerit, ô Carole Antoni cùm à Deo tenteris aduertere, tibi nãq; soli inter homines & vitæ tuæ & cordis arcana sunt cognita. Deus tamen qui rebus omnibus est intimus, qui finxit oculum, qui plantauit aurem, qui totus est sensus, nunq̃ ab opatione deficiens, nõ solum quid egeris videt, sed etiã quid acturus sis, & quorsũ tuus vergat appetitus, & sicut sapiens architectus, qui à se constructę domus agnoscẽs vitiũ, alijs, etiam domino domus absconditum, fulcra supponit anteq̃ ruat, & quod architectus in opere corporeo, hoc Deus in animi fecit ędificio. Nam vt id posit, omnipotẽtia dedit, & vt velit, charitas fecit. Si peccatis implicitus hoc meruisti, gaude, quia solueris à diabolo, si non merueris, magis gaude, quia hoc q̄ sustines apponitur lucro, sed ea multo mitiora sunt tormenta, quæ non sunt solida & continua, sed dato ad quietem spacio reuertuntur. Propterea dixit Iob, vsq; quò non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam?

Quòd virtus quæ bonum virum facit, incrementum accipit ab aduersis. Cap. XVII.

Velim


Elim hoc audire nõ pigeat,& qui sunt in patientia fructus aliquantisper mecum perscrutari. Quid est ꝙ homines in primis,non cordati tantum, verumetiã rudes & plebei mirant̃ & laudant? Virtus nempè.Nã inter terrena bona nihil est certè virtute præstantius.Immò terrena bona sic præcellit,tanto interuallo antegreditur, vt cœlestibus bonis conferatur.Hinc illud Satyrici. Egregium sanctumq; virum si cerno bimenbri,Hoc mõstrum puero,aut admiranti sub aratro, Piscibus inuentis,aut fœtæ comparo mulæ.At quia virtutum quædam ad intellectum pertinẽt,vt prudentia,scientiæ & artes liberales,ac mœchanicæ:quędam ad appetitũ,vt iusticia,temperantia, fortitudo, dic iudicio tuo, quænam istarum præferuntur & præstant? Certè quæ intellectus sunt, bonis ac malis cõmunes sunt. Videmus enim aliquando morum corruptissimorum hominem præstare ingenio, liberalium artium locos callere,legum ænigmata & nodos scire,naturales & theologicas quæstiones soluere,de omnibus ita disserere,vt Deum credas.Sunt nãq; artes & scientiæ gratiæ (vt

aiunt) gratis datæ, bonis & malis expositæ, suapte natura quidem honorabiles, vt Aristoteles inquit in lib. de anima, sed vsum malum admittentes, & propterea nonnunq̃ habenti noxiæ, non habenti vtiles. Multi enim disciplinis imbuti, sed malè vtentes, tantò magis perniciosi sunt, quantò ad nocendum veniunt magis armati. At iustitiam, temperantiã, charitatem, modestiam, patientiam & id genus alia non nisi in bonis videmus, neq; eis quisquam abuti potest, habẽt enim istæ virtutes sanctissimæ propriam & indissolubilem bonitatem, quam eis quibuscum habitant largiuntur & ipsarũ natura est bonos efficere. Apuleij sententia est, nihil esse Deo similius q̃ vir animo pfectè bonus, id autem maximè p̃stant hæ virtutes, quas morales vocant. Sentẽtia est Aristotelis & eam omniũ confirmat opinio per virtutes intellectuales bonum qdem nõ simpliciter, sed secundũ qd dici. Vnde & q grammaticã habet non bonũ simpliciter dicis, sed cũ addito bonũ grammaticũ, sicut & q cautè furari sciat bonũ furẽ, at q iustitiam ac temperantiã habeat, q̃ sunt in appetitu, bonũ sine addito & simpliciter dicim⁹. His ergò virtuti-
bus

bus tāq̄ solidis q̄busdā clauis & firmis adminiculis naturā fragilē Deus fulciuit, vt morū bonitatē q̄ secū non attulit, hauriat ab eis. Sed neq; ipsas virtutes natura p̄duxit. Aristo. enim ait in Ethicis, Neq; à natura, neq; p̄ter naturā inesse virtutes, esse nos q̄dē natura aptos, p̄fici autē p̄ exercitiū. Id Aristot. dictū genus omne virtutis amplectit̄, exercitio enim omnes parātur. At de his peculiariter q̄ in appetitu sunt in psalmo cantat̄. Ibūt de virtute in virtutē, & videbitur De⁹ deorū in Syon. Propriū istarum est in Deū ducere, Deū ostendere, Deo cōiungere. At q̄ in intellectu sūt, naturalē impotentiā ad hoc habēt. Et hinc argumentū trahūt, q̄ in certaminib⁹ scolasticis sumūt patrocinium volūtatis, sunt enim in anima duo duarū capita factionū, intellectus scilicet & volūtas, quibus de p̄sidentia certamē antiquū est. Quoniā ergò hę virtutes q̄ alijs p̄sident in infirmitate corporis maximè pollent (dicēte Apostolo: Virtus in infirmitate p̄ficitur) fit vt desiderabilis sit morbus, quo cum Apostolo dicere posim⁹, cùm infirmor, tūc fortior sū. Et iterū, Libēter gloriabor in infirmitatib⁹ meis, vt inhabitet in me gratia Christi. Suscipiend⁹ ergò gratāter est

eſt morbus, in quo eſt occaſio tanti profectus, in quo eſt promerendi tanta opportunitas, tãtus vſus, tanta commoditas. Vnde in pſalmo legitur, Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, poſtea accelerauerunt. Quid eſt (poſtea accelerauerunt) niſi ad Deũ celeriter cucurrerunt? Eſt ergò infirmitas homini, quod calcar equo, quod ſtimulus boui, quod remus naui. Nobis vt plurimum accidit, quod & iumentis. Iumẽta cùm in via cibum reperiunt, voluptate pellecta trahere deſinunt, & paſtui tam diu inhærent, ꝗ̃ diu bubulci ſtigma non ſentiunt, tũ demum accelerant cùm verberantur, tum ſe viæ accingunt, tum itineri inſtant, cùm nihil ꝙ delectet, occurrit. Nam dum non niſi in termino quietem expectant, greſſu citatiore deſudãt, At ꝗ ſępius in via, ꝗ tardat, offẽdit, ad viæ finẽ ſerius ꝓgit. Heu quot inuenies, ꝗ diu mũdi blanditijs quaſi Syrenũ cantibus detenti, tũc tandẽ ire incipiũt, cùm iã mortis nocte ingruente, vita inuita venit ad veſperã. Iſti poſtꝗ totũ vitę tẽpus, ꝙ Dei beneficio ad benè viuendũ acceperãt, ꝑ ignauiã & ſocordiã effluxit, dum fruſtra vixiſſe ſe videt, mœrore tabeſcũt, in deſperationẽ cadunt, ſubmerguntur, & pereunt.

Quòd

Quòd prosperitas sit inimica virtuti: Cum declaratione dextræ & sinistræ partis in cœlo, pro Aristotele contra P thagoram.

Cap XVIII.



Aior mortalium pars cùm corpore rectè valet, mente ęgrotat, cùm succi & spirituum plena sunt mēbra, mens Deo vacua friget & torpet, dum sensuū viuacitas in terra se pascit, ægræ conscientię Deus non sapit, dū appetitui voluntas inhæret, ratio hebetata Deum non videt, dum homo Dei muneribus abutitur, iumentis insipientibus comparatur. Propterea in psalmo dicitur. impinguatus, dilatatus, incrassatus, & recalcitrauit. Immoderata nanq; prosperitas, vitæ lasciuienti præbet audaciam. Pisciculus quidam marinus, q̃ naues teneat, vocatus Echeneis, qui prætoriam Antonij nauē bello Actiaco fecit immobilē, prosperitatis naturā ostendit: Hac enim, sicut illo naues, magna virorum ingenia, ne in portum salutis per viam virtutis veniant, retardantur. Ratione colligimus, in historijs legimus, experimento videmus, cum maiore mo-

rum

rūm periculo nauigari mūdo tranquillo q̄ tē-
pestuoso. Ideò in psalmo dicitur: Cadēt à late-
re tuo mille, & decē milia à dextris tuis, eo q̄
dicūtur à dextris decē milia cadere, & à latere
tantū mille, latus ꝓ sinistro accipitur, ac si di-
cat Moses cui Hebræi psalmū attribuunt, ho-
mini vtrinq; casura ꝑicula, sed à dextris lon-
gè plura. Sicut enim, teste Aristo. in lib. de cœ-
lo & mūdo: Antè vocatur quà sensus vigent,
retrò quod è regione est, sursum q̄ longitudi-
nis est caput, ei verò oppositum deorsum, sic
quà motus incipit dextrū, & q̄ ab eo diuersum
est, sinistrum appellatur. Vndè ipse Aristote-
les contra Pythagoricos dextram mundi dat
orienti, sinistram occasui, sursum austro, de-
orsum boreæ, antè huic nostro hemispherio,
alteri retrò, hæc autē tetigim⁹, vt ꝑ latus ostē-
damus læuū intelligi. Sed in mystica interpre-
tatione (q̄ cum omnibus sacris scripturis, tum
maximè Mosi conuenit) ꝑ dexteram prospe-
ritas, per læuam verò signatur aduersitas, pro
milibus ergò periculorum, quæ nobis per vi-
am morum euntibus offert aduersitas, decem
milia dabit prosperitas. Exemplum ex vita
Dauid accipito, qui quàmdiu persequentibus
hosti-

hostibus bello attritus est, sanctimoniam tenuit, at vbi consecutus est pacem & ocium, factus est mœchus & adulter, & (quod longè peius est) homicida. In agro prosperitatis hæc pullulant, quæ breuiter Ioannes enumerat, cõcupiscentia carnis & oculorũ, ac superbia vitæ. Sed in agro aduersitatis succrescunt tristitiæ, dolores, & lachrymæ quibus appetitus quasi ager pruinis astrictus, nihil quòd bonas herbas opprimat germinabit. At cùm regnat lasciua ꝓsperitas, fumant culinæ, mensæ renident, pocula spumant, risus abundãt, corda luxuriant. Sed dices, quid ꝓdest nobis probitas, ad quam non mouet voluntas sed vrget necessitas? Audi Gregorium dicentẽ: O felix necessitas q̃ nos ad Deũ ire compellit? Nonne dici audisti setam filum agere, seta est timor, filum est charitas, cùm seruitio Dei quis assueuit, licet à metu incœperit, formatur depressum, & breui generatur ex vi voluntas, ex timore charitas, ex seruitute libertas. Qui ad Euangelicũ conuiuiũ intrare cõpulsi sunt, vt epulas gustarẽt, q tristes intrauerũt lęti discũbebant. O si aliquo Dei munere talẽ vitã agerem' sani, qualẽ aliquãdo pollicemur infirmi,

quanta esset in mūdo trāquillitas? quāta dulcedo? quanta iucunditas? Certè non aureum tantum sæculum, sed ætas illa floreret innocua, q̃ primi hominis culpa destruxit. Omnibus enim existentibus, iustis, pijs, mansuetis & mitibus, omnis discordiarū fomes occideret. At sepulta discordia, quid superest, nisi vt sit omnibus vna lætitia?

Quòd aduersitas tollat mortis metum. Cap. XIX.

EST & aliud quoddā magnum (nescio an aduertas) infirmitatis bonum. Nā liberat nos eo, quo maximè laboramus, incommodo, mortis scilicet metu, cuius memoria sic amarescit, vt etiamsi cuncta possideas, si vescaris semper ambrosia, quicquid gustatur, reddit amarum. At sicut cùm quis calceo nimium premitur, & si perbellè ac perq̃ venustè pedem vestiat, discalciari optat, Sic nimirū, cùm quis hanc vitā experitur aduersam, & sine spe salutis affligitur, pro singulari remedio mortem expectat, & nonnunq̃ inuocat, & ꝙ sera sit, increpat, contra se vrget, sibi etiam

etiam consciscit, vitæ ipsius contemptor & prodigus. Cato ille vir memorabilis, cui' in seueritate & constantia nomen est tantum, in Cęsariana tyrannide sibi aduersa nescio quid reperit, quod formidolosæ mortis metum extinxit. Idē antidotum contra mortis pauorem inuenerunt alij plures in aduersis, vt Cleopatra & Demosthenes, vt Hānibal qui quasi e medio calamitatum vnico obuiam iuerunt fato suo. Vnde & ipse Iob patientiæ exemplar, quem carnis infirmitas in vitæ satietatem adduxerat, clamat dicens, Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Et iterū, Quis det, inquit, vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, & qui cœpit ipse me conterat? Fœlix igitur ægritudo, quæ id à nobis aufert incommodū, quo quasi absynthio generali voluptas omnis è vita discedit. Gladius ille quem supra caput Damoclis conuiuantis Dionysius tyrannus appendi iussit, quid aliud notat, q̃ nullam relinqui cum metu mortis in vita dulcedinem?

Quòd aduersitas faciat seipsum cognoscere. Cap. XX.


Lia in morbo latet vtilitas, q̃ talis ac tanta est, vt ex ea nascatur fœlicitas, aperit enim morb' oculos ęgrotāti, & cōsideratione recipꝛoca se intuēs dū nihil videt vndè superbiat, sub potenti manu Dei se humiliat. Xenophon author est, Crœso ditissimo ac fortunatissimo Lydorū regi Apollinem Delphicū respondisse σέαυτον γινόσκων ἔνθαιμων κροῖσε περάσεις. hoc est teipsum cognoscens, felix Crœse eris. Hęc vox licet à mēdace (immò à mēdacij patre) prodierit, adeò tamē vera est vt per eam crediderit suæ falsitati posse veritatis vultum induci, diabolus nanq; ex paucis veris q̃ loquitur suo mendacio velamē obtendit, & falsis vera quasi mucronē hastæ pfigit. Vndè & Lactantius inquit, Venena non dantur nisi melle circumlita, & mala non nocent, nisi sub specie vmbraq; virtutum. Vera igitur illa vox est, Teipsum cognoscens fœlix Crœse eris, Nam cùm quis se diligenter explorat, & quid & quanti se æstimat, continuò ad Deum cum Iob clamat, Contra folium q̃ vento rapitur ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris? & ego quasi putredo

do consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea. Et iterum, Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est, Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et item illud, Si sustinuero (id est, etiamsi patienter omnia tulero) infernus domus mea est, hoc est, in sepulcrum iturus sum. Moritur enim iust⁹ pariter & iniust⁹, & in puluerem redit omnis caro. Et profectò cum S. Iob dicere possumus, comparatus sum luto, assimilatus sum fauillæ & cineri. Nam & in psalmo dicitur. Recordatus est quoniā puluis sumus, homo sicut fœnū, dies eius sicut flos agri, sic efflorebit, quoniā spiritus, id est, anima pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Nā per mortem sic de locis ac domibus nostris eijcimur, vt quia nunq̄ amplius redimus ea ignorare videamur: Et in alio Psal. Relinquunt & alienis diuitias suas, & sepulcra illorū dom⁹ illorum in ęternū. Et in alio, Ecce mēsurabiles posuisti dies meos, & substātia mea tanq̄ nihilū antè te. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuēs. Omnia nāq; q̄ in hac vita posſident vana sūt, & omnis hō viuēs van⁹ est. Subdit enim,

thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Et Iacobus apostolus inquit. Quæ est enim vita nostra? vapor est ad modicū apparens. In duorum primorum fratrū nominibus monstrata est totius posteritatis futura conditio. Cain enim interpretatur possessio vel lamentatio. Abel verò vanitas vel luctus. Quia his appellationibus ostenditur, nisi possessionibus hominum lamenta coniungi, & omnia cum luctu & vanitate collabi. Item in psalmo dicitur: Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. Sequitur, Anni nostri (hoc est, vitę cursus) sicut aranea meditabuntur. Vita enim nostra dupliciter meditatur vt aranea, & quòd sēper aranearū more meditamur insidias, quottidieq; ad opes & ad honores mille retia tēdim⁹, & ꝙ opera nostra, sicut aranearū telæ fragilia, modico quouis vēto dissipātur. Cùm enim credimus in portū nostra traxisse negocia, quicquid diu nitendo cuderamus leuissimi rumusculi aura, & vnius verbi voce demergitur. In eodem psalmo sequitur: Dies annorum nostrorum in ipsis scilicet diebus septuaginta anni, in vita nostra omnino septuaginta vt plurimum anni sunt, si autem
in

in potestatibus, hoc est, si de potētibus & corpore robustis loquimur, octuaginta anni, supple sunt in diebus nostris, nec huic sententiæ contrariū est quod dicitur in Iesu filio Sirach. Omnis potentatus vita breuis. Psalmus enim vt diximus de potentia corporis & membrorū firmitate locutus est. Iesus autem de potentia principatus intelligit. Sequitur in psalmo. Et amplius, hoc est si diutius superuiuamus, quod superest, vitæ labor & dolor est. Hoc est quod poëta clarissimus inquit.

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus
Et labor & duræ subit inclementia mortis.

Conditionē hanc mortalitatis nostræ miserrimam, quam sani corpore clausis vt plurimum oculis pertransimus, quoniam ægritudo semper antè conspectum nostrum & è regione ad oculos nostros collocatur, profectò sanctiorem sanitate, vtpote cuius sanctiora sunt monita, & quæ est infirmo profectus occasio. Propterea dictum in prouerbijs. Melius est ire ad domum luctus q̄ ad domum conuiuij.

Quòd aduersitas fert auxilium virtuti. Cap. XXI.

I vim & naturā virtutis inspicimus, si legum & rationis memores sumus, vt debemus esse, solliciti ne libido in nobis dominetur, & vt appetitum redigamus in ordinem, aduersitatē in primis amabimus, cuius ope, vt est antedictum, efficitur, vt sensus obediat rationi. Est enim aduersitas domitrix passionum. Passionem definit Damascenus, ꝙ sit motus appetitiuæ virtutis sensibilis, cum imaginamur bonum vel malum. Tantam ꝗppè imaginationi nostræ constat vim inesse, vt cùm primū boni & mali ꝗppiam apprehenderit, fiat in appetitu tanta cōmotio, q̄ totū animalis corpus afficiat, & cor primū. Nā sicut ex sentētia Platonis intelligentię cerebrū, & nutritiuę hepar, sic appetitus cor est instrumentū. Vndè in lętitia hiat & aperitur, in mœrore coit & comprimitur. Quicqd ergò nos, cū imaginamur delectat vel cōtristat, passio dici potest, q̄ in parte animę cognoscere nō est. Nā ipsa cognoscēdo ꝙ cupit assequit, q̄a pter notitiam nihil aucupatur. Appetit⁹ autem notitia nō cōtentus tēdit vlterius, nec qescit donec amatę rei se cōmisceat, infanti psimilis, qui sedari

nullo

nullo modo poteſt, donec in matris feratur amplexum. In idem redit à Cicerone data definitio de affectu, quòd, videlicet, ſit animi & corporis ex tempore aliqua de cauſa mutatio, vt ſunt gaudium, lętita, miſericordia, cupiditas, metꝰ, moleſtia. Quę modò affectꝰ, modò pturbationes vocãtur. Affectiones iſtas virtus quidem comprimit, ſed magis aduerſitas. Propterea cùm nobis hoc bello laborantibus ſuppetias venerit abigenda non erit, ſed vt belli ſocia amplexanda.

De vitanda Nemeſi. & quid ſit ſecundum Ariſtotelem. Cap. XXII.

EST locus quidam ſalebroſus & lubricus, qui quàm periculoſus ſit hinc declaratur, quòd Dauid in eo timuiſſe ſe dicit, & parum defuiſſe quin rueric. Ait nãq;, mei autem penè moti ſunt pedes, penę effuſi ſunt greſſus mei, ecce periculũ: Et ſequitur, Quia Zelaui ſuper iniquis, pacem peccatorum videns, ecce locus periculi. Zelamus cum bona malis euenire dolemus, nam græcè dicitur iuſta ira. Inde Zelotypia, id eſt formæ æmulatio quam Chryſippus ait eſſe animi æ-

gritudinem, indè natam, quòd quis timeat ne commune fiat quòd sibi pro delitijs proprium optat, sed ad Zelum redeo. Aristo. hunc affectum libro ij. Ethicorum νέμεσιν vocat, & inter duo extrema, sicut natura virtutis est, collocat, hoc est, inter inuidiam & maleuolentiam, vt Argyropolus, vel peruersum gaudium, vt transfert Leonardus. Est autem vt scis inuidia ex alieno bono nata tristitia. Maleuolentia verò contra inuidiam ex alieno contrahit malo lætitiam, illa bonum videt, ista malũ respicit, Et vtraq; contra naturã afficitur, ista gaudio, illa mœrore, ambo ergò vitia detestãda. Inter ista duo Nemesis est quæ bona peruersorum intuta conturbat, & nõ potest ægrè non ferre, quòd his qui virtutem oderunt, legem irrident, Deum offendunt, sit tanta felicitas vt eos adire nolit aduersitas. Vnus ex multis proferatur, Dyonisius Syracusanus, qui Locris phano Proserpinæ spoliato, quum per altum prospero vento classe veheretur, ridens, amicis videtis ne ait, quàm bona nauigatio ab ipsis dijs immortalibus sacrilegis tribuatur. Quoniam igitur iustum videtur contra hos indignari, Nemesis pro virtute se ingerit quæ tamen nõ
virtus

virtus sed est virtuti similis affectus. Caue ergò ne, cùm hmōi hominibus passim occurris, conscientiæ tuæ nauiculam sinas vento temeritatis huc pelli, nam iudicia Dei abyssus multa. Optimas fruges nobis recondimus, viles & abiectas vel non legimus, vel si legimus cicuribus damus. Potentia, honor, diuitiæ, bona plebeia sunt, hæc etiā hominibus (qui brutalem vitam agunt) tribuuntur. Deniq; verū est id quod ad Falconē cùm Romæ essem scripsi, hoc disticho. Plurima virtuti laus hîc, at præmia nulla, Nam Deus illius præmia solus habet. Sed concedamus & hæc bona esse cùm Dei sint, quia domini est terra, & plenitudo eius, nonne potest Deus dare denarium etiam his qui vna hora fecerunt immò etiam ociosis, sicut etiam illis qui diei & æstus pondus portauerunt? Dei natura est esse beneficum, solē suum oriri facit super bonos & malos, Medici est omnes curare. Nec debes ei indignari, cū in plagas mali hominis bonam medelā infundi videris, Medicus enim licet infirmis malus sit, boni tamen viri officiū facit, & quemadmodum apud dialecticos ex veris & falsis verum sequitur, sic apud morales circa bonos &

malos bonum opus vertitur. Sunt tamen nonnulli quibus tam imprudens & præceps est animus, os verò tam temerarium & infræne, vt cùm malorum prosperitatem aut audiunt aut ipsi vident, Deum dormire, aut humana nõ curare, mox blaterent, de quorum errore detestãdo quid dicã ad præsens aliud nõ habeo, nisi illud Horatij. Cœlum ipsum petimus stultitia. Neq; ꝑ nostrũ patimur scelꝰ Iracunda Iouem ponere fulmina, & illud psal. Posuerunt in cœlum os suum & lingua eorum transiuit in terra, quod est, vna temeritate loquendi, diuina & humana simul inuolui.

De generibus filiationis cum declaratione dicti Euangelici. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cap. XXIII.



Vere plæriq; vanitatis humanæ studiosi, qui authoritatis aucupãdæ gratia, filij Deorum credi voluerunt, & in primis Alexander Macedo, Philippi filius, qui cũ ad templum Iouis Harenarij venisset in Libyam, præmisso, qui sacerdotes subornaret, nuncios

Iouis filius voluit salutari. Sed quid nosipsos decipimus, dum cupimus vocari quod non sumus? Et vt Hor. inquit. Cur ego si nequeo, ignoroq;, poëta salutor? Breuis & expedita ad gloriam via est, quam Socrates dixit, vt, scilicet, quales haberi volumus tales simus. Docebo ego te quo pacto filius Dei fias, id enim & optandum, & factu posibile. Ioannes Euangelista, dedit, inquit, eis potestatem filios Dei fieri. Filius autem multipliciter dicitur, nam qui ex substantia patris ad eiusdem naturæ æqualitatem est genitus, naturalis dicitur filius, vt Salomon Dauid. Dauid Iessæ. Christus Dei. Per adoptionem etiam & arrogationem fit filius. Hæc autem ita differunt, quòd adoptamus eos qui filij sunt familias. Arrogamus eos qui sui iuris sunt. Arrogare igitur est quenquam in filium ac familiam asciscere. Et arrogatio ideò dicta est, quòd is qui asciscit interrogatur an velit illum iustum sibi filium esse, & is qui asciscitur rogatur an id fieri patiatur, vel quòd arrogatio per populi rogationem fiat, cuius hæc verba sunt. Velitis, iubeatis vt Natan ipsi Dauid tam iure quàm lege filius fiet, quasi ex

eo patre matreq; familias eius nat⁹ esset, vtriq;
ei vitæ necisq; in eum potestas fiat, vti pari-
endo filio est. Ita, vt dixi, Ita vos Quirites ro-
go. Adoptio autem fit per Prætorem. Prima
apud homines filiatio fit ex sanguinibus &
voluptate carnis, duæ aliæ ex voluntate viri.
Sed qui ex hominibus in filios Dei volunt
asciſci, neq; ex sanguinibus, neq; ex voluntate
carnis, neq; ex voluptate viri, sperent id fieri.
Nunq̃ inuenitur quod non per suam viã quę-
ritur. Quo autem pacto id fiat, ad Rom. scri-
bens Paulus explanat. Qui spiritu, inquit, Dei
aguntur, hi filij Dei sunt, neq; enim accepistis
spiritum seruitutis iterum in timore, sed ac-
cepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo
clamam⁹ abba, quod est pater. Ac si dicat. Qui
Deum non vt serui herum timent, sed vt filij
patrem amant, tam effectu operis quàm affectu
cordis, hi quia spiritum Dei habent (qui est in
generatione spirituali quasi semen) filij Dei
sunt, ꝙ si filij, & hæredes, hęredes quidem Dei,
cohæredes autem Christi. Quære ergò & tu
blandam & fœlicem hanc appellationem, non
per Alexandri deliramenta, sed per Pauli A-
postoli documenta. Pauli documentum est
ad

ad Gala. qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, & hoc est quod paulò superius dixerat. Spiritu ambulemus, Hoc est enim spiritu ambulare, secundum Christum viuere, vita au em Christi quid aliud est quàm virtutum omnium & patientiæ in primis cõmune gymnasium: Si patiens ergò fueris, filius Dei iure vocaberis.

Quòd donorum Dei consideratiò iuuat patientiam: Cum commendatione familiæ Bentiuolorum.
Cap. XXIIII.



Ed cùm tot sint genera malorum quibus quasi decumanis fluctibus frequẽter & sine pausa iactamur, Deo potius gratiæ agendæ, quòd pro vno malo, tot bona possideas, quàm preces fundendæ vt hoc morbo careas. Propterea moneo vt donorum Dei rationem habeas, & ea reducas frequenter ad calculum. Si bona animi quæris, non fecit te Deus rudem, ignarum, ignauum, stolidum hominẽ, luxui deditum, gulæ obnoxium, qualis hac tẽpestate nobilium virorũ maior est numerus, sed

ſed cordatum ac docilem, & ab adoleſcentia
benè inſtitutum, liberalium artium non igna-
rum, ſacræ etiam ſcripturæ ſtudioſum, natu-
ra verecundum, iuſtum, manſuetum, pium, &
(vt paucis expediam) bonum, non tua virtu-
te (vtpote qui nondum eras) ſed magno Dei
dono ſortitus es animam. Si externa bona cō-
ſideras videbis te parentibus honeſtiſsimis
ortum, inter primores vrbis tuæ conſtitutum,
ad præclarum ſexdecimuiratus collegium dū
adhuc eſſes iuuenis, aſcitum, & ea ſumma eſt a-
pud ciues tuos authoritas, primuſq; magiſtra-
tus. Adde quòd in hac optima Bononienſi A-
riſtocratia ab optimatibus quæſtor electus es,
& præfectus ærario, quod eſt & charitatis
omnium in te & tuæ in omnes fidei magnum
argumentum. Nec ad animi tui tranquillita-
tem parum facit, quòd Dei munere in ea tem-
pora incidiſti, quibus præter conſuetudinem
ſuam patria tua Bentiuolorum prudentia rem
gubernante, quinquagenaria iam pace perfru-
itur. Solebat antè hos annos quotidie tumul-
tuari Bononia, ciues inter ſe graſſari, cædes &
incendia fieri, & ſeditionum veſtrarum ple-
næ erant aures Italiæ. At vbi rediit ad Ben-
tiuolos

tiuolos iste principatus, tanta fuit eis in rebus agendis dexteritas, tanta gubernandi peritia, tanta fœlicitas, vt calamitosorum temporum respectu præsens ætas cum summa innocentiæ laude transigatur. Iam religiosior est populus, diuinus cultus amplior: Liberalium artium studia sunt in flore, patritiorum ac nobilium redintegrata est dignitas, mercaturæ suus est honor, feruent opificum officinæ, in vomeres conflati sunt gladij, & rusticorum lacertosa iuuentus non iam amplius ad bellum, sed ad agriculturæ opus exercetur. Iam templorum, viarum, porticum, ac domorum ornatui facta est accessio tanta, vt vrbs ipsa ab auis vestris (si resurgerent) non possit agnosci. Taceo quanta huic clarissimæ Bentiuolorum familiæ, & ei ipsi qui merito in ea principatum tenet, Ioanni viro præstantissimo atq; illustrissimo necessitudine sis iunctus, clientelas sileo; diuitias, opes honoresq; prætereo, de tui generis nobilitate, de familiæ tuæ antiquitate quicq̃ dicere superuacaneum. Scitum est enim semꝑ eã inter primas Bononię familias habitam, & id etiã nũc antiqua patrum ac maiorum tuorũ monimẽta claris-

clarissima obscurari non sinunt. Prodierunt etiam ex ea non pauci magno & excellenti ingenio viri, qui nõ minus belli quàm pacis officijs longè ac latè claruerunt, & se ac patriam simul illustrarunt. Superest vt ad memoriam reuoces ac recolas, q̃ castam, quàm pudicam, q̃ prudentem, q̃ circumspectam coniugem sis sortitus, filias quanto corporis decore, quanta animi honestate cõspicuas, & iam splẽdidissimè coniugatas, quantę etiam indolis filios tibi genuerit, quorum qui maior est natu Franciscus (si vitæ dator & conseruator Deus affuerit) breui te etiam superstite ostensurus est se prolem, & te patre, & tanta maiorũ claritate dignissimam. Hæc omnia si in statera rationis appendas, si ad perpendiculum metiaris, videbis in hac vita tanti esse, vt hac ægritudine videantur emi posse forsan & debuisse si vendantur.

Quòd alienarum calamitatum animaduersio ad patientiam plurimum faciat. Cap. XXV.

CObntemplare quos vno horæ momentò Deus tanq̃ fulmen extinxit, quos patria expulit, quos populi tumultuantis depopulatus

populatus est furor, quos ferrum absumpsit, ira trucidauit, momordit inuidia, notauit infamia, quos filiarum & coniugum impudicitia dedecorauit, quos rebellium filiorum assiduè cruciat irreuerentia, contumacia, proteruitas. Hæc & mille alia vitæ nostræ incommoda, quibus tanquam inextricabilibus labyrinthis includimur, si perpenderis magno patientiæ prouentu ditaberis etiã. Lucretius in ij. de rerũ natura lib. nobis hoc genus consolationis ostendit.

Suaue mari in magno luctantibus æquore ventis,
E terra magnum alterius spectare periclum.
Per campos instructa sui sine parte pericli,
Suaue etiam belli certamina magna videre.
Non quia vexari quenquam est operosa voluptas,
Sed quibus ipse malis careas quia cernere suaue est.

Reuocato paulisper ad memoriam eos quos Deus varijs calamitatibus præteritis sæculis & nostra hac tempestate percussit, & proculdubio multos inuenies cum quibus nolis permutare fortunam. Silentio prętereamus Troianorum interitum, Pœnorum excidium, & ea quæ Hispania, quæ Græcia plorauit incendia. transiliamus etiam clades Gothorum, Longo-

bardorum, Alanorum & Hunnorum, quas alijs intulerunt, & ipsi ab alijs pertulerunt. Ab alijs sæculis calamitatum exempla mendicare nil opus est, nostris abundamus; nostra nobis suppetunt, plusq̃ defleri possumus & conqueri. Nostræ tempestatis breuiter percurramus nimbos, tonitrua, turbines, & fulmina. Disces illorum comparatione nihil esse quod pateris, in lamẽtabili illa Constantinopolis illustrissimæ vrbis captiuitate, per quam Turcorum res cœlo æquata est, quantum humani cruoris effusum sit, quot lachrimæ sparsæ, quot eiulatus auditi, quot ad cœlum vsq; lamenta peruenerint, quis enatrarit? Iurgia, cõtumelias, stupra, illusiones, adulteria, incestus, maledicta, blasphemias, incẽdia, rapinas illius nephandæ diei numerare quis possit? Tolerabilior & longè minus acerba fuit illorum sors, qui trucidati mox perierunt, q̃ eorum qui ex tantis cladibus erepti, longis postea contumelijs quasi diuturna morte consumpti sunt. Sed quæ de Constantinopoli dicuntur, iam de tota Thracia, de Macedonia, de Attica, Bœotia, de Achaia, de Arcadia, de Thessalia, de Epiro, & de omni Grçcia recitant. Quàm plurimos vidi-

Vidimus,& adhuc videmus splendido loco natos, qui solebant alijs imperare ad summam inopiam redactos, victum mendicare, coniugum & liberorum amissionem deflere,& situ ac squalore cõfectos, præbere in populis horrenda spectacula, Dei templa sunt profanata, reliquiæ sanctorum conculcatæ, Regales ac Imperatioriæ familiæ ludibrio habitæ, & deniq; tanta fortunę mutatio insequuta est, quãtam nemo hominũ fieri vnquam posse existimasset. Hæc & his similia q̃ plurima contẽplatu vtilia sunt ægro animo, non vt (quod Lucretius inquit) aliena esse debeat grata vexatio, sed quia dum eorum comparatione parua videntur esse quæ patimur, minus amarê vita transigitur. Rectè igitur, vt ait Plutarch⁹, Solon dixit si omnes homines in vnum acervum sua mala comportent, futurum vt malit vnusquisq; domum sua reportare q̃ æqualem in omnes fieri portionem.

Quòd amicorum obsequia & religiosorum orationes & consilia patientiæ sunt adminicula. Cap. XXVI.

Is addendum puto etiam aliud quod longè tolerabiliora reddit incommoda. Quòd ſcilicet non eges quibuſcum lamentari poſſis, qui tibi aſsiſtant & ſeruiant, qui te conſolentur & iuuent, conſolantiū verba charitatis officia cataplaſmata quædam ſunt & malagmata, quibus cùm applicantur, triſtitiæ in animo durata collectio emollitur, & præſenti mox remedio, vt experimur, ceſſat curarum acerbitas, dolorum atrocitas. Si etiam, vt ſæpè te moneo, vitæ Chriſti portiunculam, quaſi quotidianum animæ panem propinante memoria, in cibū ſumpſeris & cogitationis aſsiduæ faucib⁹ ruminaueris, erit ſcaturigo iugis refrigerij, & vitalis quidam liquor, quaſi opobalſami die ac nocte ſtillantis in animam. Habeto ſemper antè oculos paſsionis Chriſti proceſſum & ordinem, quomodo rationis metas non egreſſus, ſeruauit in omni actione decorum. Quanta in verbis grauitas, quanta modeſtia, quāta animo fortitudo, quāta conſtantia. Habeto ſemper in ore hæc enigmata, voranda hæc frequēnter ad exornandam mentem catapotia. Habes etiā plures qui

Deum

Deum aſsiduè pro te orent, ex quorum numero & nos ſumus, qui ſi vt optas non exaudimur memento quia nec Paulus Apoſtolus vas electionis, cùm ſtimulum carnis rogaret à ſe tolli, fuit exauditus. Sed ei dictum eſt, ſufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate pficitur. Legimus in ſanctorum patrum hiſtorijs quoſdam poſt impetratam per orationes ſanitatem, cùm iterum Deum rogaſſent vt ſi animę ſalubrior eſſet ægritudo, iterum ægrotarent, mox ad priorem infirmitatem, tanquam ad vtiliorem animæ ſtatum deuolutos. Perſeuerabimus tamen orantes nec ceſſabimus, forſitan fuerit aliquis inter nos Deo gratus, & dignus cuius deprecationem accipiat Deus. Multum enim, vt Iacobus Apoſtolus inquit, valet oratio iuſti aſsidua. Et ſic ſi non ſanitatem, patientiam ſaltem obtineas, recordatus multò eſſe melius atq; optabilius corpore ægrotare, q̃ animo. Helias, vt idē Iacob⁹ ait, homo erat ſimilis nobis paſsibilis, & adeò paſſibilis, vt metu Iezabel mortē intētantis quadragenariā paſſus inediā, in Oreb Arabię mōte latuerit. Ipſe igit̃ q̃uis paſsibilis tamen orauit, & cœlum ꝙ tribus annis & menſibus ſex

propter peccatum Achab clausum fuerat, mox erumpente nimbo solutum est.

Digressio de Carmelitarum antiquissima origine. Cap. XXVII.



Ic est ille Helias q primus cœlibē & monasticen seu solitoriam vitā instituit q montē Carmelū vndē nos & nomen & originē ducimus, miraculis & sāctimonia illustrauit. Ipse, vt Regum testatur historia, sui ꝓpositi imitatorē & duplicatæ virtutis hæredē reliqt Heliseū ꝓphetam qdem insignē magnis prodigijs & singularis vitæ sanctitate mirabilem, & qui amborum vitā sequerentur, posteritate vsq; ad aduētū Christi ꝓpagata fuere q̄ plurimi. Quo tēpore q montem illum sanctū incolebant, fidei Christianæ se addicentes, Christi operarij sunt facti, & apostolis adiuncti, summo manè, hoc est, dū adhuc infās esset ecclesia venerūt in vineā patris Euāgelici diei & est' pōdus portaturi. At post q̄ Christi mater Maria fūcta est vita, ipsi sacellū in eodē mōte primi construxerūt, & q̄ ab eis sumpsit exordium mansit apud posteros eorū cultus virginei cura precipua. Ad hos Beatissimus pater Hilario

tunc

tunc anachoritarum illustrissimus, ad hos magnus Basili⁹ Cęsariēsis episcop⁹, ad hos diuus Hiero. & Eusebi⁹, & alij plures litteris & sanctitate clarissimi ad quos eorū fama puenerat, magnis laboribus peruenerūt. Sūt etiam q̄ Ioannem Baptistam, cum eis habitasse crediderint, vt pote de quo scriptū est, q̄ Christum esset in spiritu & virtute Heliæ præcessurus, & de quo Christus dixit, ipse est Helias. Et vt paucis expediā, erat tunc ille mons Christianis q̄ Athenæ, q̄ Academia, q̄ Zenonis porticus fuit antè, philosophis. Post longa temporum curricula viuendi normā quam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano lōgè antè Frāciscū & Dominicum acceperant ab Innocentio quarto summo pōtifice tandē apꝓbari & apostolicę cōfirmationis authoritate fulciri missis Romā nuntijs impetrarunt. Cęterū q̄a sæpius Barbarorum incursionibus ora illa vastata est, vt nunc quoq; vastatur, coacti sunt locum in alto Carmeli vertice constructū relinquere & in occidentales plagas sancti huius montis & ecclesiæ ꝓdictę nomē intulerūt. Nā Carmelitæ genitricis Dei Mariæ nūcupamur. Habes paucis nostri generis originem senio

venerabilem, loco insignem, authore autem firmam ac stabilem, habes ordinis longã posteritatem ecclesiæ authoritate munitam, Beatæ virginis titulo claram, patrocinio tutam. Sancti Heliæ mentio me nescio quomodo in hanc digressionem adduxit, quæ idcirco non fuerit inutilis, ꝙ plærosq; video gentis nostrę propter antiquitatem latere principiũ, & cur Carmeli montis, & Beatæ Mariæ nomen vsurpemus prorsus ignorare. Constat autem in nobis verũ esse quod Aristoteles dixit in problematibus. Ait enim historias recentiores & antiquissimas iniucundas videri. Has quidem, quia propter vetustatẽ persimiles fabulis iudicantur, Illas verò, quia propter nouitatem (cum in promptu sint omnibus) non habent maiestatem. Quæ autem medij sunt temporis, vt Romanę ꝙ medio modo se habeãt, plꝰ placere. Origo igitur nostra tam longè petita, patitur id vetustatis incommodum, & habet propterea apud male cernentes minus fidei, sed penes clarè intuentes plus dignitatis. Te igitur (vt ad propositum redeamus) tam multis & animi & fortunę (vt aiunt) bonis abundantem, decet hanc corporis aduersam va-
litudinem

litudinem cum omni æquanimitate perferre.

Testimonium ex Plinio quòd natura humana sit ærumnosa. Cap. XXVIII.

CVm septimum naturalis historiæ Plinij librum euoluerem, inueni Capite quinquagesimo sententiam valitudinis tuæ morbo saluberrimam, nam cùm varia morborum exempla cōnumerat, ita inquit. Incertum ac fragile nimirum est hoc munus, quod datur nobis, malignum verò & breue in his etiam quibus largissimè contingit, vniuersum vtiq; æui spacium intuentibus. Quid q; æstimatione nocturnæ qetis dimidio quisq; spacio vitæ suæ viuit. Pars æqua morti similis exigitur, aut pœnę, nisi contingat quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent, nec senectę in pœnam viuacis, tot periculorũ genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votũ. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius, hebescunt sensus, membra torquentur, præmoritur visus, auditus, incessus.

ſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Ergò pro miraculo & id ſolitarium reperietur exẽplum, Xenophilũ Muſicum centum & quinq; annis vixiſſe ſine vllo corporis incommodo. At Hercule relictis omnibus per ſingulas mẽbrorum partes, qualiter nullis alijs animalibus certis peſtifer calor remeat horis, aut rigor neq; horis modò ſed diebus noctibuſq; ternis quaterniſve etiam toto anno, Hactenus Plinius. Quod addidiſſe volui vt reminiſcaris viri ſapientiſsimi ac minimè in hac parte ſuſpecti relatione, quæ ſit naturę noſtrę cõditio, & vt ad id quod naturæ ratio poſcit, te vt ſapientem decet obſequentiſsimum ſemper exhibeas.

Ratio multiplicandorum morborum morborum ac vitiorum. Cap. XXIX.



QVoniã, admonẽte nos Plinio, ſumus ad naturalium defectuũ noſtri corporis mentionẽ adducti, proſequamur incœptum, & humanę vitę morbos nõ inutili curioſitate narrem'. His enim enumeratis intelliges penè

penè impoſibile eſſe, hominem viuere ſine morbo. Nam corporis & animi valitudines id comune habent, qꝫ ſanitas in vtroq; vno modo attingitur. Virtus enim animi, & ſanitas corporis, in quadam temperie, hęc humorum, illa paſsionum, eſt ſita. Temperies autem medium quoddam eſt, at mediũ vno modo attingitur, ſicut linea recta vno modo fit, flexa pluribus, & ſignũ vno modo à ſagittario tangitur, pluribus autem non tangitur. Propterea, vt in ij. Ethicorum meminit Ariſtoteles, Pythagorici dixerunt malum ad infiniti, bonum ad finiti naturam attinere. Vna ergò temperie corpus benè valet, malè autem propè infinitis, quod ex ipſis vocabulis conſtat. Sanitas enim vno vocabulo exprimitur, at morbi nomina propè infinita ſortiuntur, adeò quotidie morborum numerus inualeſcit, vt Medici & quidem doctiſsimi atq; peritiſsimi in eis diſcernendis ambigui, falſa plærumq; pro veris accipiant. Sed de antiquis pauca è multis in medium afferamus.

De morbis humani corporis.
Cap. XXX.

Pſoram,



Soram vocant morbum qui carnē exaſperat inſtar ſcabiei. Scabies ipſa importunus & vulgaris morbus eſt. Pruriginem appellant furfurem minutum, qui è corpore prodit. Grçci catharrum dicunt, quod pituitam nominamus, quæ ſi groſsior è naribus fluit, mucus dicitur. Cùm obturatur naſus Græci corizam, noſtri grauedinem vocant. Polypus eſt narium morbus, cùm caro corrupta plures habet radices. Polypus enim grçcè, dicitur latinè multipes. Vndè piſcem marinum qui pluribus brachijs ſeu pedibus nititur, & omnium penè rerum (quibus adhçret) colorem in ſe trahit, polypum dicunt, vulgares polpum appellant. Polypoſus verò dicitur qui eo morbo laborat. Naſcuntur aliquando natura (ob materiæ inopiam) deficiente aliqui ſine naribus, cum ſolis foraminibus, hi ſimones, vel oſsimi dicuntur. Epiphoram vocant genarum, & aliquando aliarum corporis partium tumorem, illuc confluentibus noxijs humoribus, infeſtum. Quibus oculi deprauati ſunt ſtrabones dicimus. Cocles qui altero caret, & vnoculus dicitur, qualis fuit Horatius

qui

qui Romam defendit ab Ethrufcis, fuit hoc etiam plurium Ducum, & quidem illuftrium infigne. Nã Philippus Alexandri magni pater, Hannibal Carthaginẽfis, qui tot clades intulit Romanis, & ipfe de quo diximus Cocles, Sertorius etiam Romanus, & noftro tempore Federicus Vrbinatiũ dux, vir & litteris & armis inclytus, omnes ifti vno oculo caruerunt. Hoc ad tui folatium dixerim, ne putes magnis Imperatoribus prætermifsis, in te folũ morbos defæuire. Sunt nonnulli qui ad lucernam non videant, hi luciofi. Sunt qui noctuarum & vefpertilionum more videant, q̃ vefperi, meridie minus, & hi lufciones appellantur. Lufcus eft qui hebetes habet oculos, qui etiam defioculus nuncupatur. Sed hæc potius vitia oculorum q̃ morbi funt. Lippitudo eft humor in angulis feu finibus oculorum collectus faniei fimilis, qui verò, ficut quondam Horatius, hoc patitur Lippus dicitur. Liuor & plumbeus color in oculis glaucoma appellatur. Aegilops morbus eft in oculo ad nafum vndè fanies emanat. Pterygium eft membrana craffa neruofaq; in oculi fuperficie. Albugo verò in oculo fubtercutaneus morbus inftar nubeculæ, fit in oculis

oculis cæcitas, q̃ tantò lamentabilior est, quãtò visus est præstantior. Oculus enim, vt in Methaphisca inquit Aristoteles, ad rerum scientiam plurimũ confert. Nã longè plures q̃ cæteri sensus rerũ differentias nobis ostendit. Democritus tamen vt altius contemplaretur sibi oculos eruit, & sciendi desiderio maluit Tiresia esse q̃ Strabo. Sic enim teste Varrone nuncupatus est q̃dam, qui centũ triginta quinq; milia passuum ꝓuidebat, & ex Lilybæo Siciliæ ꝓmontorio numerum nauium exeuntem ex Carthaginis portu classe deprehẽdebat. Oculi certè sicut plurimũ ꝓsunt corpori & scientię, ita plurimũ nocēt cõscientię. Propterea dicitur in Psalmo: Auerte oculos meos ne videant vanitatem, & ꝓpheta dicit, mortem per fenestram, id est, peccata per sensus ascendere. Lamech septimus ab Adam primus inter cœcos, qui per cœcitatem comisit homicidium. Nam Chaim occidit, monet à peccantibus naturæ integritatem nõ esse accusandã. Ecce tũ quoq; cùm recens erat mundus antè diluuium iã genus humanum morbus inuaserat. Lamech enim diu viuendo caliginem incurrerat. Surditas quoq; non paruo est hominibus incom-

modo. Auditus enim, teste Aristotele, disciplinæ est sensus, & qui eo carent, disciplinam non capiunt, qui verò audiunt, etsi cœci sunt plurima & discere & docere aptè possunt. Didimus cœcus vir litteratissimus, & sacræ scripturæ sacramenta doctissimus tempore Antonij abbatis floruit in Aegypto. Beda quoq; omni disciplina & in sacra lege apprimè eruditus cœcus fuit. Opisthotonus morbus est caput in scapulas inflectens. Emprosthotonus mentum pectori applicat. Spasmus neruorum contractio, quæ nonnunq̃ mortẽ inducit. Tetanus est colli rigor ita vt flecti non posit, qui id morbi patitur obstipus dicitur. Chiragra notum & tibi nimium familiare malum, manuum est dolor, paronychium Græci, nostri Recliuum vocant morbum, qui cutem circa vngues scindit. Condylomata dicunt per corpus tubercula. Pleuresi morbo acutissimo Græci à latere, nam πλευρα est latus, nostri à costa nomen indiderunt. Tormen & vermen duo ventris dolores perquam similes, differentes tamen apud Medicos. Gibbus vitium tergi vt plurimum aliarũ quoq; partiũ, aliquando indè qui deformitatẽ hanc patitur

gib-

gibberosus dicitur. Taceo rhagades, ficos seu mariscas atq; hæmorroides, qui morbi in secretissima sedis parte enascuntur in grauem hominum molestiam, & quasi in contemptum ac contumeliam. Rhagades fissuræ sunt, fici mariscæq; idem est vlcera sunt in quibus granula ficorum seminibus persimilia cernuntur. Hæmorrhoides fluxus est sanguinis. Veruca corpus exasperat, porrúq; vulgo appellatur, cui similis est Næuus, sed naturalis est, & non sanatur, in eo nonnunq̃ pili succrescunt. Sciatici dicuntur quibus in coxendice seu in coxæ vertebra, quæ Scia dicitur, dolor inest & propterea claudicant. Varus is appellatur cui introrsum. Valgus cui extrorsum pedes retorquentur. Podagra pedũ est, sicut chiragra manuum dolor, nobilium virorũ morbus vt plurimum, de qua Ouidius in lib. de ponto.

Soluere nodosam nescit Medicina podagram.
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Gemursa morbus est inter pedum digitos gemitum inducens quem morbum dicit Plinius ita in Italia restinctum, vt eius quoq; nomen nesciretur. Attæ dicuntur hi, qui debiles

pedibus

pedibus plantas insistentes non ambulant, sed terrã prolatis non tamen eleuatis plantis verrunt. Claudusq; passus nõ aperiat sed claudat. Loripes quasi loro seu compede impeditus incedit. Carbunculus pestiferum vlcus grauem dirãq; mortalibus luem cõminatur, Anthrax græcè vocatur. Furunculus qui quod in extremis semper partibus quasi fur noceat, appellatus est clauus, furunculo similis callus est durissimus quasi ferreus clauus pedib⁹ aut alteri corporis membro infixus cruciat Panus tumor in inguinibus & alibi nonnunq; pannicula etiam appellatur. Parotis vlcus secundum aures caput infestans. Elephantiasis morbus cutem humanam cuti elephantis cum magna deformitate similẽ reddens. Lychæna græcè, mentagra latinè dicitur, quod à mento incipiens totum corpus furfure inficit. Impetigo scabies quæ cum impetu serpat, & quasi volet, volatica vulgo nuncupari solet. Lentigo macula est lenti persimilis. Alopecia est capitis depilatio sic appellata quod vulpi similem faciat, nam quod ἀλώπηξ græcè dicitur, vulpes latinè nominatur. Aqua intercus græcè hydrops dicitur morbi non minus molesti q̃ deformis, & vt

plurimum incurabilis est nomen. Ictericus, arquatus & morbus regius, tria sunt nomina morbi vnius, ἴκτερος græcè, galgulus, vt Plinius vel vt alij galbula est quæ auis est, crocea, & quoniam morbus hic similem colorem inducit, ab aue & ab arcu cœlesti nomen accipit, regius verò morbus appellatur, quoniam delitijs & regia dieta seu ragali victu curari dicitur. Paralysis neruorum est dissolutio tremorem inducens, & manus præcipuè reddens inutiles, tantò proteruior morbus quantò & latere minus potest, & membri magis necessarij vsum excludit. Videns enim natura creasse se hominem nudum, imbecillum, ac inopē manus excogitauit, vt hoc vno instrumento munimentorum quæ pecudibus dederat defectum suppleret eiq; sarciret. Lepra, quam Horatius malam scabiem vocat, morbus est infelicissimus propter quem volunt quidam Mosen suillæ carnis vsum Iudæis interdixisse, quòd suam gentem in hunc morbum naturæ pronam, talem cibum morbo huic cognatissimum nouerat. Sunt qui lepram elephantiam dicant. Nam Platina in vita Deusdedit summi pontificis dicit, leprosum ab elephan-

tiæ morbo per hunc pontificem osculo sanatum, sed tales nodos soluere nõ puto præsentis esse negocij. Fanatici sunt quibus phantasmata q̃dam & variæ imaginũ illusiones apparent, propterea Fanaticus error hic morb⁹ vocatur, quo antiqui scriptores Herculem & Orestem laborasse commemorant. Phagedinæ dicuntur hulcera corrodentia. Vari qui & varioli vulgo cognominantur, pustulæ sunt cum febre nascentes, morbus vt plurimum puerilis. Cancer terrificus & insanabilis morbus altas ac plures agit radices, de quo Ouidi: Vtq; malum latè solet immedicabile Cancer Serpere & illæsas vitiatis addere partes. Huius speciem dicunt Gancrenam quę & Carcinoma, vomicaq; dicitur. De hoc morbo Plinius libro. vij. naturalis historiæ memorabile recitauit exemplũ, Dicit nanq; Phalerçum vel vt quidam volunt Pheræum, cùm in vomicæ morbo derelictus esset à Medicis, & propterea vitam pertæsus, mortem in acie quæreret, vulnerato pectore Medicinam inuenisse, & ab hoste curatum esse. Fecit itaq; sors q̃ artis industria nõ fecerat. Sacer ignis, pustulę sũt corpus adurentes. Febrium genera plurima sunt:

Sunt nanq; quottidianæ, continuæ, tertianæ, & Hemitriteus, quem volunt quidam esse tertianam, quæ ex duorum dierum spacio, duodecim horas tantum relinquit sanitatis. Verũ id Medicorũ subtiliori iudicio relinquimus. Satis est nobis morborũ nomina percurrere, vt quot insidijs præmamur intelligas. Sunt quartanæ duplices simplicesq;. Febrem autẽ dicunt noxium ac putrefactum humorẽ clausis corporis poris exire non valentem. Apoplexia latinè dicitur Attonitio, subito sensum omnem motumq; recidit, nullis morbi præcedentibus signis, Ideòq; interpretatur subita percussio. Huic quoq; persimilis est, sed non adeò nocens epilepsia, latinè comitialis, vulgo caducus morbus appellatur. Vterq; morbus ex oppletione Ventriculorum cerebri fit, cùm vapores à stomacho mittuntur ad caput, qui vias quibus vitalis spiritus deriuatur in membra claudunt & impediunt. Spaticus est q̃ pauore, ac si dæmones occursantes videat, absterritus non potest loco consistere. Sunt etiam lunatici quorum vnum Christus sanasse dicitur. Hi certis lunæ temporibus seu id dæmon seu noxius humor vaporve efficiat magis vexantur

xantur. Tres hi morbi ſcilicet comitialis, Lunaticus, & ſpaticus affinitatem quandam habent, & eos nobis naſcentibus ingenerari volunt Mathematici, cùm luna fuerit malè collocata, quod an verum ſit, ille nouit qui ipſam lunam creauit & cœlos. Lethargus eſt, vt medici volũt in parte capitis poſteriore vbi memoriæ domicilium eſt Apoſtema ſeu vt latinè loquar recollectio q̃dam groſsior, memoriam hebetans, & eſt grauedo capitis obliuioſa, λήθη nanq; obliuio eſt. Linguæ quattuor ad loquendum ſunt impedimenta quattuor nominibus appellata. Balbus, cui lingua quaſi groſſior ſit impeditur. Bleſus, qui dum loquitur literam aliquam omittit ſicut de Demoſthene dicitur, qui dum iunior eſſet primam artis quam diſcebat ſcilicet Rhetoricæ litterã Rho videlicet proferre nõ poterat. Traulus eſt, cui in vnoquoq; verbo lingua multum luctatur. Opicus qui verba inculcat & ſubplantat. Vitiligo eſt quædam cutis maculatio deformis. Hiſciacus eſt qui nimium oſcitat. Oſcedo oris fœtor Raucedo vocis impedimentum. Cœleſtoma eſt cum reciſa vua quæ vulgo vuuladicitur vox quaſi in receſſu oris auditur. Tonſil-

læ ſunt in faucibus & in vltimo palato glandulæ nonnunq̃ acri dolore hominem afficientes. Angina grauiſsimus acutiſsimusq; morbus in mortem niſi repente occurratur inducit, Synanche & paraſynãche græcè dicitur, ea fauces comprimens & cibi & vocis iter occludit. Synancia verò non eſt vt quidam putant morbꝰ anginę, ſed magis locus vbi valles duæ conueniunt. Quibus guttur inflatur gutturoſi, ſtrumoſiq; vocantur. Nonnunq; amiſſo loquendi vſu muti reddimur. Quo ſeu vitio, ſeu morbo neſcio an alius magis contra naturam hominibus accidat. Vox nanq; ad exprimendos animi conceptus, vt Ariſtoteles in libro peri hermenias teſtatur, ad orandum, ad loquendum pro ſingulari dono à natura conceſſa eſt, ſine cuiꝰ vſu cùm neq; domeſtica neq; ciuilia negocia pertractentur, cõſtare non poteſt humana ſocietas. Propterea Iacobus Apoſtolus inquit, linguam modicum membrum eſt, ſed magna exaltat. In parte pulmonis tabes pthiſis, in toto pulmone pulmonaria vocatur. Aſthmaticus eſt qui difficile reſpirat. Cordiacus verò qui cordiolo premitur, cuius multæ ſunt ſpecies vt tremor, & conſtrictio,
quæ

quæ ipſam vitæ regiam obſidentes, vicinum hominimi minanſ interitū. Phreneſis ex cordis vitio naſci putatur à quibuſdam, ea ſi continua eſt, inſania fit, & tales mentis inopes aut mente capti nominantur. Hepatarius eſt cui malum eſt hepar. Lyenoſus cui ſplen eſt moleſtus & latinè ſpleneticus vocatur. Nephretici ſunt qui renum doloribus anguntur. Cruditas ſtomachi vndè plæraq; morborum genera deriuantur, eſt cùm ſtomachus facilè læditur & difficilè concoquit. Cœliaci ſeu ciliaci ſunt, qui ſtomachi vitio, ventris ꝓfluuio diſſoluunſ, κοιλία enim venter dicitur. Fit colicus dolor in ventre ſub cingulo, quo plæroſq; vidimus acriter cruciari. Iliacus dolor qui ab aliquibus cordapiſus dicitur, quantæ ſit violentiæ, & atrocitatis, ab Andrea Bentiuolo antiq̄ nobilitatis ac magnificentiæ viro, ciue ac patritio optimo, & in ſex decemuiratu collega tuo, potes intelligere. Calculi & ſtranguriæ morbus, cùm vrina guttatim vix emittiſ. Pernicioſiſſimos audio, qui me & auo & patre priuauerunt, capitis dolores, & cùm totum, & cùm pars, q̄ eſt hemicranea, cùm ſcilicet media cranei, caluarię pars dolet, cū cruditate ſtomachi,
 cum

cum inflammatione hepatis vſq; ad febrem, quam, ꝙ ſic conſueſcat vt non diſcedat neq; ſentiatur, dicunt Ethicam. Diu perpeſſus ſum dentium quoq; dolorem, & longum & acerbiſsimum penè vſq; ad rabiem pertuli. Nam cum Paulo Apoſtolo libēter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Eſt alius ſordidior morbus quē Grę- ci phthiriaſim, noſtri pedicularem, nuncupāt, cum ſcilicet in toto corpore pediculi ſcaturiunt, quo morbo Sylla ille maximus Romanorum dictator, qui Marium, qui Iugurtham, ꝗ Mithridatem, qui Romam domuit, eſt Puteolis conſumptus. Singulare ſpectaculum erat, cernere tantum virum, tot victorijs clarum Imperatorem (modò dictaturæ maieſtate, depoſita) inter pediculorum acies morientem, quemadmodum ſolet enecatus ſerpens inter formicarum plebem numeroſam ſpectari à pueris. Sũt aliæ q̃ plurimæ ægritudines, & vitæ noſtræ miſeriæ, quibus velimus, nolimus omnes ſubijcimur. Quod cernens Plinius in xxvj. naturalis hiſtoriæ libro, recitatis multis morborũ generibus, ſic inquit, Quid hoc eſſe dicimus aut quas deorum iras? Parum enim

erat

erat homini cætera morborum genera, cùm suprà trecentum essent, nisi etiam noua timerentur.

De quibusdam alijs humani generis infortunijs. Cap. XXXI.

ACcidunt etiam vulnera, seu sponte illata, seu casu oblata. Accidit corporum, seu natura, seu aliter inducta debilitas, deformitas, mõstrositas, animi quoq; rusticitas, ignorantia, stoliditas, infamiæ etiam quas per licentiam obloquente vulgo vitare non possumus. Accedunt variæ hominum (quibuscũ viuimus) naturæ, praua ingenia, falsa iudicia, zelus, inuidia, suboriuntur suspitiones, principum indignationes, clientũ ingratitudines, amicorum calamitates, annonę caritates. Sæpè etiam surgunt bella externa, ciuilia, domestica, filiorum rebelliones & eorum quos fideles arbitramur, insidiæ, imposturę, dilationes, proditiones, fraudes, simultates, odia, temeritates, sinistri euẽtus, casus insperati, improuisæ clades, pestilẽtiæ, timores, anxietates, mors semper impendens, & in omni nostra actionę

ac negotio fortuna prædominans, & deniq; nemo est qui non habeat de præterito quod doleat, de futuro quod timeat. Quis ista consyderans non cupiat cum Paulo dissolui, & esse cum Christo? Propterea dicebat: Miser ego homo, quis me separabit de corpore mortis huius? Sunt & alij quidam seu morbi seu prodigia, quæ me vitam hanc formidare compellunt: Reperti sunt, quibus cùm dormirent, in stomachum serpentes introierunt. Quin & in nostris alijs serpẽtes enascuntur, quod qui fabulosum putat, legat Pherecydem philosophum, & poëtam clarissimũ, Pythagorę præceptorem copia serpentum è ventre erumpente quondam emortuum. Taceo ruinas tectorũ, vidisti enim quot homines antè duos annos hîc Bononię vna turris oppresserit. Taceo incendia, fluminum inundationes, fulminum ictus, terrę motuum voragines, terrę hiatus, chasmata & fissuras, qbus nonnunq̃ integræ ciuitates absorbentur. Taceo bestiarũ impetus. Imbecillitatẽ nostrã sileo, q̃ tãta est vt vnius serpentis, etiã minimi, morsu moriamur. Mulier prægnans vna oscitatione sternutationeve, vno lucernæ extinctu solet abortire, Anacreō

(vt Plinius author est) acino vuæ passæ, Fabius senator, in haustu lactis, vno pilo strãgulatus est. Nos inter tot insidias iter tutũ, inter tot miserias fœlicitatẽ, inter tot tristitias hilaritatem, inter tot hostes pacẽ, inter tot mortes vitam, & per q̃ longam nobis ꝓmittimus? Quæ nam est ista nostra stoliditas, q̃ nullo sermone minui, nullo exemplo cohiberi, nullis minis terreri, nullis flagellis castigari, nullo argumento vinci, nullo medicinæ genere cõpesci potest? Verè stulti & mente capti, & sine vlla spe salutis phrenetici sumus, qui Deum vltorem scelerum credimus, & coràm eo ridentes, in omnem nequitiam turmatim irrũpimus. Hæc igitur hactenus dicta sunt, vt vitæ nostræ conditiones agnoscens, malorum tuorũ portiunculam, q̃ cum animæ sanitate, Deo sic distribuẽte, cõtingit, patientiꝰ feras. Caput hoc Hesiodi poëtę grauissimi versu concludamus. πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν πλείη δὲ θάλασσα, quod sic verti potest, Plena malis tellus, plenę sunt æquoris vndæ.

Quòd homo naturaliter ærumnosus sit testimonium ex Plinio. Cap. XXXII.

Sed



Ed ad conterendam magis appetitus nostri petulantiam, subijcio hîc principium septimi libri naturalis historiæ Plinij, in quo nostrorum corporum miserias omnes breui oratione complexus est. Ait enim sic de natura: Ante omnia vnũ animantiũ cũctorum alienis velat opibus, cæteris varia tegumẽta tribuit, testes, cortices, coria, spinas, villos, plumam, pennas, squammas, vellera, trũcos etiam arboresq; cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutata est, hominẽ tantũ nudũ & in nuda humo natali die abijcit ad vagitus statim & ploratum, nullumq; tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercule risus præcox illi & celerrimus antè quadragesimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento ꝙ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omniũ membrorũ nexus. Atq; infeliciter natum iacet manibus pedibusq; deuinctis flens animal cæteris imperaturum, & à supplicijs vitã auspicatur. Vnam tantũ ob culpam quia natum est. Heu dementiam ab his initijs existimantium ad superbiam se genitos. Prima roboris spes

ſpes primumq; temporis munus quadrupedi ſimilem facit, quando homini inceſſus? quando firmum cibis os? q̃diu palpitans vertex? ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium, iam morbi tot atq; medicinæ tot contra mala excogitatæ, & hæ quoq; ſubindè nouitatibus victæ. Cætera ſentire naturā ſuā, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare, hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, breuiterq; nō aliud naturæ ſpōte q̃ flere. Itaq; multi extitere qui non naſci optimum cenſerent, aut q̃ ocyſsimè aboleri. Vni animantium luxus eſt datus, vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis ac per ſingula mēbra. Vni ambitio, vni auaritia, vni immenſa viuendi cupido, vni ſuperſtitio, vni ſepulturæ cura, atq; etiam poſt ſe de futuræ, nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor cōfuſior, nulli rabies acrior. Deniq; cætera animalia in ſuo genere propè degunt, cōgregari, videmus & ſtare cōtra diſsimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentium morſus non petit ſerpentes, nec maris quidem beluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſæuiunt.

At

At Hercule homini plura ex homine sunt mala, sic Plinius.

Quòd non est reprehensibilis author ex multa authorum & maximè gentilium citatione: & cur homo nudus nascatur Cap. XXXIII.


Ed nec putes me, q̧ confugiam ad gentilis hominis authoritatem, ideò redarguendum, Ait enim noster Augustin⁹, Philosophi si qua fidei nostrę consentanea dixerũt, non solum formidanda non sunt, verùm etiam ab eis tanq̃ ab iniustis possessoribus in vsum nostrũ conuertenda: Sed neq; vitio detur, q̧ in hunc libellum nostrũ aliena congesserimus, nã appetitus contumaciam restinguere nostrũ est institutum, id seu nostris seu remedijs fiat alienis, qd ad ægrotum? De Chrysippo, cuius tantum fuit in Dialectica nomen, aiunt, q̧ testimoniorũ nube vteretur, & quibusdam suis opusculis totam Euripidis Medęam inseruit, Et Apollodorus Atheniensis de eo dixit: Si quis tollat de Chrysippi libris q̃ aliena sunt, charta ei vacua relinquetur. Plinianæ senten-

tiæ caustica vis inest, quam quia potest luxuriantem appetitum reprimere, tanq̃ pharmacum opportunum & fomentum salutare porrigimus. Ad id tamẽ q̃ dicitur hominem nasci nudum, Aristoteles de generatione animaliũ libro secundo respondit dicens. Homo nudo maximè omnium & intecto corpore nascitur, quoniam minimum in eo est terreni recremẽti, quę causa facit, vt vngues q̃ minimos pro portione sortiatur.

Cur Deus floccipendat corpus, rationes naturales. Cap. XXXIIII.



Ecitatis tot morborum ac incõmodorum generibus, quibus humanum corpus afficitur, remanere potuit in corde tuo quidã noxiæ cogitationis aculeus, castigatæ conscientiæ permolestus. Videri enim potest, Deum nostri vel nullam vel certè paruam rationẽ habuisse, quos tot calamitatibus & ærumnis exposuit, & sic nomen patris, quo illũ in primis honoramus, amittet, si paternã curã & pietatẽ vel amisisse vel non habere ꝓbabitur. Vt igitur excludatur huius cogitationis im-

importunitas vicina præcipitio præter rationes antedictas ad considerandam rerum naturam conuertamur, qua manifestè constet Deo corporum nostrorum maiorem curam esse nō debuisse. Quod si altius repetemus, audire non pigeat, nam non erit rei naturalis iniucunda narratio. Philosophi omnes in corpus & spiritum substantiam partiuntur. Corpus vocant quod videri, quod tangi, quod audiri, & alijs sensibus percipi potest, spiritum verò quod quasi inane sub sensum non venit. Sunt tamen & corpora quædam naturæ adeò tenuis & exilis vt videantur & appellentur spiritus, vt vapores terrestres, ex quibus si imbibito calore solis elauantur, fiunt venti, tonitrua, cometæ, stellæ cadentes, si vero intra terræ viscera obturatis spiramentis occludantur, terræ motus exurgunt, fontes calefiunt, & qui ex aqua resoluuntur, ex qbus nubes, pluuiæ, grandines, & id genus alia procreantur. Item qui magiæ naturali dant operam, solent spiritus vocare partes subtiliores ex corporibus mixtis, puta ex vino & huiusmodi alijs virtute ignis & caloris emunctas, quin & in corporibus humanis puriores sanguinis partes, qui ꝑ arterias

terias ad vegetanda membra perlabuntur, spiritus vocantur à Medicis & eos trifariam diuiserunt, In naturales qui in hepate, in vitales qui in corde, & in animales qui in cerebro generantur. His omnibus quãq; sunt corpora, tamen spiritus nomen est inditum, q̄ singulari priuilegio subtilitatis & actiuitatis excellant. Spiritus tamen si more Stoicorum vim vocabulorum inspicimus, halitum significat, & ad ventum extenditur, iuxta illud Psalmi, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. Sumitur & pro anima iuxta illud Spiritus & animæ iustorum, & item anima pro halitu. Plinius enim in libro naturalis historiæ dicit animæ, hoc est, halitui Leonis inesse virus graue, & vrsi pestilens, sed iam à corporeis ad incorporea transeamus. Anima vegetabilium quæ nutriendi, crescendi, & generandi principium est. Item anima brutorum quæ prædictis sentiendi & mouendi vim superaddit, nec non & anima rationalis, in qua prædicta duo animæ genera sicut trigonum & tetragonum in pentagono continentur, spiritus sunt, & præsertim anima rationalis. Sunt & in aëre spiritus quidam, iuxta Pauli Apostoli traditionem, nõ

est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum. Tenebras autem vocat caliginosum hunc aërem, qui circumfusus & contiguus mari, per vicinitatem & confusionem in aquarum naturam degenerat, vel magis per tenebras, meridiani aëris regionem intelligit, vbi regnum est ventorum, vbi nubes & grandines & multa terrarũ incommoda generant, illam enim lumine carere & semper tenebrosam esse physica ratione probatum est, nam si (vt aiunt, & experimentum indicat) reflexio radiorum solidi corporis plana superficie repercussorum caloris & luminis est causa, nullum erit in ea parte lumen quæ tantum à terræ & maris verberatu seiuncta est. Sed iam proposito accommodetur oratio, in omni ferè corpore vel verè spiritus est, vel quoddã aliud quod propter naturæ vicinitatem spiritus dicitur, & id ꝗdem est in omni re melius, vbiq; ꝓstantius. Quicquid enim est in re prçter spiritũ spiritus cõparatione fex est, purgamentũ est. Interroga empericos, cũ aqua ardens per ignẽ educta est, quod ex vino restet nisi insulsus liquor, & quasi quoddam corpus emortuum.
Quid

Quid pluribus opus est? Quicquid per corpoream naturā fieri dicitur, opus est spiritus latentis intrinsecus. Ab eo tanq̃ à fonte omnis operatio deriuatur, à corpore verò vt ab instrumento. Propterea rectè ab Aristotele dictum est, animam operationum vitalium esse principium. Quid mirum igitur si naturæ opifex Deus, qui corpora spiritibus animauit, qui figmentum nostrum cognoscit, qui scit, corpus nostrum esse puluerem, qui omnē nostram vitam animæ insculpsit, corpus paruipendit? Admirantur pueri pomi amœnitatē, q̃ est in cortice, tu verò ꝓiecto cortice, ꝙ sub eo est seruas, in frumenti spicis contēplamur sagacitatē naturæ mirabilē, granorū ordinē, & dispositionē folliculorum, amictum aristarū, vallum, & eximiam in toto illo opere venustatem. Attamen postmodum omni extrinseca pulchritudine contempta, spicas conterimus, & paleas ad ventum iactantes, ad solum granum curam extendimus, quod si Deus facit in homine quod tu sapienter facis in messe, miraris & damnas. Mirari potius debes hominum ignorantiam, temeritatem, audaciam, quòd se non agnoscant, quòd

Deum incuſent, quòd iudicium eius non formident. Deus ſpiritus eſt vis cauſarum cœleſtium atq; terreſtrium in ſpiritus eſt, omnis corporea ſubſtantia ab incorporea gubernatur & regitur. Floccipendenda ergò & cõtemptui habenda ſunt corporea hæc membra, animus verò omni cura excolẽdus. Supradictis omnibus aſtipulatur Paulus, immò ſpiritus ſanctus in Paulo loquens, cùm inquit, Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Theſaurũ vocat animam, vaſa fictilia ſunt membra, quorũ incommoda animabus materia virtutum, appetitus frænum, & ſpiritualis profectus occaſio. Omnes qui ad veram ſapientiam vel peruenerunt vel peruenire voluerunt, corpus non comtempſerunt ſolum, verùm de induſtria macerarunt. Prætereo ſanctos de quibus id manifeſtum. Venio ad Gentiles: Pythagorici à carnibus abſtinuere. Diogenes cum baculo & pera mendicans, & diſcipulos mẽdicare docebat, in cuius contemptum (vt exiſtimo) dictum eſt à Chriſto, Nolite portare baculũ neq; peram, vt oſtenderet longè etiam minorem q̃ Diogenes prædicaſſet corporis curam à nobis habendam. Ipſe Epicurus quem aliæ Philoſophorum

losophorum scholæ quasi impudicum & de summo bono malè sentientem explodūt, cùm cœnare lautius volebat, & genio (vt aiunt) indulgere, pane & caseo victitabat. Sacerdotes Aegypti in templis se claudentes pane, sale, & hysopo vescebantur. Gymnosophistæ apud Indos (vt testis est Philostratus in vita Apollonij Tyranæi) se inedea extenuabant, somnum, & eum q̃ breuissimum in nuda humo capiebant, caloris & laborum ita patientes vt saxei viderentur. De his Plinius in vij. naturalis historiæ libro de Indis loquens ita dicit. Philosophos eorum (quos Gymnosophistas vocant) constat ab exortu ad occasum perstare, contuentes solem immobilibus oculis, feruentibus arenis toto die alternis pedibus insistere. Socrates quarundam mulierculararum (quas domi habebat) contumelias & opprobria, & omne genus iniuriarum sic ferebat, vt ab eis se meliorem fieri prædicaret. De eodē Socrate legimus (nisi mea me fallit memoria) apud A. Gellium quòd animæ corpus ita subegerat, patientiæ disciplina sic formarat, vt à vespera vsq; ad vesperam perdius & pernox, fixis in eundem locum semper oculis, & in

eiſdē veſtigijs perſiſteret, quaſi facto à corpore mentis exceſſu. Seneca de corpore loquens, aſperius, inquit, tractandum eſt, ne animo malè pareat.

Quòd tota natura non conſiſtit in anima. Cap. XXXV.



Ropter ea quæ de corporis vtilitate diſſeruimus, putauerunt quidam, totam humanæ naturæ ꝑfectionem in anima eſſe, corpus verò quaſi thecam hominis, & appendicem animi, nihil ad integritatem naturæ pertinere. Cui ſententiæ obuiant, non ſolum Peripatetici, ſed & Catholici, qui animas ad corpora tanq̃ ad ſpeciei partē inclinari, & deſtructo corpore hominem interire ac eſſe deſinere dogmatizãt. Chriſtū inſuꝑ in triduo mortis (ꝓpter coporis & animæ ſeparationē) hominem non fuiſſe, eſt Theologorum communis opinio, & in eo hallucinatum eſſe volunt Petrum Lombardum, qui magiſter ſententiarum appellatur, carnis reſurrectionem prædicant, vt in natura integrata recipiat vnuſquiſq; ſtipem eorum quæ geſſit in vita.

Quæ

Quæ ſint mortis cauſæ contra Philoſophos & Mathematicos. Cap. XXXVI.



Ec de mortis neceſsitate cõqueri debet ſapiens, tria enim ſunt vitæ genera, quæ experiri vnum quemq; oportet. Primũ in mortali corpore, ſecundũ extra corpus, tertium rurſus in corpore, cùm corruptibile induerit incorruptionem, & mortale exuerit mortalitatem. Hic eſt animarum circulus perfectus, cùm corpore dimiſſæ, rurſus in antiqua ſua membra, cõpleta periodo, remearint. Eſt alia (vt aiunt) moriendi neceſsitas, quod videlicet ex contrarijs conſtamus elementis, quæ aſsiduè agendo ac patiendo inuicem corroduntur. Verùm hæc ratio (iudicio meo) breuitatẽ quidem vitę, mortalitatẽ verò animę nõ oſtendit, cõſtat enim diu ſtare nõ poſſe quod aſsiduè defluit. At ſi nõ ex contrarijs elemẽtis ſed ex vno tantum plaſmaretur corpus, elementorum contrarietas ablata eſſet non tamen mortalitas. Corruptibile enim eſt corpus ſiue ex vno elemento conſtet ſiue ex pluribus, ipſa nanq; elementa ſuapte natura morti & corru-

ptioni ſubiecta ſunt. Non enim puto aërem ſi ſolus eſſet in mundo, & ab aliorum elementorum contrarietate liber, fore incorruptibilem. Aliam mortis neceſsitatem à numero animarum propè infinito Platonici tradunt. Aiunt enim materiam tot corporibus ſimul gignendis non ſufficere, quot animæ ſunt, fuerunt & futuræ ſunt, & propterea vt aliæ ſuccedant oportere priores abſcedere, & corporum ſuorũ materiam nouis animabus quaſi domũ nouis habitatoribus tradere, vt ſpirituum naturaliũ numerus impleatur. Velle igitur ſemper viuere (ſi vera hæc ſunt) nihil aliud eſt q̃ materiam alijs animabus debitam plus æquo velle occupare, & futuris impedimento eſſe ne naſcantur, quod q̃ improbum ſit iudicemus nos, qui nondum nati eſſemus, niſi maiores noſtri iam deceſsiſſent. Tu ergò quicunq; es qui malè viuendo membra tenes in ſeruitute peccati, memento corporis tui materiam expectari ab anima fortaſſe meliori, cui quòd diu viuas infertur iniuria, ſi eius creationi tuæ obſcœnæ vitæ obſtat longitudo. Conſtituit ergò ſecundum hos Deus breues dies hominis, vt certi temporis curriculo omnium ſumma prodeat

anima-

animarũ. Ex pdictis inferri poteſt, quod cõceſſum eſt à philoſophis omnibus, materiam rerum corruptibilium, non corrũpi, iuxta illud Naſonis Pythagoreorum opinionem recitantis.

Non perit ex toto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed variat, faciemq; nouat, naſciq; vocatur.

Appetit autem materia ſemper nouis exornari formis, forma materiæ dominari, & vbi vna forma deſtituta eſt materia, ad eandem nunq̃ niſi in die iudicij, ad ſimilem verò non ſtatim reuertitur. Poteſt tamen & ſtatim, hoc eſt, breui tempore reuocari, vt ſi corpus humanum mãducetur ab homine, ſicut apud Anthropophagos mos eſt, tranſeunte enim cibi parte in ſemen humanum, poteſt ex illa materiæ portiuncula fieri embryo, & ad rationalis animæ redire conſortium. Quod ſi curioſitas humana quæſierit, quo pacto id fieri poſsit, vt eadem materiæ pars, quæ in pluribus humanis corporibus fuerit, in iudicio ſurgat, cum omnibus? nunq̃, cũ quo nam igitur? aiunt Theologi quidam cum primo reſurrecturam, & quod eius defectu minus erit, in reliquis ſupplẽdum à Deo. Quemadmodum enim panes multiplicauit in deſerto, poteſt materiam augere in iu-

dicio, ꝙ si tota vnius materia, fiat tota alterius, oporteret nouam alteri materiam dari, nec vt ecclesia docet propriæ carnis resurrectio esset. Astronomi vitam cœlo metiuntur. Negat Epigenes centũ vigintiduos vitæ annos excedi posse. Berosus centum septem decem. Reges Petosyris & Necepsos aiunt posse in Italia contingere vitæ annos centum vigintisex. Obseruãdos annos climatericos monent Mathematici, hoc est scansiles & gradarios & hi sunt qui ex septem & nouem numeris in vnum confluentibus surgunt, hi nanq; duo numeri (vt aiunt) decretorij ac malefici, & ad vitam succidendã pollentes sunt, & ꝓpterea sexagesimumtertium annũ sæuum & pestilentem dicunt, ꝙ nouies septem & septies nouem eum numerum reddunt. Hæc astronomica superstitio, vt Tranquillus testis est, ipsum quoq; turbauit Augustum. Sed vt Plinius inquit in vij. lib. naturalis historiæ, cap. xlix. Artis ipsius Astronomię incõstantia declarat quàm incerta res sit. Recurramus nos ad Paulum Apostolum qui non cœli, sed Dei arcanorũ est conscius, & discamus ab eo statutum esse omnibus hominibus semel mori.

Iob

Iob etiam audiamus dicentem, ſtatuiſti terminos eius qui præteriri non poterunt. His contenti cauſis inquirendis finẽ imponamus, nam iſta curioſitas, eſt præcipitio vicina temeritas.

De cauſa breuis vitæ & mortis, & de annis antiquorum patrum. Cap. XXXVII.


Ec de breuitate vitæ dolendum nobis eſt, more Theophraſti, qui naturam viſus eſt accuſare, ꝙ cornicibus, ceruis ac elephantis longiſsimã vitã dederit, homini verò cuiꝰ intererat, & cui maximè debebatur, in ſtatuendo vitæ ſpatio vſq; ad ſuſpitionem inuidię parca fuerit, Immò ſi Moſi credimꝰ, naturæ opifex Deus in diſtributione vitæ tam liberalis fuit, vt homini poteſtatẽ fecerit nunꝗ̃ moriendi: Sed qui perfectè credunt diuinijs eloquijs, & cum iuſtitia & pietate vitam degũt, pręſentis exilij breuitate contempta, magis Deo gratias agũt, ꝙ homini cœlũ apperuerit, ꝙ̃ naturã accuſent quòd auara vitæ fuerit. Sed finge nullã homini cœleſtiũ bonorũ ſpem relictã, q̃d de breuitate vitę dicẽdũ ſit in principio libri de bello Iugurthę luculẽto ſermo-

ne Crispus explanat. Falso, inquit, queritur de natura sua genus humanum, quòd ætas imbecilla atq; breuis æui fortè potius q̃ virtute regatur. Nam contrà reputando, neq; maius aliud, neq; præstabilius inuenies, magisq; naturæ industriam hominũ q̃ vim aut tempus deesse, sed dux atq; Imperator vitæ mortalium animus est, sic ille. Quod verò antè diluuij generalis egressum fuerit vitæ humanæ tanta prolixitas, neq; mirari, neq; illi seculo inuidere, neq; eam sibi optare quisquam debet. Erant illis quidem hominibus (vt Astronomi aiunt, & experimento constat) Cœli propitiores, volunt nanq; Astronomi duos esse Zodiacos, vnum in nona sphæra, alterum in octaua, quod firmamentum vocant, & initio rerum ac temporum sic à Deo dispositos vt aries arieti, taurus tauro, geminis gemini iungerentur, & amborum coëuntibus in vnum viribus fortiro in terris fiebat influxus, vndè & herbas tunc salubriores, & fruct⁹ terrę meliores & longiores animantiũ vitas fuisse non dubium, postq̃ soluta per motum societate ab inuicē discesserunt totus inferior mundus ægrotauit. Superaddunt Theologi primum parentem filios

& ne-

& nepotes talib' disciplinis imbuisse, vt quod & vtile, quod noxium vitæ esset, per se vnusquisq; cognosceret. Addunt & terræ vliginẽ tunc synceram, frugibus suppeditasse alimentum melius & vberius, quæ post diluuiũ salsedine maris imbibita debilior fuit. Et Deũ idcircò vetuisse ne. Adã de ligno quod vitę dicebatur qa vitæ producẽdæ vim habebat, iterum degustaret, ne prolongaret simul cum vita miserias. Debuisse autem potius illos q̃ nos tam diu in vita esse sic probant, quòd videlicet nulla p̃decessorum inuenta, nullas artes, nullas scientias tunc habentes oportebat lõgis experimentis ea perdiscere, quæ nos ex aliorum scriptis, & ex maiorum nostrorum lucubrationibus facilè & compendiosè docemur. Reducta est tandẽ communis vitæ humanæ summa, teste Dauid in psalmis, ad annos septuaginta, & in eodem adhuc statu perseuerat.

De annis hominum antè diluuium, contra Plinium. Cap. XXXVIII.

EX his patet illos primi sęculi annos fuisse nostris pares vel paulò minores, tãtò scilicet, quãtò lunaris solari est breuior. Da-

uid enim de annis loquens à suæ gentis more qui descendit à Moyse non recessit. Plinius in vij. naturalis historiæ lib. cap. xlviij. sic de annis inquit. Annum alij æstate vnum terminabant, alterũ hyeme. Alij quadrupertitis temporibus, vt Arcades, quorum anni trimestres fuere. Quidam lunæ senio, vt Aegyptij: Itaq; apud eos aliqui singula annorum milia vixisse produntur, sic Plinius. Quibus verbis ostendit se putare annos qui primis patrib⁹ tribuuntur fuisse menses. Verùm hęc existimatio per se satis exploditur. Longè enim plus nos veueremus q̃ illa mundi adhuc recentis antiquitas, nam centum annis, mille ducenti menses includuntur, qui numerus annorum nulli illorum adscribitur. Sed quod euidentius argumentum esse potest aduersus eos qui annos Hebręorum menses dicunt, q̃ ipse Moyses qui dicit, vixit autẽ Malalehel sexaginta quinq; annis, & genuit Iared. Certè si annos ꝓ mensibus accipit: Malalehel quinq; annos & totidem menses natus genuisset, quod vt Persius inquit. Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes. Sed de his transeuntur hæc dicta sunt.

Quód

Quòd vita humana non ſit breuiata.
Cap. XXXIX.

CEſſat inſuper illorum opinio qui dicunt vitam humanam eſſe breuiatam. Nam tempore Dauid, idẽ quod modò eſt, ſpacium vitæ fuit, quomodo dices indies vitam breuiari? Et quidem inter Dauid & noſtram hanc ætatem annorũ duo milia quinquaginta & eo amplius interceſſerunt, quo temporũ curſu longiſsimo manifeſta vitę breuiatio facta eſſet. Quòd ſi dicas vſq; ad centeſimũ annũ & amplius illis tẽporibus quoſdẽ ſubuixiſſe, reſpondebo & poſteriorib⁹ ſæculis idem contigiſſe & nunc quoq; cõtingere. Argantonius rex Tarteſiorũ cl. Cinyras rex Cypriorũ. clx. Epimenides. clvij. Gorgias Sicul⁹. cviij. vel vt Pauſanias inquit .cl. M. Valerius Coruinus centum. Terentia Ciceronis .cvij. vixit annos. Sub Tito & Veſpaſiano, ſicut Plinius meminit in. vij. natu. hiſt. cenſu per Italiam agitato viri. cxx. annos nati Parmæ tres reperti ſunt. Brixelli. cxxv. vn⁹. Itẽ Parmę. cxxx. annorũ re pti duo, in Valeiacio oppido Placẽtino. c. & x. anno-

annorum ſex. Ioannnes quidam Caroli Magni Romanorum Imperatoris armiger vitæ longitudine par Neſtori tercentum annos vixiſſe perhibetur. Ex quib⁹ veriſimile ſatis eſt, quod Petrus Aponenſis rationem ſyderalem ſequens in conciliatore dicit, vitam humanam modò breuiari, modò produci pro vario curſu & diſpoſitione cœlorum. Patet etiam vanum eſſe quod Epigenes & Beroſ⁹, Petoſyris & Necepſos & alij Mathematici de terminis vitæ tradiderunt. Non ergò de ſpacio vitæ noſtræ dolendum, ſed omninò curandum, ne fruſtra viuamus. Phocylides dicit, vitam eſſe trochũ; eſt autem trochus reuolutio, rota, curſus, cuius finis certus, ſed quando incertum. Propterea à Chriſto dictum: Vigilate itaq; quia neſcitis diem neq; horam.

Quòd ægritudo præſeruat à multis flagitijs. Cap. XL.

EST aliud quoddam infirmitatibus priuilegium ſingulare, quod in liberis ciuitatib⁹ licet aduertere, vbi vt plurimũ factiones ſunt, & contentio eſt inter ciues de potentia

tentia & de honore ac præsidentia, dum enim quisq; clientelas habet, & suos tueri, ac extollere nititur, cũ magno conscientiæ detrimento, multum laborum, multum periculorum frequẽter suscipimus, & pedetentim in angustias pellimur, à quibus explicari ac expediri postmodum, vel imposibile est vel certè difficile. At q bene valet & ab huiusmodi se officijs continet ignauus, segnis, stolidus putatur, sed qui morbo impediente detinetur, malarũ operarum conscientiæ non ponit offendiculũ, & apud omnes in promptu habet excusationem, viuit sibi, Sanos autem sibi viuere non licet, vnoquoq; in sui fauorem illud Platonicum vsurpante: Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri, partẽ patria, partẽ amici sibi vendicant. Quot putas reperiri posse qui mallent se morbo vel grauisimo tunc detentos fuisse, cum aliqua illa Bononiæ negocia tractauerunt, aut cùm illis amicis fauerunt, vnde postmodum seditiones exortæ, tumultus excitati, manus consertæ sunt, ac excidia & incendia subsecuta? Cum Lucius Catilina, cùm Grachi duo, cùm Iulius Cæsar ceciderunt, optassent ægritudine impediti ab incœpto nefando

ſando prohibiti fuiſſe. Aegritudines igitur & ſi à quibuſdam virtutum officijs tardant, ab innumeris tamen quæ facturi incurſuri ve fueramus, delictis periculiſq; nos liberant.

Quòd ex aduerſitatibus naſcatur iocunditas ſpirituails. Cap.XLI.



Ranſeamus ad ſpiritualia tempora Pauli Apoſtoli, hoc eſt ad ſpirituales fructus animæ benè valentis, palato dulciſsimos: Sed gradiamur ea via quam ipſe mõſtrauit, ne nouam adorti fortaſſe fallamur, ſed quò melius percipere poſsis, prius ſententiam vnã Platonicorũ euoluam. Aiunt enim Platonici duplicem eſſe virtutem, vnam purgatoriã animi, alterã verò animi purgati, prima cum vitijs adhuc pugnat, altera domito iam vitiorũ exercitu, compoſitiſq; regni ſui rebus, pacificè ſine vlla rebellione gubernat. Prima amat, vt appetitũ ſubijciat rationi, & vt peſsimum hoc q intra nos inter rationẽ & appetitũ gerit̃ bellũ, excludat, Peſsimũ inq̃, nã externa bella, mala qdem ſunt, ciuilia peiora, domeſtica peſsima, quæ verò intra nos geruntur inteſtina,

stina, tantò sunt peiora, quantò animæ q̃ corporis est peior interitus. Virtus purgatoria graditur per spineta, per loca arida, inuia, & aquosa, per caua vallium, per ardua montium, eo scilicet itinere, quod, vt Prodicus inquit, Hercule virtus ostendit, ad gloriam. Prodico Pythagoras concordauit, Græcam vocalem y à Palamede vel Simonide inuentam (nam de authore dubitatur) interpretans sinistrum ramum, quia in imo latior, in summo angustior, vbiq; planior, & ascensu facilior, vitijs dedit. Dextrũ verò virtuti, quia longus & arduus de radice, primum surgit angustus, ascendendo expandit, & instar palmæ tantò spissior, quãtò sublimior in latam planiciem cacumen extendit. Prima pars rami dextri est purgatoria, & summitas illa plana Purgati animi virtus est typum gerens Christi, qui dixit, Venite ad me omnes qui laboratis & fessi estis, & ego reficiã vos. Victa difficultate pręambula, id est, perturbationibus sedatis, tum demum cum ratione regnat virtus. Tunc ex virtute quasi ex vite benè repastinata, & arbusto suo alligata, prodeunt hi fructus, quibus mens ipsa nutritur & viget, apes imitata, quæ eodem melle quod

procreant, viuunt, anima est tellus, arbustum appetitus, vitis est virtus. Notandum autem quod per virtutes non habitus ociosos, & sine operibus mortuos, qui arbori infœcundæ sunt similes, sed iugi exercitatione fructiferos commendat Apostolus, & in Euangelio dixit Christus, ignem veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt ardeat?

Quòd debuit esse naturarum varietas, ad ostendendam Dei sapientiam.
Cap. XLII.



Emini me lib. ij. cap. iiij. cum de complexionibus ageremus citasse Plotinum dicentem ad decorem vniuersi non parum facere, immò & necessariam esse rerū varietatem, placet suasioni huic ratiunculam addere patientiæ profectui satis accommodatam. Sumitur autem hæc ratio ab ostendenda arte summi opificis, & est huiusmodi, si pictor vnicolorem faciat parietem, quanquam color is sit & præcio charissimus & specie amœnissimus vt purpurissus, putares ne tu id esse consummati opus artificis? Non putaret hoc Appel-

les, non Zeusis, non Pharrhasius, putaret fortasse Cleophantus & aliquis eorum pictorum, qui arte nondũ perfecta, monochromata pinxerunt. At qui exactissimè artẽ adepti volunt absolutissimè pingere & penicillo naturã æmulari, vt Protogenes qui in ducendis lineis cum Appelle certauit, non colorem vnum tãtum adhibent, sed minio armenio, Cinabari, Crysocolla, indico Sandaraca, purpura, cocco, sinopide, hyacintho, balausto, & alijs id genus, quasdã arbitratu suo figuras facient, & quasdam veras certam rem exprimentes quas Iconas vocant exarantes, ibunt in infinitam rerũ varietatem. Pictor imagines tantum pingit, Deus res ipsas creat, in cuius mente cunctarũ rerũ & factarũ & faciendarum imagines atq; ideæ sunt. Nec tibi nouum videatur quod audies. Quot in mente diuina sunt ideæ, tot nec plures possunt gigni à Deo naturę, finge enim plures gigni, sequet eas factas quasi ab ignorante, faber nanq; qui clauum excudit cuius in mente speciem non habuit, certè quasi dormiens, & ignorans fecit, at idea est species & ratio mentalis, rei faciundæ naturam ostendẽs. An verò res creatæ tot numero sunt quot

ideæ, ſcire quis poſsit niſi ipſe qui fecit? Non decuit igitur vnum effectum fluere ab artifice, cuius opus immenſæ ſignũ eſt ſapientiæ. Eſſe autem Deum Ariſtoteles ſentit animal æternum à quo deriuatur eſſe & viuere, his clarius, his obſcurius. Huius imago viſibilis eſt ipſe mundus, ſi enim ſeruata ſubſtantia mundo quantitatem abſtuleris, remanebit quædam rerum ſine magnitudine immenſa congeries, cuius magnitudo erit bonitas inſerta ſubſtantiæ. Ad oſtendendam igitur ſapientiam tanti artificis factus eſt mundus, & in mundo omnia, & inter omnia nos homines, loco ſatis digno conſtituti, hoc eſt, in angulo hemiſpheriorum, vbi duo parietes diuerſi temporalium ſcilicet & æternorum miro artificio coniunguntur. De iſta creaturarũ multiplicitate Paulus ad Corynthios ſcribit dicens, Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum. Et quæ eſt in naturis, eadem eſt in donis diuerſitas. In Abel nanq; claruit iuſtitia, Pietas in Enoch, in Noë longanimitas, Religio in Melchiſedech, fides in Abraham, in Iacob fœcunditas, in Ioſeph pudicitia, in Samſone fortitudo, in Dauid prophetia, in Salo-
mone

mone ſapientia, in Abſalone forma, in Petro credulitas, in Paulo conſtantia, in Ioanne ſcientia, & vt in prædicta epiſtola Paulus inquit, Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et paulò infrà: Hæc autẽ omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. In hoc vltimo verbo obſtruitur os noſtræ temeritati, quod enim nobis conſtat Deum velle, perſuaſi id non poſſe niſi bonum eſſe debemus humiliter & reuerẽter ferre.

Quòd mundus eſt quoddam ſpectaculum nobis à Deo exhibitum, quo inuitamur ad patienter ferendum omnes aduerſitates Cap. XLIII.



SApientia ergò diuina tot rerum exhibitura ſpectaculũ quoſdam naturas condidit, q̃ ſpectarentur tantum vt inanimata, quædam etiam animata ratione carentia,

Quasdam vt & ſpectarentur atq; ſpectarent, vt homines & angelos, qui mundũ hunc quaſi quoddam theatrum mirabilium rerum refertiſsimum videntes, dum opera admirantur opificem prædicant: Quorum vnus erat qui dicebat, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius enunciat firmamentũ. Item, conſideraui opera tua & expaui. Item, delectaſti me domine in factura tua & in operibus manuum tuarum exultabo. Eat nunc, & pro re mirabili oſtendat Callicratides ex ebore formicas, & alia tam parua animalia vt partes eorũ vix oculis cerni poſsint, afferat Myrmecides quadrigam eburneam quam muſca alis integat, recitet Cicero pro miraculo Iliada Homeri ſcriptam in membranis tam paruo volumine vt nuce includeretur. Fecerit Ariſtides Thebanus pictor tabulam quam centum talẽtis licitat⁹ eſt Attalus, emerit Timomachi duas tabulas octoginta talentis Cæſar dictator, Cnidiã Venerẽ tota Græcia inclytam Praxiteles fecerit: Demetrius expugnator Rhodo pepercerit ne Protogenis tabulam concremaret, Iouem Olympium Phidias, Capitolinum & Epheſiam Dianam Mẽtor exculpſerit. Hęc homi-

homines olim mirabantur, & ad quinquennale Græciæ certamē afferebant, celebritatē famæ & immortalitatem nominis aucupantes. At Deus hoc totum quod cernis quod etiam non cernis fabrefecit, oculos dedit vt videas, mentem vt cognoscas, qua laude, quo honore dignus est opifex, pars prima tanti spectaculi? Sunt ista mortalia, corporea, terrena, si hæc benè spectaueris & opificē spectando pia mēte colueris, oculis tuis æterna subijciet, quæ cum tanta animi voluptate spectabis, vt ab eis diuelli nunq̄ possis, si verò hanc primam partē stultè & infantiliter spectaueris, tanq̄ indignus q immortalia videas, excluderis. Propterea scriptum est de virginibus fatuis, q dū irent oleum emere, clausa est ianua, & clamātibus, Domine, domine, aperi nobis, responsum est, Amen dico vobis nescio vos. Exclusæ sunt quia se ac alia malè spectauerunt, nec in se & in alijs Deum cognouerant. Vade ergò & gaude, te in sortem ministerij huius ascitum à Deo, & fer æquo animo vitæ molestias, vt transire possis ad diuinarum rerum cœleste spectaculum.

Comparatione rerum inæqualium probat, meliorem esse vitam sanctam cum aduersis, quàm vitam felicem cum vitijs. Cap. XLIIII.



Liud est quod tecũ volo percurrere, vt ad diuinam sapientiam magis intentus eius te bonitati credas securius. Empedocles author est, licet id sibi vsurpet Aristote. quatuor esse mortalium rerum semina primitiua, quæ nuncupamus elementa: Ignem, Aërem, Aquam & Terram. Hæc ita contraria sunt vt etiam conueniant, sic colligata sunt, vt anuli quatuor inuicẽ complexi. Ignis quod defecatissimum est elementum, per siccitatem terræ connexus est, per frigiditatem terra aquæ, per humiditatem Aqua aëri, per caliditatem Aër igni. Quatuor istæ primæ qualitates, Caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, ita coniugatæ sunt in elementis, vt quælibet earum bis repetita cõbinationes quatuor reddant. Quod si quæras quæ combinationum istarum præstantior? respondebo videri eam quæ in nobilissimo elemento sit posita,

hoc

hoc est siccitas & caliditas quæ est in igne. Si verò vtra istarum qualitatum sit nobilior quæras? non erit absurdũ caliditati dare principatum, quòd eam primum elementum etsi communicat, neq; enim propriam habet, non nisi, tamen aëri secundo sibi in dignitate communicat, siccitatem verò & terra participat. Videtur enim iure nobilius id quod in secundum, q̃ id quod in quartum, à primo diffunditur. Nam meliora melioribus natura coniungit. Vides igitur vt hæc miro modo sibi cohæreant & incomparabili artificio colligentur, hoc quidem viderunt philosophi, at aliam rerum coniugationem non viderunt, quam volo (si placet) paucis explicemus. Quatuor in vniuerso genera sunt vitæ, mundana, infernalis, purgatoria, cœlestis. Hoc est mũdana ad cœlestẽ, q̃ terra ad ignẽ. Sicut enim terrę siccitatem & frigiditatẽ damus, mundanę attribuimus ꝑ frigiditate immũdiciã, ꝑ siccitate lętitiã. Qui enim secundum mundi ritum vitam ducunt, hi sunt de quibus dicitur: Tenent tympanũ & citharã, ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendũt. In quibus verbis vir sapiẽs cũ immũdicia lętitiã expressit, nõ enim ad in-

ferna descendere dici possent, nisi essent vitijs inuoluti. Cœlesti vitæ damus cum sanctitate lætitiam. In purgatoriam verò (quæ est vitæ cœlesti quod est aër igni) sanctitatē à cœlesti deriuamus, eamq; tristitiæ copulamus, quia tristari oporteat q torquentur. Infernali autem quę omnino à cęlesti sicut aqua ab igni diuersa est, attributa est immundicies coniuncta tristitiæ. Sunt igitur tot qualitatum combinationes in quattuor his vitis, quot & in elementis. Verum illæ corporeæ, istæ spirituales, quæ sunt sanctitas & lætitia, sanctitas & tristitia, immundicia tristitia, lætitia immundicia. Sed restat dubitationi respōdere. Videor enim infernalem vitam mundanæ præponere, cùm illam aquę confero, & istam terræ. Dicimus hoc ideò nos fecisse quòd sicut aqua est tellure subtilior ac immaterialior, sic & infernalis vita iam terrenis defuncta corporibus quatenus defecatior, eatenus videri possit esse præstantior. Quòd si contendas meliorem omninò esse mundanam vitam, respondebo & terram in multis aquæ præferendam. Sed age hęc prætermittamus, sequamur ea quæ plus habēt euidentiæ, & minus audaciæ, plus vtilitatis, & minus

minus ambitionis. Mundana ergò vita cũ cœlesti communem habet lætitiam. At infernalis aquæ comparata cum cœlesti habet, sicut cum igne aqua, nullum commercium, est enim tristis & sordida. At cœlestis læta & sancta. Purgatoria verò aëri collata, quia sancta est & tristis, infernali assimilata est in tristitia, in sanctitate cœlesti. Si ergò quis quærat quæ istarum combinationum sit potior, nonne respondebitur cum sanctitate præstare lætitiã? Quid enim his melius excogitare potest? Si verò quæratur quæ duarum qualitatum, sanctitatis scilicet & lætitiæ præferenda sit, respondebimus, eadem ratione præponendam esse lętitiæ sanctitatem, qua siccitati caliditatem paulò antè prætulimus, quod videlicet sanctitas est id in quo secundum primo, præstabilius optimo coniũgatur. Nam purgatoria quæ præcellit mundanam, cœlesti in sanctitate cõiuncta est. Quorsum hæc putas altius repetita? Nempè vt ex rebus naturalibus ostenderẽ longè præstantius esse cum sanctitate tristari, more illorum qui degunt in purgatorio, quàm inter sordes & inopiam more suũ exultare, quorum vita est in cœno volutari. Aegrotantium

verò

verò vita vt est omnium sanctorum commune iudicium, si benè (vt debent) ægritudines ferant, non mundana vita est, sed purgatoria, si purgatione indigent, sin autem non egent, id ægrotante tutela est virtutū, proximo ad sanctitatem hortamentū, vtriq; meritorum augmentum. Vide iam vbi sis, eò enim ratiocinando deductus es, vt tibi necessariò fatendum sit, longè melius esse pœnas ferre cū sanctitate, q̃ in vitæ turpitudine lætari. Sed paulisper ad elementorum speculationem redeamus. Ignis supernè vbi defecatur est defecatior, vbi aërem circuit, in aërem degenerat, aër vbi ignem contingit, est rarior & clarior, vbi aquę committitur, densior, obscurior, nebulis enim & vaporib⁹ affect⁹ imbibit alienę naturę cōtagium. Aqua vbi terrę vicina est, terrestrior est, vbi magis distat, purgatior, limpidior: terra q aquis abluit, mundior, vt arena q̃ terra est diluta. Inferiora igitur ea parte qua superiora cōtingunt meliora sunt. Purgatorij ergò vita (q secūdo gradu est à cœlesti) ea parte qua cœlesti appropinquat est melior, appropinquat autem p sanctitatem. Quòd si tantum conari & pficere posses, vt haberes cū sanctitate

lętitiam, more Apoſtolorum, de quibus ſcriptum eſt: Ibant Apoſtoli gaudentes à cõſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, iam purgatoria vita tranſiret in cœleſtem, eſſetq́; homo non terrenus, ſed cœleſtis cum Apoſtolo, iam non tu viueres, ſed viueret in te Chriſtus. Laborandũ igitur quoad fieri poteſt, vt in hoc vitæ breuis purgatorio viuere ſanctè iucundeq́; valeas. Quod ſi faceres, iam beatitudini vicinus cœleſtem in terris vitam inciperes. Et ſicut aër igni contiguus parum ab ignis natura ſeiungitur, ſic homo patiens & gaudens videtur in angelorum tranſiſſe conſortium. Hinc Paulus dicebat: Noſtra autem conuerſatio eſt in cœlo. Et alios exhortatur clamans: Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram, quæ ſurſum ſunt ſapite. Et in Pſalmo dicitur, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Quòd tolerantia aduerſitatum facit breuiorem tranſitum ad paradiſum. Cap. XLV.

Audi


Vdi(precor) & aliquid insipientiæ meæ sustine. Si dicat tibi Deus vbi triginta annos in hac vita & totidem post mortẽ in purgatorio egeris, protinus in cœlum admitteris. Dic sodes si cœli gaudia rectè æstimaueris, nonne longè magis esset votis expetendum vt purgatorij tempus cũ vitæ spacio quæ non nisi breuis esse potest, simul excurreret, & vtrumq; vita scilicet & purgatio vna eademq; periodo finẽ acciperet, quò cœli mox consors fieres, q̃ vitã quę non nisi laboriosa & ærumnosa esse potest, maioribus iterum cruciatibus destinari, & à cœli desiderio tam diu fraudari? Via ad bonum quantò compendiosior, tantò optabilior, quia melior. Habes igitur præcipua Dei liberalitate munus hoc magnum & singulare, quod multis precibus impetrandum, quod magno esset pretio emẽdum, ꝙ videlicet si æquo animo fers viuis simul & purgaris. Vtere igitur tanto Dei beneficio, nec sinas occasionem hanc tantam euolare. Ferunt enim Fortunam duas habere comites, occasionẽ & pœnitẽtiã, & cùm ad quẽq; venerit, offerre primum occasionem, eam cùm oblata

oblata est non arripienti, relinquere pœnitentiam, quam Græci dicunt μεταυονόιαν. Quo datur intelligi occasionem semper esse vel quærendam vel expectandam, & qui inuentam vel repertam neglexerit, solitũ pœnitere. Patrandi ergò tam præclari ac salutaris negocij opportunitatem amplexare, & q̃ eam tibi obtulerit, Deo gratias age. Nã si sic egeris ista corporis tui terra, quasi opportunos imbres accipiens, & coloni versata ligonibus, quò magis vexabitur, tantò vberiores afferet fructus. Et tandem disces non illusum te à Domino, sed ad petram, hoc est, ad Christum vt sordes excuterentur allisum, & mox vt viuere hîc desieris, sine vllo moræ intersti-tio in cœlo renasceris, & simul erit & purgatorio & vitæ satis-factum.



CAPITA TERTII LIBRI de patienta.



BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI CARMELITAE THEOLOGI, DE PATIENTIA, Liber Tertius.

Quatuor virtutes plurimum valere ad tolerantiam. Cap. I.

ET quoniam hominem natura fragilem tot morbis expositum, tot malis obiectum, difficile est non frangi, vel nō inflecti, necessariū arbitror te admonere, vt quatuor precipuè virtutibus munire te studeas, quarum presidio vim omnem flagellorū facilius feras. Hæ sunt, quas libro primo pollicebamur: Fides, spes, perseuerantia, & longanimitas. Istæ nanq; quasi fulcra quædā columnæq; firmissimæ patientiæ sustinent ædificium. Et quanq̃ suprà dixerimus cathaphractum esse oportere, qui velit cum diabolo pugnare, tamen & plærisq; sufficit ad victoriam leuis armatura. Pittacus Mitylenæus vnus ex septem Sapientibus, cùm de agri cuiusdam possessione inter

Athenienſes & Mitylenæos armis certaretur, ipſe cum Phrymone Athenienſium Duce, qui Pancratiaſtes & Olympionices fuerat, ſingulari certamine pugnare inſtituit. Rete igitur clypeo tegens Phrymonē inuoluit,& eum interemit.Dauid adhuc adoleſcentulus ſtetit cōtra gigantem loricatum,ocreatum,galeatum, clypeatū, & haſtile haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium,ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri. Dauid baculo paſtorali armatus & funda gigantem non expauit,& vicit. Dic & tu diabolo, quod & Dauid dixit Allophylo:Tu venis ad me cum gladio & haſta & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituū, Dei agminū Iſraël.Prædictæ igitur virtutes tanto tibi vſui erunt,vt cæteras ſi habes tibi cuſtodiant.Si nō habes,ad te alliciant.Omnes enim virtutes ſic mutuò ſe amant, vt vbi paucas tutè habitare conſpexerint, aliæ confluant, & ſic continget vt breui ex ferentario fias Cathaphractus. Sed venio ad virtutes dicturus pauca de naturis earum,vt earum in te creſcente notitia, creſcat & amicitia,creſcat & contra vitia in corde tuo bellandi fiducia.

Do

De fidei fundamento & natura. Cap. II.

DVplicem fidem dicimus, actiuã & passiuam. Passiua est, quæ est in creditore. Actiua q̃ in debitore. Vnde & Deus fidelis appellatur. Paulus enim in calce primę Epistolæ ad Thessalonicenses inquit: Fdelis est Deus qni vocauit vos, qui etiam faciet, & ideò hæc ea estquæ ꝙ fiat dictũ fides est dicta, iuxta illud Nasonis: Dicta fides sequitur. & hęc nihil est aliud q̃ promissi redditio, passiua verò ꝓmissi expectatio. Passiua item duplex, infusa & acquisita. Verũ hi magis possunt diuersi habēdę fidei modi q̃ diuersi habitꝰ iudicari. Fides passiua siue acquisita siue infusa est habitꝰ intellectus, quo credēdis nõ apparentibus reuelantis authoritate ꝑmoti, propter vltimum finem q̃ est beatitudo, firmiter atq; constanter adhæremus: hæc tribus acquiritur, prædicatione, miraculis, & inspiratione, q̃ sola defectum supplet aliorum, alia verò sine hac quasi membra sine spiritu moribunda languescunt, ipsa fides est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Et hæc est lux, quæ lucet in tenebris, & quam tenebræ non comprehenderunt. Licet enim gentiles qui tenebrarum nomine designantur, eam conati sint eradicare, ipsa tamen quasi sol qui nescit occasum, nebulas errorum, tonitrua minarum, procellas odiorum, fulmina irarũ, & quicquid excogitauit ingeniosa crudelitas Tyrannorũ, lucis suæ claritate discussit. Nec te moueat quòd gentiles qui tanta rerum scientia claruerunt, tenebras appellemus: nam philosophiæ mundanæ claritatis sine fidei cõdimento lumẽ est illud de quo dicitur in Euangelio: Vide ergò, ne lumen quod in te est, tenebræ sunt. Pythagoricũ, Socraticũ, Platonicũ, Aristotelicũ & Cynicũ dogma est lumẽ, quod qui adeptus est, dicit, Hoc scio, quod nihil scio. Sic .n. solitum dicere Socratẽ accepimus, postquã cõsumpta in iniquisitione veritatis ætate, responso Appollinis iudicatus est sapiens, & cũ venisset iam in tantam apud homines opinionem, vt appellaretur sapientię humanæ terrestre oraculum. At Christi verbum abbreuiatũ quòd vnius horæ spacio disci potest nobis ostendit quod philosophi frustra laborãtes toto vitæ spacio quæsierunt. Et ideò personam philosophorum

losophorum tenuisse videntur Christi discipuli, cum dixerunt, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Quib⁹ verbis duo innuũtur, & fuisse philosophos in nocte versatos, & eorum laborem esse vanitatem, qui sine Deo quærunt veritatẽ. Erant certè illi similes his (Alchimistæ vulgò nuncupantur) qui auaritiæ cupiditate delusi volunt ex ære aurum elicere. Sicut ergò isti fallacibus experimentis circumacti dum q̃runt diuitias, incurrunt inopiam; sic illi vana curiositate delusi vbi diem putant, noctem inueniunt, ꝓpter ꝙ dictum est à Propheta; Credidi propter quod locutus sum, ac si diceret, laborantibus alijs circa scientias, & naturæ occulta scire conantibus, ego melius existimaui credere diuinæ traditioni, & ideò dicit, credidi, & quia credidit locutus est, & quid sit locutus subinfert dicens, omnis homo mendax, ac si diceret, omnes qui suo ingenio ad veræ sapiẽtiæ lumẽ aspirarũt, mẽdaces fuerũt, & vt Christ⁹ inqt fures & latrones, quia animas ad verã sapientiã annitẽtes suis nugamentis captare contendunt, & quasi abigei, à domino greges, & à vero pastore pec⁹ abducũt.

Quòd fides per aureum Vergilij ramum figuratur, & quædam de natura prophetiæ enarrata.
Cap. III.



Ides est ille aure⁹ Maronis nostri ramus q ad elysiũ pergentibus est necessarius. videbat enim vir ille, seu suopte ingenio, seu diuina magis inspiratione, q̃ ἐνθουσιασμὸν Grȩci vocant, sicut & Aduentum Christi antè præuiderat, esse quoddam sapientiæ genus, sine quo futuræ vitæ non valeat homini claritas apparere, & eam ramum aureum rectè nũcupauit. est enim fides ramus, hoc est q̃dam delibatio diuinæ sapientiæ, & aureus quidem, q^a & p̃ciosissima & immarcessibilis vt auri substantia, & rectè etiam in magno nemore dixit inueniri, quia inter varios & multiplices humanæ sapientiȩ modos, inter scilicet philosophantium sectas & traditiones hominum diuersas quasi arbor in amplissimo nemore fidei sapientia delitescit. Quod Vergi. dicit, Ipse volens facilisq; sequetur. Si te fata vocant aliter non viribus vllis Vincere, nec duro poteris conuellere ferro. Quid aliud est quàm

quod

quod dicitur à Christo, Nemo potest venire ad me nisi pater meꝰ traxerit illũ. Dei nanq; voluntas fatum dicitur, & rectè dicitur id muneris ferri sibi velle proserpinam. Proserpina enim teste Varone, est luna à proserpendo dicta, nam Sole semper eclipticam obseruante, Luna modò ad dextram, modò ad sinistrã cœli partem serpit & oberrat. Luna autem in scripturis sacris signat ecclesiam militantem, iuxta illud Apocalipsis: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, quod exponens Bernardꝰ inquit, Ecclesia enim est Luna illa sub pedibꝰ eius. Potest etiã & de Luna qui planeta est terrę propinquissimus, id intelligi, sicut nanq; ecclesia militans vult ad se venientes esse fideles, sic & ecclesia triumphans, non nisi fideles admittit, & venientes vult ramum proserpinæ, hoc est fidem Lunæ offerre. Nam cum ipsa Luna rerum immortalium ac æternarum sit limen, fides quæ ænigma quasi Lunæ maculam prætendit, ibi rectè relinquetur, vbi iam incipiunt apparere Diuina. Quòd verò Aeneas ferens ramum per loca pœnarum Sibylla comitante gradiatur, nil mirum: nam & filij Ecclesiæ dicunt: Transiuimus

per ignẽ & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Sibylla est sapientia diuina vel angelorum custodia homini attributa, qua nos protegente atq; gubernante, fidẽ inuenimus, inuentam, seruamus, & per huius vitæ difficultates ac tenebras ambulantes tandem ad Elysiũ, hoc est in paradisum, mutata in scientiam fide trãsimus, ideòq; dicitur: Perfecto munere diuæ deuenere locos lætos, & amœna vireta. Quòd si obijcias credi non debere Deum quæ futura erant homini pagano reuelasse, respondeam malos æquè ac bonos homines facturam esse Dei, Dei instrumenta, Dei ministratores, & Deo liberum esse eis vt suis vti cum libuerit. Balaam vir culpabilis de futuris antè longè prænunciauit. Sibyllæ quas & Lactantius, & Augustinus ad astruendam fidem citant, mulieres ex media gentilitate fuerũt. Caiphas vir scelestissimus vt in Euangelio legimus, prophetauit nesciens quid diceret. Ipsa Balaam Asina animal natura brutum ac indocile voces humanas edere perdocetur. Et deniq; vt paucis expediam, prophetiæ donum non ad gratiam quæ gratum facit, sed ad eam quæ solum gratis dari dicitur ex Theologorũ authoritate

ritate refertur, gratitudinis autem vocabulum si late extendatur, omnes procul dubio creaturas includit: omnia enim intelligit Deꝰ, & nihil odio habet eorũ quæ creauit, sed ex Theologorum vsu eis appropriatur qui ad aliquẽ futuræ beatitudinis gradum acceptantur, & quemadmodum in magna domo, q̃uis omnes Patrifamiliâs grati sint, soli tamen liberi sunt hæredes, sic & in mũdo omnes Deo grati sunt, non tamen omnes Christi cohæredes, sed illi tantum in quibus est fides non ociosa, non extincta, sed operatione accensa, futuri sunt.

Quòd fides est principium ineundæ cum Deo amicitiæ. Cap. IIII.



QVòd homo Deo placere incipiat, & si omnium virtutum est officium, maximè est tamen fidei attributum, propterea dicitur: Accedentẽ ad Deũ oportet credere, & sine fide inpossibile est placere Deo. Cuius rei rationem hanc assignauerim: Amat Deus hominem tanq̃ sibi similem, cæteris animantibus præfectum, & tanq̃ suum in terra vicarium, immò vt terrenum quendam Deũ, cum

ctum quo videtur partitus imperium, iuxta illud, Cœlum cœli Domino, terram autẽ dedit filijs hominum. At quoniã Dei natura est bonitas, sicut solis natura est claritas, quemadmodum sol nunq̃ illuminare, sic Deus benefacere nunq̃ cessat. Cogitat ergò hominẽ ex terreno facere cœlestem, & propterea quodã inter eos opus est commercio, & arcana quadam admonitione ac disciplina secretiore, qua veluti quoddam cœlesti semine iam percepta pedetentim incipiat transformari, & quasi diuinescere. Instituendum autem est, sed credere oportet instituentem: disciplinæ enim sunt de occultis, & ista p̃cipuè, neq; enim ex Mathematicis, quas dicunt peripatetici primum certitudinis gradum vsurpare, disciplina hæc est, sed de ignotis, de remotis non minus ab intellectu q̃ à sensu: q̃ enim remouet à ianua, remouetur à domo, at ianua intellectus est sensus, quia teste Aristotele, nihil est in intellectu, quin prius fuerit & in sensu. At in his quæ latent sensum & intellectum, quia scientia deficit, opinio non sufficit, currendum ad fidẽ q̃ vt habeatur captiuandus est intellectus & vinculo quodam alligandus, quod vocatur docen-

docentis authoritas, hoc vinculo astrict' quasi capistro equus sub Dei disciplina perseuerat, donec & spe & charitate vestitus omnem accipiat, p cœlesti militia commeatū. Exemplo Abraæ probauit hoc Paulus, neq; enim Abraā ex legis obseruatione, aut ex circuncisione, quæ nondum erant, sed ex sola fidei credulitate tantam iniuit cum Deo amicitiam, vt eius elegerit de qua Christus nasceretur vnam familiam. Vnde scriptum est: Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ratio probabilis facit opinionem. Causarum cognitio scientiam. Dei autem authoritas fidem.

De fidei progenie, spe, & charitate. Cap. V.

FIdes duas peperit filias, mortalem vnam, alteram immortalē. Spes mortalis est. Charitas immortalis. Quæ sic ex fide oriuntur, vt ex visu scientia: neq; enim sperari aut amari possunt, quæ nesciuntur. Spes & charitas in amore consistunt, & ambæ sunt habitus rationalis appetitus, quæ voluntas

luntas dicitur, ambæ circa idem intentæ eodē fere opere exercentur. Amant enim ambæ, & idem, sed non eodem modo prosequuntur. Spes præmium respicit. Charitas bonitatem. Spes erat quæ dicebat, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Charitas retributionem non respicit, amat liberaliter, & mercedis respectu non habito, & nihil sollicita pro præmio, bona cœlestia quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēderunt, nec ꝑ scientiā capi, nec ꝑ opinionē sic ꝑsuaderi valent, vt sperent, cœlū enim sine fide qs sperauerit? neq; etiā vt diligantur. Diligi autē voco quod non solum animo conplectamur, sed operatione quoq; prosequamur, qui ardens & efficax amor appellatur. De credendis ergò sciētia non habetur, opinio non sufficit, fides quæ inter vtramq; sita est (habet enim firmitatem cum scientia & obscuritatē cum opinione cōmunem) cum sit in ænigmate, sufficit ad ea persuadenda quæ sperari debent & amari. Et quatenus firma est adhæsio, eatenus immortalis est, quatenus verò obscura est, mortalis est. Cum enim facie ad faciem Deum videbimus,
omnis

omnis tolletur pplexitas, omnis incertitudo, omnis obſcuritas, & reliquiæ fidei tranſeuntis in ſcientiam iſtæ ſupererunt. Non mirũ ergò ſi ex matre de duplici cõſtat natura duarũ filię procreentur, mortalis ſcilicet, & immortalis. Nam aliter fieri nec debuit fortè, nec potuit, oportet enim ſimilem eſſe parentibus partum, & efficiens omne ſollicitum eſt vt ſibi (quoad poteſt) effectum aſsimilet. Sed quî fieri poteſt inquies, vt ex imperfecta matre (nam mancum & imperfectum quiddam eſt fides) generetur charitas, q̃ matrem ac ſororem dignitate præcellat? Ipſa nanq; (Paulo atteſtante) nõ occidit. At fides & ſpes vertentur in aliud. Spes in rem, fides in ſcientiam. Reſpondeo, id ita fieri poſſe (ſicut fieri poſſe perſpicuum eſt) vt ex imperfecto ſeminis corpuſculo arborũ ſurgat tanta proceritas, quanta eſt in quærcu, acere, & populo, & id genus alijs arboribus, acer, populus, vel ſi hoc non placet, ſicut fieri poteſt, vt ex viſu, qui eſt brutis communis & homini, generetur prudentia, ſine qua non conſiſtit humana ſocietas.

Quòd potius dicenda eſt ſpes in charitatem tranſire, quàm in rem. Cap. VI.


Vòd autem diximus ſpem in rem tranſituram, ſecundũ alios quidem id dictum eſt: ego enim rectius dici arbitror, tranſituram ſpem in charitatem. nam ſicut ſi à fide demas obſcuritatem ſcientia remanebit, ſic ſi à ſpe poſſeſsionis tollas reſpectum, charitas reſultabit, & ſicut in elementis ſecundum Ariſtotelẽ tranſmutatio eſt inter ea facilior q̃ ſymbolum, id eſt, communis qualitatis habent coniugium, vt inter ignem & aërem, quia vna qualitate remanente non fit in tranſitu tanta mutatio. Sic & in harum virtutum metamorphoſi tantò eſt transfigurationis maior facilitas, quantò eſt earum ſtrictior affinitas. Sunt etiam q̃ dicant ſuccedere ſpei tentionem, ſed ea tentio cum non manuum ſit, ſed voluntatis, nihil aliud eſſe poteſt q̃ amor charitatis. Qui autem dicunt ſpei rem ſuccedere, per rem nihil aliud intelligere poſſunt q̃ rei diu & eatenus deſideratæ, quatenus abſens fuit, nouam p̃ſentiam, atq; tentionẽ, atq; ita ſecundũ & naturã & aliorũ opinionẽ conſtat ſpẽ tranſire in charitatẽ. Sciendum autem virtutum quaſdã eſſe quibus imperfectionis nil annectitur, vt

vt sunt sapientia, prouidentia, charitas, has etiam Deo tribuimus, quasdam esse natura imperfectas, vt sunt spes, fides, & ipsa, ad quam te adhortamur, patientia, & hæ quidem sicut à Dei natura alienæ, sic naturæ humanæ in hac mortalitate sunt necessariæ.

De nominibus eorum qui à fide deficiunt. Cap. VII.

QVi ad fidei nostræ lucẽ nunq̃ venerũt Latinè infideles, ethnici, id est gentiles græcè nuncupantur: ethnos enim gentem significat. Dicuntur & pagani, hoc est, rusticani, ꝙ non spiritu renati sicut Christiani, sed in ea qua geniti sunt rusticitate semꝑ permãserunt Machometistæ q̃ Aphricam, Aegyptũ, Arabiam & Syriam inhabitant stultitiam eorum indicante vocabulo mori nominantur. Qui enim dicitur moros à Græcis, dicitur Nabal ab Hebræis, fatuus à nobis. Nec putet quis eos dici moros, quod ex Mauritania sint vel venerint, vt morus pro maurus, sicut plostrum pro plaustrum proferatur. Machometus enim Arabs fuit, Mauri autem vl-

timas Aphricæ occidentalis oras è regione ad Hispanos inhabitant. Notabile certè, & à curiositate humana non prætereundum forsitan, & mysterio carere non existimandum, q tres maximi legum latores, & illustrissimi auctores trium religionum, quæ totum terrarũ orbem occuperarunt, in tribus mundi partib' sibi vicinis, immò confinibus atq; continuis, & in medio terræ habitabilis constitutis, hoc est, Assyria, Arabia, & Aegypto fuerint procreati. Fuit enim Christus Assyrius, Machometus Arabs. Moses Aegyptius. Sed hæc dissimulanda sunt ad præsens: neq; enim suppetit nũc ocium nobis ad coniectandum. Qui de rebus fidei rectè sentiunt, catholici, id est vniuersales vocant. Nã fides nostra nõ sicut lex vetus solis Israëlitis vni genti vel nationi, sed generaliter data est vniuersis, qui postq̃ fidem susceperũt, de necessarijs ad salutem partim rectè, partim prauè sentiunt, hęretici, hoc est sectatores appellantur. Hæresis nãq; secta appellatur. Qui penitus à suscepta fide defecerint, Apostatæ, id est, rebelles vocantur: nam apostasis rebellio interpretatur. Et quemadmodum christiani à Christo, quam appellationem viuentibus ad-

huc

huc Apostolis primùm Anthiochiæ factã narrat Lucas in Actis Apostolorum, sic & Iudæi à Iuda sunt vocati, à quo descendit tribus regia, & inter duodecim magis honorata. Dicti etiã sunt hebræi, & hæc cognominatio longè vetustior, profluxit (vt aliqui volunt) ab heber, in cuius familia, quando est linguarum facta confusio in Babylone, remansisse fertur lingua primitiua, q̃ ab eo dicta est hebræa, vel, vt alij sentiũt, ab Aheber, quod interpretatur trãsitus. Transiuit enim Abrahã, monitus à Deo, ex Mesopotamia ad Cananeorum terram, quò cũ peruenisset, vocatus est hebręus, hoc est trãsiens & aduentitius, & hoc fuisse videtur omen & quoddam præsagium futurorum. Hebræi enim sepenumero vt sacrę testantur, Historię, de sedibus suis translati de gente in gentem transmigrarunt, & tandem eorum lex vt tale cognomen futurũ innuebat, more suæ gentis, instabilis & transitoria transiuit in nostram. Plura autem de his subijcerem, nisi scirẽ te & christianissimũ, & sacrę Scripturę fieri indies magis studiosum. In ea enim omnia quæ ad salutem & ad beatitudinẽ pertinent, videre facilimum est.

De causis fidei. Cap.VIII.


Edeamus ad tria quibus fidem fieri supra iã diximus, ea sunt sermo, miraculum, inspiratio. Per sermonem & miraculum sine inspiratione neminem ad fidem venisse cognouimus. Per inspirationem & sermonem sine miraculis, & cum miraculis credidere q̃ plurimi. Sermo quid credas explanat. Miraculum facit vt audiens aduertat. Sermoni etiam astipulatur & dicta confirmat, inspiratio verò assensum inclinat. Ergo fidei materia (vt omne genus causarum attingam quarum in secundo libro de physico auditu meminit Aristoteles) circa quam sunt credenda, in qua est intellectus. Materia enim triplex, in qua, circa quam, & ex qua. Sed de tertia nihil ad præsens. Illa enim solorũ est corporum. Forma inducenda ipsa est fides. Nam forma est fides, materiæ dispositio (ideo non necessaria, quia potest ab agente suppleri) est miraculum, agens Deus, actio inspiratio, assensus introductio, finis beatitudo. Assensus autem duplex, & quo intellectus vero, & quo volun-

voluntas bono aſſentitur, inſpiratio, intelle-
ctui primùm veritatem, mox voluntati oſten-
dit bonitatem. Nam vtriuſq; ſpecies lucet in
credendis. Primus aſſenſus eſt fidei, ſecundus
magis charitatis & ſpei.

De vi & natura miraculorum Cap. IX.

THeologorum quidam doctiſsimi atq; clariſsimi ſubtiliſsimis diſputationibus quæſierunt an per Christi miracula ꝓbatu ſit poſſibile eum fuiſſe Deum & Meſsiã in antiqua lege promiſſum? Sũt qui affirmẽt, ſunt & qui negent. Ego autem (vt paucis expediam) in eorum qui negant, hoc eſt Gerardi Bononiẽſis, & Pauli Peruſini ordinis mei ſententiã vado. Si enim ꝑ miracula id ꝓbaretur, iã non crederet, ſed id nobis credendũ ꝓponitur. Addeq; cum nõ cõſtiterit qua virtute, propria ſcilicet, an aliena, Dei an belzebub vt iudęi caluminant, id fecerit, dici ſemper poterit id commune & alijs fuiſſe. Nam præcedentibus etiam ſæculis apud gentiles & Hebræos paria nec minora ſunt viſa. Legimꝰ Magos Pharaonis, qui gentiles erant, ſicut & Moſen fe-

ciſſe miracula.Legimus Heliam mortuum ſuſcitaſſe.Heliſęum Naaman à lepra curaſſe. Eſaias narrat decem lineis ſolem eſſe reuerſum, quo miraculo neſcio an maius vnq̃ audiuerim: quod enim maius,quodúe mirabilius eſſe poteſt,quàm ꝙ vt vni homini, hoc eſt, Ezechiæ regi ægrotanti,de recuperanda ſanitate fides fieret, ille cœleſtium ſphærarum diuinus & ſempiternus ordo mutaretur? Quis pro miraculo non accipiat,quod à Ti.Liuio pri.lib.de primo bello punico recitatur? Romanos ſcilicet cum triennio peſtilentia laboraſſent, Sibyllinis libris admonitos, miſiſſe legatos Epidaurum Peloponneſi vrbem,qui Eſculapiũ Deum Romam accerſerent,quò cũ veniſſent numen ipſius Dei in ſerpentis ſpecie apparuiſſe,& per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis,leni tractu labi cœpiſſe,& tandem ſpectante populo ad Triremem Romam ſponte profectum in quinti Vgolini legati tabernaculo multiplici orbe ſe conſpiraſſe, quieuiſſeq́; ſemper,donec Antium (q̃ in Italia Volſcorum eſt ciuitas) perueniſſent. Vbi ex naui prolapſum poſtq̃ in veſtibulo templi ſibi dicati triduo permanſit, in nauim iterũ proſerpiſſe,

pisse, ac demũ Triremi iam Romam ingressa in insulam Tyberinam, vbi templum ei dicatum est, transnatasse. Sunt ista quidam (non imus inficias) commẽta diaboli, sed quis mortalium (nisi Christiana imbutus disciplina) dignoscat? Plato scribit Phereum quendam Pamphilium inter eos, qui in acie ceciderant, decẽ diebus iacuisse, biduoq; postq̃ indè sublatus esset, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam tempora mortis visa narrasse. Sed ne sit necesset per multa vagari, volentem gentilium mira reperire, legatur Valerij primus liber factorum & dictorum memorabilium, & quod de omnibus, de somnijs, de prodigijs, & de miraculis referat, attendatur. Quod autem Christus dicit, fecisse se quędam, quę nemo alius vnquã antè fecerit, ideò vtiq; dixit, ꝙ alij miracula non propria, nõ diuina, sicut ipse fecit, virtute fecissent: non fuit ergò miraculorũ exhibitio, sed vis exhibẽdi singularis in Christo. Et quoniam scimus mira quædam à Deo, à spiritibus etiam malis æquè ac bonis, & à natura quoq; fieri posse, & quum fiunt, à quo potissimum fiant semper ambiguum, concludimus miraculum fallax esse signum, quemad-

modum & color in vrina, & in vultu obscuritas, vtpote quę à pluribus causis prouenire solent, & à quibus proueniant, rarò compertum. Hoc igitur dixi, non vt nostra infirmem, pro quibus etiam fundendus est cruor, sed ne simul cum nostris aliena confirmem, quibus est cum nostris commune miraculum. Tenemus enim etiam Antichristum dogmatum suorum impietatem miraculis roboraturum, quib' quotidie ne fidem adhibeamus, admonemur, quo innuitur posse, & miraculis, licet non veris, sed quo ad nos veritatem præ se ferentibus, astrui falsitatem.

De errore Auicennæ & aliorum qui dicunt, omnia miracula fieri naturaliter. Cap. X.


Ed potius ex fide miraculū, q̄ ex miraculo fides efficitur. Dicit enim Christus, Si habueritis fidē sicut est granum sinapis, & dixeritis monti huic, Trāsi hinc, trāsibit. Fuere tamen nonnulli gloriæ diuinæ quodammodo inuidi, naturæ autem nimis addicti

dicti, inter quos est Auicenna, qui conati sunt omnium miraculorum, etiam eorum quæ in nostrum beneficium Deus ostendit, in natura rerũ causas inuenire. Aiunt enim nostrę imaginationi cum fortis est, obedire primum vires animæ, vt ea est, quæ digerendo nutrimento prefecta est, quo sępè factum dicunt, vt nõnulli ex lepræ imaginatione leprosi euaserint. Obedire etiam imaginationi non corpus solum animæ imaginanti coniugatum, q̃ & nos concedimus, sed & materiam quoq; exteriorem, quod negamus. Nec tamẽ id aiunt omnibus animabus esse cõmune, sed quarũdam esse priuilegium singulare, quas alijs excellentiores ac diuiniores putant, quales esse volunt prophetarum & deorum seu semideorum. Isigonus & Memphodorus, teste Plinio in vij. naturalis historiæ lib. cap. ij. Tradunt, in Aphrica quasdam esse familias, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdem, generis in Triballis & Illyrijs adijcit Isigonus, qui visu quoq; effascinent & interimant, quos diutius intueantur iratis præcipuè oculis, & hos pupillas binas in oculis habere.

Sunt, vt aiunt, hui⁹ generis fœminæ in Scythia Bythyæ appellatæ. Verùm hæc non imaginationibus, sed vel halitui oris pestifero, vel vapori venenoso, qui ex oculis prodeat, ascribēda, sicut accidit in his qui pestilentia sunt infecti. Eorū nanq; animæ cōstat vim inesse mortiferam, quæ & in alios contagio sæuiens, & multiplicatione sui inualescat & serpat. Hi nimirū qui effascinandi vim habent, nescio quid simile patiuntur, sibi innoxium, alijs lethiferū. Et ne videatur impossibile huiusmodi venenosos humores intra nos gigni, subijciam quæ Plinius lib. xij. naturalis historiæ capite xv. de menstruo mulierum, ex quo humana corpora cōcreantur, enarret. Sic enim inquit: Nihil facile reperitur mulierum profluuio magis monstrificum. Acescūt superuentu musta, sterilescūt tactæ fruges, moriunt̄ insita, exurunt̄ hortorū germina, & fruct⁹ qbus insedere decidunt, speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri p̄stringitur, eborisq; nitor, aluei apum emoriuntur, æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorq; dirus aëra, & in rabiē aguntur, gustato eo, canes, atq; insanabili veneno morsus infigitur. Sic Plinius.

Aiunt etiam Medici pestilentiam non semper cõtagio fieri,sed humoribus atq; spiritibus in homine vitiatis,dirum illud morbi insanabilis genus enasci.Quo fit,vt non omnia in causas naturales,sed quædam etiam in dæmones, quædã,hoc est,ea quæ vera sunt,in bonos angelos,& in Deum sint referenda miracula.

An sit vbiq; lex Christi promulgata. Cap.XI.



Ed an impletum adhuc sit q dicitur,in omnem terram exiuit sonus eorum,si per terram intelligas continentem,non dubito: adimpletum enim existimo. Si verò terræ vocabulum ad omnium hominũ habitationem extendas, dubito, & eò maximè, q diebus nostris opera regũ Hispaniæ, multæ in Athlantico,in Aethiopico,in Indico Oceano,vltra etiam circulum Capricorni, & torridam zonam,vbi altera terræ habitabilis portio collocatur,repertæ sunt Insulæ ab hominibus habitatæ,nostris etiam multò maiores, vtpote quarum aliquæ tria & amplius passuũ milia in circuitu habeant,& harũ neq; Strabo, neq;

neq; Ptolemæus, neq; Pomponius Mela, neq; Plini⁹, neq; antiquorum scriptorũ quisq̃ meminerunt, quo constat fuisse semper hactenus ignotas, & nunc primùm accepisse nuncium de de Christo. Qui verò inter illos, huius ignorantiæ nocte perdurante, secundum legem naturaliter hominibus insitam benè vixerint, etiamsi aliquando peccauerint, modò postea egerint pœnitentiam, putamus post mortem aliquod fœlicitatis genus habituros, & loca aliqua Dei dono sortituros, vbi melius vel saltem minus malè sint habituri, q̃ hi qui sordidè & flagitiosè vixerunt. Sic putare me cogit iustitiæ & clementiæ Diuinæ contemplatio, & Dauid authoritas ita dicentis: Quia tu reddes vnicuiq; secundum opera sua.

Religionem Christianam non esse à stellis vt errant astrologi, sed esse breuissimam ad cœlum viam à Deo inuentam & traditam. Cap. XII.


Vòd verò dicunt astronomi, religionem Christianam à cœli constellationib⁹ fluxisse, falsum, nepharium atq; impium puto. Aiũt nanq; Iouẽ iunctum cum Saturno fecisse

fecisse Hebræam: cum Marte Chaldæam, cum Sole Aegyptiam, cum Venere Saracenicam, cū Mercurio Christianam. Cū Luna verò factur ū aliquando dicunt Antichristi religionem, qui in fine sæculorum venturus est, hæc nugamēta fictitia execramur, & quasi nænias infantiles ridemus assiduè, & quidem multis rationibus persuasi, sed ea potissimum ad præsens, q̄ scimus tales planetarum coitus sæpè antè has regiones factos, & nunquam tamen ex eis legem fluxisse, quo constat leges ab eis non fieri, & non esse religionum causas hos coitus. Si enim causę essēt, cùm posita causa naturali poni necesse sit & effectum, quàmprimum congressa fuissent ea sydera, sicut postea produxerunt, sic & tunc legem produxissent, q̄ si facto coitu lex non prodijt, certa ratione concludimus, coitum legis vel non esse causam, vel saltem diminutam. Dicimus ergò, & quod dicimus credimus, fidem Christianam non à syderibus, sed à Deo per Mediatorem Dei & hominum, Deum & hominem Christum Iesum conditam, ab Apostolis ꝓmulgatā, miraculis confirmatā, veritate subnixam, ꝑditam honestate, fultam ratione. Hanc ergò vt teneas hortor

tor & moneo, & repetens iterumque iterumq; monebo: hæc enim vita via est in cœlum recta, & quàm breuissima ad illa sempiterna bona, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit. Vt Mathematici volunt linearum quæ in punctum aliquod protrahuntur, nulla breuior est, quam ea quæ recta est, rectitudinē hanc habet Christiana religio, vtpote quæ post mortem iustorum animas non per anfractus ducat ad Deum, sicut olim lex Hebræorum quæ animas quantacunque iustitia pollentes mittebat ad inferos, & ad locum quem Abrahæ sinum appellabant. Erat illa lex via quidem ad Deum, sed longa, sed obliqua, quæ per nostram ad rectitudinem & ad compendium est reducta, immo in nostram mutata, nec illi per nostram nisi rectitudo quicquid est annexum. Via quæ obliqua erat longa & perplexa, facta est recta, breuis, expedita. Aliæ verò leges ambages sunt, & fabulationes, sicut dicit psalmus: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. & alibi: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

De Georgio Nouarienſi Bononiæ combuſto cum quibuſdam diſputationibus de fide Chriſtiana.
Cap. XIIII.



Nam ſubijciam fidei argumentatiunculam, qua ego, quoad potui, ab errore reuocare ſum conatus Georgium Nouarienſem illum, quem ante quatuor annos hic Bononiæ, vt meritus erat, ardere conſpeximus. Verùm ſicut natura, ceſſante medicina, nil iuuat, ſic quia Deus iuſto, ſed occulto iudicio non aſpirauit, nullum attulerunt verba remedium. Erat enim adeò deprauatus, & in reprobum ſenſum datus, vt neq; euidentiſsimas rationes audiret. Poſtq̃ in doctorum ac p̃ſtantium virorum conſenſu huius à notario lecta ſunt dogmata, dicentibus alijs eum hæreticũ, vbi ad me ventum eſt (faciebat enim ordinem dicendi ordo ſedentium) non hæreticum, ſed q̃ longè eſt deteſtabilius, reſpondi apoſtatam. Longa enim Iudæorũ conſuetudine ideò corruptus, quia à Deo derelictus iudaizabat, & in ſe verificabat, quod dicitur, cum ſancto ſanctus eris, cum peruerſo peruerteris. Huic noſtræ

ſententiæ, etſi primùm viſi ſunt aliquantiſper quidam aduerſari, tandem tamen vt intellexerunt, omnes aſſenſere. Paulòpòſt ipſe Georgius, vt audirem ipſam beſtiam ſua verba reſonantem, adductus eſt. Homo erat ſtaturæ iuſtæ, formę liberalis, corpore firmo robuſtoq́;, ingenio vafro, prauo, ac ſubdolo, adeò vt in eo vno viderer agnoſcere Catilinam: Vlyſſē, & Sinonem. Cum igitur alij multa inſcitè apteq́;, ſed certè bonitatem malitia perfocante, inutiliter dixiſſent, ſtatui, & ego aliquid præter ea quæ adducta dictaq; fuerant, ſubinferre, quò etſi non illi ad ſalutem, mihi tamen eſſet vtilis ad meritum labor meus. Sic ergò inter nos certamen initum eſt. Chriſtum, inq̄, in lege promiſſum nondum veniſſe putas, ô Georgi? Puto, dixit ille, nondū veniſſe Chriſtū verum. tunc ego, Danielis inquam & aliorū prophetarum vaticinijs, de quibus ab alijs abundè iam dictum eſt, prætermiſsis, Volo tecum ſermone materno ſimplici ac familiari & de circumuentione minimè ſuſpecto fabulari. Cùm venerit Chriſtus, dic ſodes, boni quid afferet? Populi liberationē reſpondit, ſubijciet gētes, & lōgè ac latè dominabit. Tūc ego, ſi ti-

ſi tibi inquam alium dedero, cuius maiora ſint longè ac meliora facinora, nonne hunc Chriſto tuo præſtare fateberis? Fatebor reſpondit. Tunc ego, æquo animo ſis dixi, & auribus faue, ſi Attila, aut Othomanus aliquis Bononiam obſideat, & duorum alterum petat à ciuibus, vt aut terrenum principem, aut Deũ ſuum negent, vtrum facilius putas impetratu? Vt principem terrenũ negent, reſpondit. Tunc ego ſubieci, hactenus Georgi ſcitè ſapienterq́; reſpondes, atq; vtinam ſic in finem vſq; reſpondeas: ſic enim facilè te ex his compedibus exolues, non ſunt deliri hominis iſtæ voces. Erant enim in collegio quidam qui eum ſub dementiæ p̃textu ſaluare contenderent. Pergamus inquam & rectè vt cœpiſti ſemper reſpondeas. Maius eſt ergò factuq́; difficilius Deum verum vel eum quem verum quis putet, quàm terrenum principem explodere, & ex mentibus hominum contempta eius cultura deturbare? Maius reſpondit. Tunc ego: At Chriſtus inquam noſter hoc egit. Ille his auditis ſubitò expalluit: vt nudis preſsit qui calcibus anguem. Et Lugdunenſem rethor dicturus ad aram, & ſubiungens,
 Vides

vides dixi, Georgi, quomodo ſapientia Chri-
ſti vincit tuam malitiam, quomodo fateri co-
actus es noſtrum Chriſtum tuo, quē ſomnias,
Chriſto præferendum? Non venit Chriſtus
verus mundi vt putas quæſiturus imperium.
Dixit enim ipſe: Regnum meū non eſt de hoc
mundo, ſed vt nos de diaboli poteſtate & ab I-
dololatria reuocaret. Propterea cùm paſsio-
nem ſuam ſciret inſtare, Nunc princeps huius
mundi, inquit, eijcietur foràs & ego ſi exalta-
tus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.
Hic eſt communis & antiquus Iudæorum er-
ror, Chriſtum putare temporaliter regnaturū;
quo etiam mater Ioannis & Iacobi vxor Ze-
bedæi cùm more Iudaico eſſet implicata roga-
uit filijs mundanam dignitatem, & propterea
de ignorantia damnatā à Chriſto. Putabat nāq;
Mulier adhuc Iudaicè ſapiens Chriſtum more
Dauid & Salomonis in purpura & auro & ar-
morum potentia regnaturum. Sic populus ille
carnalis ſemper fuit, ſic rudis & hebes, vt nunq̄
Dei voces intellexerit. Propterea tantam eo-
rum pertœſus ignauiam terga eis dedit. Quod
futurū Deus antè monſtrauerat eo præcipuè
caſu, q̄ cùm Moſes Deum rogaret, vt faciem
oſten-

ostēderet, cōfestim abiēs terga ostendit. Vndè scriptum est, Vidi posteriora, videntis me. Ioannes in Epistola sua cap. iij. cur Christus venerit, manifestat, dicens: Ille apparuit, vt peccata tolleret. Et paulò infrà: In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Nō igitur vt putatis vos, quò temporaliter regnaret, sed vt Idololatriā destruens: Mundum ad Dei cultum reuocaret. Tibi ergò & Iudæis inutiliter apparuit, & facitis apud vos conatum eius esse sine fructu, dum caligo vestræ pertinatiæ bonitatis eius lumen excludit. Sed quibus vtiliter apparuit Esaias cap. lxv. longè antè ꝑdixerat. Inuentus sum, inquit, à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit, Tota die expandi manus meas ad populum non credentē, sed contradicentem mihi. Aestuas dixi ô Georgi, æstuas. At breui nisi resipiscas æstuabis acerbius. Tunc ille, non æstuo dixit, sed philosophiæ ac Dialecticæ retibus me insequeris, quibus etsi capi possum, teneri non possum. Quid has, inquā, vanas excusationes perperā adducis? Quid de Dialectica conquereris? sum ne ego Chrysippꝰ, de quo dictū est ab an-

 tiquis,

tiquis, ꝙ si Iuppiter Dialecticam habere velit nõ aliam habiturum q̃ Chrysippęam, non potui nudius, nõ potui simplicius apertiusq; loqui, sed, vt video, ex illis malis es piscibus, de quibus dicitur: Simile est regnum cœlorum sagenę missę in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem forâs miserunt. Nec negare potes tot populos virtute Christi ad vnius Dei cultum reuocatos. Nam in eius nomine & ipse prædixerat, sunt eiecta dæmonia, sunt curati morbi, mortui suscitati, idola confracta, templa destructa, & demum prædicata per totum orbem veritas orthodoxa. Hoc Apostoli, hoc martyres, hoc sancti confessores inuocato Christi nomine, non in angulis, sed palàm coram principibus, regibus & populis in aperto fecerunt. Nulla iã natio, nulla mundi pars, nisi fortasse (vt prædixi) aliquæ apud Antipodes, si vsquam sunt Antipodes, vel alibi Insulæ abditissimæ & nobis ignotæ sint, in quas nondum Christi fama transierit, Idololatriæ seruit. Et quis hanc per orbem doctrinam sparsit? Quis hanc mercem per

Asiam,

Aſiam, Aphricam & Europam tulit? Iudæi ne? Non vtiq; neq; enim vnq̃ ipſi gentem vllam ad vnius Dei cultum reuocarunt, ſed ipſi ſæpius ad Idololatriam, relicto Dei cultu, declinarunt. At quis hoc dogma, per mare, per Inſulas, per terram ſeminauit? Nempè illi de quibus Dauid dixerat, Pro patribus tuis, hoc eſt, pro patriarchis & prophetis, nati ſunt tibi filij, id eſt, Apoſtoli, qui ſunt à Chriſto in patrum antiquorum locum ſubrogati: & ſequitur Dauid: Conſtitues eos principes ſup̃ omnem terram, & in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Nã dum Thomas Parthos, Matthæus Aethiopiam, Ioannes Aſiam, Petrus Pontum, Galatiã, Cappadociam, Paulus Græciam & Illyricum, & ambo Petrus ſcilicet & Paulꝰ Romã & Italiam die noctuq; docendo perambulant, pulſa ſunt ex tẽplis & ex templorum adytis ſimulacriſq; dæmonia, templa euerſa, ſtatuæ comminutæ, aræ contritæ. Et tandem Conſtantinus imperator benè in Chriſtianos animatus fide ſuſcepta, & cruce pro aquilis & imperij inſignibus contra Maxentium Maximiani filiũ Chriſtianorum ꝑſecutorẽ, eleuata

in Christi reuerentia, vetuit quenq; in crucem agi. Summo Christianorum Pontifici Syluestro Romam cessit, templa quæ adhuc extant Christo maximis impensis posuit. Ecce Georgi, hæc sunt opera triumphalia Christi nostri, & quid Christus tuus amplius gerere poterit? quid æquale, quod est, dum est, impossibile factu est. Aristoteles enim inter principia rerum naturalia numerat & priuationem, & sicut lignum ex non ligno, & lapidem ex non lapide, sic cultũ ex non cultu fieri est necesse. Cultu ergò diuino iam inducto, quicquid agendum restat, minus est hoc facto, qui ergo futurus est Christus eo qui iã fuit & hæc fecit, minor certè erit, & id ex tua confessione sequi manifestum. Ad hæc Georgius subirat⁹, mihi ne, dixit, tanq̃ mulierculæ ista narras? putas ne te hodie aniculam conuersurum. Non sunt, inquã, ô Georgi, non sunt tuæ istæ voces: fact⁹ es enim diaboli simulacrum. Sed pone miser hanc dementiam, & noli contra stimulum calcitrare, noli, Spiritui sancto resistere. incipe si quod habes, & has nostras aniles fabulas tu qui tantus es dissolue si potes. Habeo, inquit, penes me respondere quid possim, & cùm tempus erit
respon-

respondebo. Tunc ego respondi, Nunc, optime vir, quandoquidem tempus & locus id postulant. Mentitus es, inquit, me quem improbum iudicas virum bonum appellans. Parcius dixi, ô Georgi, parcius ego te optimum non aliter q̃ Christus Dei filius Iudam amicum dixit, qui scilicet non esset, sed amicus esse debuisset, & quem zelo charitatis amicum optabat. Respõde igitur & confer pedem: tua nanq; si bona fuerint responsa amplectemur, & huc huius gratia venimus, vt tu de fide rectè sentiens & sanè respondens, absoluare, & nos te adiuuantes cum aliquo spiritualis frugis emolumento resipiscenti tibi collætemur. Nondum, inquit, idolorum cultura est explosa, sed nunc maximè idola colitis vos Christiani. O sancte præceptor, inquam, perge, oro te, perge, tolle ex mentibus nostris hanc impietatem, & doce nos hodie quæ Christianorum sint idola. Iuro enim tibi me illa confestim negaturum. Dic agedum quæ sunt Christianorum idola, ô Georgi. Petrus, Paulus, Hieronymus, Ambrosi⁹, respondit ille. Vis, inquam, ô Georgi, amici aduersum te fungar officio? Volo respondit. Tunc ego: Amici officium esse dixi, amicos,

quum quid deliquerint obiurgare. Nam inquit Aristoteles in Ethicis, Melius est ferre auxilium in moribus, q̃ in diuitijs, quando id honestius, & amicitiæ magis congruum. Obiurgabo ergò te, cum bona venia. Quid miser calũniaris Christianos, quòd Idololatrię dediti sint imputando? nonne vides insanetuam amentiam? & quod dum me vocas idololatram, teipsum esse iudicas idiotam? quomodo Petrus est idolum? cùm Petrus sit aliquid, idolum autem nihil. Idolum esse nihil Paulus definit, & rectè quidem: nam in earum naturarum catalogo, quæ à mundi Opifice Deo sunt conditæ, non magis est idolum, q̃ chimera, q̃ Hircoceruus, & alia ficta ac imaginaria, quæ rationis entia vocant Dialectici, nec plus est idolum vnum quiddam, q̃ nauis & nauta, q̃ arator & stiua, & cætera similia, non per se, nec à partium natura, sed aliundè vnitatem habẽtia. Hîc Georgius, Concitas, inquit, vt video aduersum me omnem philosophiam Ionicam & Italicam. Vis Dialecticorum elenchos & præstigia sophistarum contra me armare. Sed quæ gloria vestra est, Si puerum iuuenes, si multi fallitis vnum? Dauus non sum

Oedi-

Oedipus. Spingis ænigma non intelligo. Ah, Georgi, dixi q̃ longè à recto erras itinere, & q̃ facile redires ad viam si redires ad teipsum, nõ es Dauus, sed es aspis surda, quæ cauda obturans aurem suam ne audiat vocem incantantis sapienter. Heu miser in q̃ diram strigem incidisti, quæ sic omnem tibi sanguinẽ luctu hausit, quo es totus deuoratus à lamia. Ah miser exue iam opera tenebrarũ, & indue arma lucis, & redi ad matrem tuam Ecclesiam Catholicam, quæ te genuit, quæ te mortuum luget, quæ nos huc misit, vt suscíteris, redi cum filio prodigo ad patris pietatem, scis, nec doceri te est opus, quàm sit clemens & benignus, & pręstabilis super malicia. Expectat te Christus & Angeli sancti, de quibus dicitur, Gaudium est angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, redi ad gremium matris Ecclesiæ, parcitur tibi, condonatur hic error iuuentuti. Recordare parentum, cognatorum, affinium, amicorum, & patriæ, quibus infidelitatis notam hanc inuris, perdis hac dementia teipsum, maculas hoc scelere genus tuum, contaminas hac impietatę nostrum hoc sæculum. Ad hæc ille solo fi-

xos oculos tenebat. Nec magis incœpto vultũ sermone mouetur: Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Et facto paruo, ad videndum quid responderet, interuallo, mox adiunxi: At postq̃ perstas in proposito, redeo & ego ad ꝓpositum, noli metuere, Georgi, te à nobis decipi, neq; enim sumus discipuli, vt tu perperã vocas Christi discipulos, ꝙ videlicet homines piscarentur, hoc est secundum tuam interpretationem deciperent, induco contra te veritatem, non sophisma. Quę de Idolo dixi, nõ sunt ex apicibus vel apendicibus humanę curiositatis, sed ex veræ philosophiæ fundamentis, animaduerte quorum conspectibus astes: licet enim ego & tu fortè sumꝰ Dameta & Menalcas, non desunt tamen Palemones qui circumspectant. Idolũ, inquit, à me appellatur quicquid aliud à Deo non adorandum adoratur, vt sanctorum vestrorum imagines, quas ego tunc etiam, cùm essem adhuc puer solebam lapidibus ferire & luto conspergere. Tunc ego subieci illud Persianum: O curuæ in terras animæ & cœlestium inanes. & item illud: O miser inq; dies vltrà miser, huccine rerum Venimus? An nescis ꝙ quotidie concionamur ad

popu-

populum adorari & Deum & creaturas. Etenim quid eſt adorare, niſi venerari & colere? quod ſi dicas ſcriptum eſſe, Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies, reſpondemus adorationis genus eſſe duplex, vnum quod latria, aliud quod dulia vocatur à Græcis. Primo adorationis genere inclinamur alicui tanquam creatori tanquam Deo hoſtias & oblationes offerendo, ſecundo inclinamur creaturę, quæ inclinatio eſt cuiuſdam excellentiæ proteſtatio. De quo genere dicitur cùm in multis ſcripturæ locis, tum præcipuè quod memoriæ nunc occurrit, cap.xxxiij. Geneſeos, vbi dicitur, quod Rachel & Ioſeph Eſau patruum ſuum adorarunt. Quod ergò penes nos eſt Petrus & Paulus, hoc penes Iudæos eſt Moyſes, Aarō, Neëmias, Eſdras, Dauid, & Samuel, & cœteri vitæ approbatæ & doctrinæ viri, ſanctos enim vt deos non adoramus, at tanquam Dei amicos amamus, honoramus, veneramur, & colimus. Aliud eſt regem, aliud eſt miniſtros honorare propter regem. Ad hæc ille nequitia ſua quaſi quadam ſpirituali apoplexia correptus obmutuit, & hoc ea de cauſa, quia ei deerat, quod eſt in conuerſione potiſsimum, inſpiratio. Benè ergò à Chriſto dicitur: Nemo poteſt

poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit e-
um. Pauca hæc de fide tecum recenſui: ſcio e-
nim magnam & pluſquam dici aut cogitari
poſsit fidei vim ineſſe, quam ſi vigilanter cu-
ſtodieris, faciet te omnium inimicorum vi-
ctorem, & omnium calamitatum contempto-
rem. Propterea Ioannes Apoſtolus in prima
Epiſtola cap. v. dicit: Hęc eſt victoria quę vin-
cit mundũ fides noſtra. Quis eſt autem q̃ vin-
cit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt
filius Dei? Qui Ieſum Dei filium firmiſsimè
credit, dictis eius aſſentire nõ dubitat, qui di-
ctis eius firmiter adhæret, iam mundum hunc
neceſſè eſt contemnat: at qui mundũ contem-
nit vincit. Rectè ergò Ioannes concludit, mũ-
di huius eſſe victorem, q̃ Ieſum credit eſſe ſal-
uatorẽ. Et Paulus: Fundamentũ, inquit, aliud
nemo poteſt ponere p̃ter id q̃ poſitũ eſt, quod
eſt Ieſus Chriſtꝰ. Addam vnã Hieremiæ ſen-
tentiam, q̃ Paulus Apoſtolus ad Hebræos cap.
viij. contra Iudæorũ citat p̃uicaciam: Vitupe-
rans enim Deꝰ Iudæos in Hieremia dixit, Ec-
ce dies veniẽt, dicit Dominꝰ, & cõſummabo
ſuper domum Iſraël, & ſup̃ domũ Iuda, teſta-
mentũ q̃d feci patribus eorũ, in die' qua appre-
hendi

hendi manum eorum, vt educerem eos de manu Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, sic Hieremias. Cerne q̃ manifestum nouo testamento ferat testimonium. Quid est oro te consummare, nisi complere? Vetus testamentum diu, id est, vsq; ad Christi aduentum fuit inchoatum, fuit imperfectum, & erat quasi mola inferior ociosa, cui noui testamenti mola superior erat imponenda, vt adueniente fluxu spiritus vehementis, hominum inter vtraq; comprehensa duricies pœnitentiæ contritione moleretur. Vndè Ioannes Baptista superioris molæ præcursor & nuncius ex Euangelio Matthæi clamabat, Pœnitentiam agite: appropinquabit enim Regnum cœlorũ. Vocat regnum cœlorũ nouum testamentũ, ad quod cum iã esset veteri imponendũ, homines quasi triticum vocat ad molendum. Ideò dicit Christus, Erunt duæ molentes, vna assumetur, & altera relinquetur. Erat ergò vetus testamentum in nouo comsummandum, quod vbi factum fuit, & rei & consummationis huius author Christus non tacuit. Sed Hieremiæ respondens alta voce mox dixit: Consummatũ est.

eſt.Vide mirabilem Dei ſapientiam, inexpugnabile fidei fundamentum,& nutantis animę ſolidum firmamentum. Sed ne dicentes vnam iſtarum molarum alteri impoſitam videamur ſentire contra Chriſtum dicentem, vnam aſſumendam, alteram relinquendam, dictum eius ſumma cum reuerentia ſic declaramus, vt dicamus fidem Hebræorum, hoc eſt, vetus teſtamentũ, dici à Chriſto ideò derelinqui, ꝙ pars ea q̃ de cæremonijs, id eſt, ſacrificijs, & ea ſimiliter q̃ agit de iudicijs & de cõtractib⁹ humanis ꝑ nouam abrogeẽ.Nos autẽ noſtrã illi dicimus imponi, quod retentis ex veteri teſtamento moralib⁹ præceptis, ritus illi cæremoniales in Chriſti ſacrificium, cuius erant figura, translati ſunt, quo fit, vt lex illa vetus Hebræorum pædagogus & derelicta & noſtra illi impoſita dici poſsit.Modò fuerit etiam abſurdum, ſi dicatur per molentem derelictam intelligi teſtamenti veteris partem abrogatam, per eam verò quæ aſſumenda dicitur deſignari decalogũ,& cęremonias, vt ad vetus teſtamentum totum id Chriſti dictum referatur:nam vt dixi quod eſt de moribus remanſit intactũ, cæremonię verò mutantur in melius.

Sed

Sed quanq̃ secundum hanc expositionem ad vetus testamentum pertinere videatur dictum Christi, re vera tamen tangit & nouum: nam illas partes assumi quid aliud est, q̃ illas in nouum transformari? Te igitur sæpius interroga, an perfectè credas, si firmus fueris, nihil est ꝙ tolerare iã non possis, sin autẽ infirmum te sentis, dic Christo cũ Apostolis, Auge nobis fidẽ. Nã si qs indiget sapiẽtia, postulet, à Deo, & dabit̃ ei. Postulet autẽ in fide nihil hæsitãs, & memento, ꝙ qui Deo credit, eũ honorat: qui verò non credit, mendacẽ facit, quo nihil esse potest indignius, detestabilius, perniciosius.

De spe & charitate. Cap. XIIII.



Edeo aliquantisper ad fidei familiam, spem & charitatẽ, vt breui quadam anacephaleosi magis earũ patescat ingeniũ, & quicqd dicetur, erit ex Theologorũ officina depromptum. Spes igitur est habit⁹ voluntatis, quo ad eorum desideriũ inclinamur, quæ fides pollicetur. Desiderium autem eorũ est bonorum, q̃ non habentur. Sed quonã pacto tres istę virtutes Theologicæ sint discrętę

breuiuer explicabo.Fides (vt antè diximus) ſic intellectum afficit,vt his tantum faciat aſſentiri, quæ ſcriptura communi reuelatione complexa eſt.Eſt autem communis reuelatio, quę ſaluandis(vt ſaluentur)credenda proponit.Sunt & aliæ quædam reuelationes nō cōmunes, ſed ſpeciales:vt Ioannis Apocalypſis, quæ etſi vera eſt,& ei cui oſtenſa fuit intellecta,nobis tamen,quia quæ neceſſariò explicitę ſint credenda nō continet:clauſa & occulta.In intellectu igitur eſt fides.Spes autem & charitas in voluntate.Voluntas operationem habet & quietem:negocium & ocium.Operatio eius duplex:vna,qua velit,altera,qua nolit: vtriuſq; negatio eſt quies,quod Theologi exprimunt p non velle.Eſt autē operatio melior quiete, velle quoq; q̄ nolle p̄ſtanti⁹.Velle itē duplex, propter ſe & propter aliud. Primo frui dicimur,ſecundo vti.Fruimur enim cùm propter ſe,vtimur verò, cùm gratia alterius melioris quippiam amamus,vt panem propter vitam. Frui quoq; duplex. Nam & quoties aliquid cum poſſeſsionis deſiderio & quoties idē(poſſeſsionis reſpectu non habito)ſui gratia amamus, ſic vtraq; operatione frui dicimur, vt duos

duos amores duobus vocabulis, illum ſpei, iſtum charitatis nuncupemus, & ſi dicas ſecundum hæc dicta nõ videri ſpem ab vſu differentem, vtpote qua ſicut & vſu quippiam propter aliud, vt Deum propter nos, diligamus. Reſpondeo non omnem amorem eſſe vſum, quo refertur ad aliud quod amatur, ſed eum tantũ quo in melius ordinamus quod amamus. Sed omittamus in præſentiarum theoremata iſta ſubtiliora, tunc repetenda cùm Theologicis quæſtionibus acrius intendemus. At quia vna oppoſitorum eſt diſciplina, de deſperatione aliquid, quomodo ſcilicet generetur, adijciam. Cùm voluntas ſibi Deum deſiderat ac ſperat, ſi decepta ratio id eſſe obtentu impoſsibile dicat, neq; enim niſi decepta id dicet, voluntas (quia impoſsibiliũ non eſt electio) Deũ vel nullo amplius modo, vel ſub cõditione, puta ſi obtinere poſſet, deſiderat, & horũ vtrũlibet, id eſt, vel nullo modo vel cũ ea conditione diffidendo expetere, triſtitiã quandã parit in volũtate, q̃ vna ſatis eſt ad deſperãdũ. Iudas in vltimo illo ſubmerſionis ſuæ naufragio veniã ſub conditione, hoc eſt, ſi poſsibilis eſſet exoptabat, ſed q̃a decepta ratio id factu impoſsibile

nunciabat, deſperatione adductus, loqueo ſe ſuſpendit. Eſt igitur natura ſpei aliena conditio, ſed forti atq; animoſa fide ſperandum eſt, nam ſub conditione aliquid expetere, non eſt ſperare, ſicut ſub conditione velle, non ſimpliciter velle, vt qui merces vult ne moriatur ꝓijcere, non vult ſimpliciter proijcere. Conditionibus igitur impone ſilentium, & alterius vitæ bona ſimpliciter & abſolutè ſperare cõſueſce. Sed qui vult efficaciter ſperare, oportet eum firmiſsimè credere. Propterea deſperantibus perſuadeamus, vt credant. Et Chriſtus apud Matthæũ dixit Paralytico: Confide fili. Et de duobus cœcis, Creditis, inquit, quia hoc poſſum facere vobis? reſponderũt, Vtiq; Domine. Tunc tetigit oculos, dicens, Secundum fidem veſtram fiat vobis. Sed de his hactenus, iam ad longanimitatem tranſeamus.

De longanimitate. Cap. XV.



LOngaminitas virtus eſt ad patientiæ ſubſidium adinuenta, eius nanq; eſt longinqua ac magno temporis interſtitio remota bona conſtanter aggredi, & inter expe-

expectandum nullis iniurijs frangi, nullis difficultatibus absterreri, nullis perturbationibus in fugam verti. Longanimitas igitur patientiæ baculus est, cuius adminiculo diutius subsistere: & per luculentam hanc ac lubricam vitam sine lapsu & capsu posse incedere. Spem quoq; adiuuat virtus ista: nam bonum, quod speratur, etiamsi in immensum differatur, suadet expectandum. Floruit autem ista virtus in prophetis maximè & patriarchis, qui venturũ Christum à longè videntes, & in fine sæculorum nasciturum, fortiter ac longanimiter expectabant, & ideò dicti sunt lõganimes in spe. Hinc illa vox Esaiæ prophetæ, Vtinã disrũperes cœlos, & descenderes. Et illa, Mitte quẽ missurus es: & istæ quidẽ voces sunt spei. Audi iam longanimitatem. Expecta, inquit Dauid, Dominum, viriliter age, confortetur cor tuũ, & sustine Dominum. Est & illa apud Esaiam longanimitatis vox: Expectabo Dominũ, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eũ. Et alibi: Si moram fecerit, expecta eum. Hæc igitur virtus propter expectandi difficultatem inuenta est. Nam difficilè expectantur ea, quæ ardenter amata non statim habenda,

benda,ſed longè poſita eſſe iudicantur. Hinc illud,quod in prima noſtra Parthenice diximus.

Spes eſt longa dolor,promiſſaq; munera amanti
Expectare diu,labor eſt,& pondus iniquum.

Sicut igitur magnanimitas in magnas,ita longanimitas in res quæ longè abſunt vel abeſſe putantur,animas leuat,& inter eandem mentem ne concidat, perſeuerantia ſuſtinet: nam plæriq;,dum ad ea per longanimitatem pergunt, quæ procul apparent, quaſi iumentum in via laſſum diuerticula quærunt:ab onere tergum,à iugo ceruicem ſubtrahunt: & nonnunquam aliquantiſper ex orbita declinant.Inuẽtus eſt igitur finis quidam:qui quaſi Theſei filum extentus,ac animi manu tent⁹,nec ad dexteram,nec ad ſiniſtram errare permittat, ſed vſq; in finem itineris (ne ſit opus quiete) ſuſtentat.Hæc eſt igitur perſeuerentia, quæ difficultatem ex patientiæ diuturnitate ſurgentem lenit,& quaſi ambroſiæ ſucco vires laborantis inſtaurat. Et quemadmodum perſeuerantia peculiariter contra tolerandum faſtidium,ſic aduerſus omne,quod ſe obijcere poteſt,impedimentum conſtantia militat.

Anacephalæosis dictorum,& quòd non rectè dicitur à Theologis voluntas antecedens,& consequens in Deo. Cap. XVI.



Ed anacephalęosim facio eorum, quæ diximus. Circa difficilia, teste Aristotele, versatur virtus, sicut ergo multiplex difficultas, ita quoq; virtus est multiplex. Difficultas est, magna subire pericula, hanc fortitudo demolitur. Difficultas est, inter tolerandum tristitia non vinci, huic difficultati patientia se obijcit. Difficultas est, quæ de futura vita dicuntur credere ac sperare: in hoc spes & fides suppetias ferunt. Difficultas est, longè distantia bona diuturna animi suspensione morari, huic longanimitas opitulatur. Difficile est nouos casus quotidie contra nos emergētes æquanimiter ferre, huic constantia p̄stat auxiliū, dū longinqua bona pia lōganimitate expectam⁹. Difficile est mētis non incurrere lassitudinē, tenere semp intentā cordis aciē, nunq̄ obdormire, nunq̄ hallucinari, nunq̄ ab incœpto ope diuaricari, occurrit huic

periculo perſeuerantia,& ita fit, vt cõſtare tibi poſsit, Deum & naturam nihil prætermi ſiſſe: quod homini ad beatam vitam poſsit conferre. Et hoc nimirum eſt, quod Theologi dicunt, Deum velle omnes voluntate antecędẽte ſaluos facere, ſed voluntate conſequente, quoſdam tantũ, iuxta illud: Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Ego autem non antecedente & conſequente, ſed aatecedentis & conſequentis debere dici exiſtimo: vt per hoc innuatur, Deũ omnes ideo ſaluos fieri velle, quôd omnibus, vt dixi, palàm fecerit atq; communicauerit ea, quæ antecedere debeant ad ſalutem: hæc autem ſunt lex & virtutes, ex quibus tãq̃ ex antecedente, ſequitur beatitudo, tanq̃ conſequens. Sicut apud Dialecticos dicitur præmiſſas eſſe antecedens, concluſionem verò, quę ſequitur ex præmiſsis, eſſe conſequens. Licet ergo Deus non det omnibus conſequens, hoc eſt, beatitatem, tamen velle dare ideo videtur, quia dare vult, & dat antecedens: ex quo ꝑ ſyllogiſmum rectæ operationis inferatur conſequens beatitudinis. Sed quia maior pars mortalium, dum contemptui habet formam huius illationis, perdit fœlicitatem illius conſequẽtis:

tis; Dicitur Deus velle nos ſaluari, quia ꝑ liberalitatē ſuam dat antecedens, & nō velle nos ſaluari: quia per ſegniciem noſtram non dat conſequens. Harum virtutum habitus conſuetudinesq́; longo iuſtas exercitio poſſumus naturaliter quidem habere: operationes autē ſecundum eas vſq; in vitæ finem integrè perducere, ſine Dei peculiari auxilio certè non poſſumus.

Quòd & quare Deus odio habeat ocioſos. Cap. XVII.

DAnda eſt igitur opera, vt in his execeamur: nulla nanq; ſine exercitio virtus, nulla ars ſine vſu eſſe poteſt, vſu autem paritur, conſeruatur, augetur. Nec negauerim, Deum vno memento poſſe omnem virtutē nobis impluere. Sed ipſe ſemper & vbiq; deteſtans ocioſos, eas, quas nobis contulit, vires, ad vſum & exercitium vult conferri. Dixit enim operarijs, Quid ſtatis hic tota die ocioſi, ite & vos in vineam meam, & quod iuſtū fuerit, dabo vobis. Sed cur pigris & inertibus aduerſetur, duas impræſentiarum cauſas inue-

nio, vnam, quod huiusmodi homines, dum segniciem sequuntur, maximè dissimiles Deo efficiuntur. Deus nanq; natura est actuosissimus, Christo dicente, Pater meus vsquemodo operatur, & ego operor. Nec voco Deũ actuosum, quòd cursitet aut saliat, vt histrio. Sunt enim opera eius sedentaria, sed solida, assidua, perennia. Et propterea fuere Theologi, qui sanctissimè dixerint substantiã illam infinitam, quam Deũ vocamus, ab actu magis, quã ab habitu debere appellari, & ex vocabulis ea Deo potius conuenire, q̃ operationẽ q̃ quę potentiã operãdi significẽt, vt rectius nominetur docens, q̃ doctor, dãs, q̃ dator, regens q̃ rector. Diuina nanq; operatio nõ sicut nostra tẽporaria, sed essentię suæ coæterna, tãta firmitate subsistit, quãta & essentia. Alterã, quod omnis rei perfectio, teste Aristo. in li. de cœlo, sita esse videtur in Trinitate, hoc est in essentia, potẽtia, & operatione: Essẽtia, vt anima est potẽtię radix, & fundamentũ: potentia puta intelligentia in essentia animę est, vt ramus in arboris caudice, operatio autem, vt intellectio, quasi dactyli in termitibus palmæ: quod ergò per ocium cessat ab operatione, videt naturã fraudare vltima sua perfe-

perfectione,& iniuriã Opifici naturæ irrogare:quòd eam non eò vsq; perducant,quò ipse perducenda instituat:sicut agriculam proculdubio offendit,qui arborem,ne fructificet,facit: propterea dicitur à Ioanne Bap. in Matthæo, Omnis arbor,quæ non facit fructũ bonum,excidetur, & in ignem mittetur. Tantum igitur vigilantia nostra moliatur, tantum industria se acuat,tantum ratio se attollat,vt indies magis proficiendo ad virtutes & ad bonos mentis habitus,quæ sunt fœlicitatis instrumenta,perueniat.

De quatuor nouißimis,& primò cum declaratione dicti Empedoclis,de lite & amicitia.
Cap.XVIII.

AD maiorem huius sanctę ac salutaris disciplinæ profectum,quatuor adiumenta quærenda sunt, quæ non extimentur ideò contẽnenda, quia vulgata, sed potius propterea amplexanda,quia vtilia:& profectò non alia fuit diuulgationis ratio,q̃ multiplicis vtilitatis cognitio.Hoc autẽ dixerim ꝓpter eorum prauam consuetudinem,q sine respectu vtilitatis familiaria omnia contemnunt & vsu quoti-

quotidiano protrita faſtidiunt, quos Epigrãmaticus poëta notat, dicens: Et pueri naſum Rhinocerotis habent. Nos verò nugis poſthabitis, ſaluti cõſulentes quicquid prodeſt, quãquam ſit vtile commune, triuiale, ſemper amplectimur, tanq̃ rẽ pretioſam, negocio accommodatam, & opportunã. Quatuor ergo adiumenta ſunt iſta: Meditatio nouiſsimorũ, Lectio Scripturarum, Imitatio Sanctorũ, & ſupplicatio. Nouiſsima ſunt quatuor. Mors, Infernus, Paradiſus, & Iudiciũ. Ad naturã mortis enarrandam mihi ſe offert, quod dixit Empedocles, fieri, ſcilicet, omnia ꝑ litem & amicitiam: amicitia autem eſt generatio, quæ diſiuncta, hoc eſt, corpus & animam, & quatuor in corpore elementa conglutinat. Lis eſt mors, quæ coniuncta diſſociat. Nam corrupta elementorum harmonia lis exoritur, & calore in humidum ſæuiente ſequitur deſiccatio, quam incinerationem Medici vocãt: ex incineratione verò, hoc eſt, ex radicalis humidi conſumptione mors naſcitur. Medium inter litem & amicitiam: hoc eſt, inter generationẽ & mortem interſtitium: quies eſt contrariorum inter ſe pugnantium: licet enim ſemper pugnẽt, tamen

tamen vocari poteſt amicitia, q̃ diu nõ eſt pugna peremtoria, & eam quietẽ, quę ſunt inſtar pacis induciæ, q̃dam appellare ſolemus mortalem vitam, quam, vt volunt Aſtronomi, cælum, vt Theologi prædicant, De⁹: vt ego ſentio, vtrumq; diſpenſat, conſeruat, & limitat.

An mors corporis ſit naturalis.
Cap. XIX.

AN verò mors ſit naturalis ambigitur, & profectò, quod naturam deſtruit, eiq; aduerſatur, dicendũ naturale non videtur: quod item à principio venit intrinſeco, naturale id eſſe manifeſtum: & hoc in ſecundo libro de Phyſico auditu confirmat Ariſtoteles, dicens, In hoc differre naturalia ab artificioſis, ꝙ hęc à principio extrinſeco, illa ab intrinſeco habent motionem. Et hoc vtrumq; in morte perſpicimus: naturam enim deſtruit: quod eſt manifeſtum, & fit à cauſis nobis intrinſecis: nã corpus animatum cauſas, quibus diſſoluitur, intra ſe habet. Calorem ſcilicet naturalẽ: quo radicalis humor eroditur: & quãq̃ cibo & potu

noua ſuperinfundatur humiditas, non eſt tamen aduentitium hoc humidum priori comparandum,& naturæ æquè affine & amicum. Huic elementorum defectui eſt annectendum vim nutritiuam in nobis fatigari, ac indies magis inualidam fieri,& in horas magis euadere reparandis corporibus noſtris imbecillã, quo fit, vt corpus pedetentim vitietur, & fiat aſſiduè deterius,& animæ magis inhabile, & incommodum,& ad vitæ munia minus idoneũm. Cũ igitur mors q̃ nihil eſt aliud quàm vitę extinctus,hoc pacto ab intrinſeco inducatur,certè proficiſci à natura videt̃,& iſta quidem eſt noſtra ſententia.Sed neq; prętereundũ hic naturarũ pluralitatẽ ineſſe corporib⁹: natura enim dicitur materia & forma, & ipſum cõpoſitum.Vndè fit,vt naturaliter fieri,poſsit quippiã multipliciter dici.Ex alto cadere,naturale id materię, hoc eſt corpori:cui grauitas à natura eſt inſita:formæ verò neq; naturale, neq; cõtra naturã:vtpote elementorũ experti, & q̃ eſt à fermento aliena corporeo.Aſt intelligere naturale eſt animæ:cuius vis intrinſeca eſt intellect⁹ cõpoſitio:& homini naturale eſt ridere,audire;loq;,ambulare:ꝙ iſtorum non in

parte,

parte, sed in cõposito sunt sita principia, magis tamẽ in anima: ꝓpterea, vt benè dixit Aristo. naturę nomen elatione dignior est forma. Mori ergò naturale est corpori, naturale & homini secundũ corpꝰ: animę verò cõtrariũ, hoc est nõ mori & ꝑ sequelã homini naturale: quo fit, vt debita ei resurrectio, quo postq̃ moriẽdo factũ est satis naturę corporeę, satisfiat & spirituali resurgẽdo: ꝓpterea dogma est catholicũ, remanere in animabꝰ inclinationẽ ad corpus ęternã, donec à Deo datore formarum ab inuicẽ disiuncta iterũ coniungantur. Nõ ergò (vt obiectioni primę respondeã) mors homini infligitur, vt destruatur, sed vt naturę & volũtatis diuinę seruato semper ordine, deducatur caro ad esse spũale: hinc illud Euãgelicũ: Nisi granũ frumẽti cadẽs in terram mortuũ fuerit, ipsũ solũ manet, si aũt mortuũ fuerit, multum fructum affert: propterea & ab Apostolo mori dicitur seminari, cũ inqt, Seminatur corpus animale, vt surgat corpus spũale: si est corpus animale, est & spũale: sicut scriptũ est, factꝰ est primus Adam in animam viuentẽ, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Adam apud Hebræos hominem significat, & sicut apud nos

nos homo ab humo, ſic apud eos Adam ab Adama, quod terram ſignificat, deriuatur. Vides iam quomodo mors homini naturalis. Sed & alijs modis naturale quid dicit: naturale nãq; eſt & quod alicui ſpeciei, vt igni, & quod rerũ naturæ communi, & quod ſit placitum etiam Deo ſoli. Aſcenſus igni naturalis, quia leuis: at ſi natura communis vniuerſo ne ſciſſura fiat, ne ſchiſma in rebus accidat, ne mundi continuatione diſſoluta vacuum quod abhorret intercidat, ignem demittat, erit motus ille igni contrarius, vniuerſo tamen naturalis, ſicut latronis mors, latroni aduerſa: Ciuibus propitia. Quòd ſi etiam naturæ communi quicq̃ repugnans, Deo placuerit, vt ꝙ cœlum ſtet vel retrogradiatur, id quoq; immò id maximè dici naturale digniſsimum: tantò enim naturalis appellatio eſt verior, quantò vndê fluit cauſa eſt altior. At ſuprema omnino natura eſt De', cui obedire toti inferiori naturæ eſt naturale. Simpliciter ergò homini naturale eſt mori, & naturale reſurgere, quoniam ſic ab Opifice omnium natura ſtatutum eſt.

Opiniones variæ de morte, Cap. XX.

Mortis


Ortis meditationem summã esse philosophiam dixit Plato. Nihil est enim quod magis aut ęquè appetitus luxuriam premat: & ad rationis regulam mores componat, q̃ semper ingruentis mortis meditatio. Apud Gethas: & Thraces quidam feri sunt & ad mortem paratissimi, quod redituras putant animas obeuntium. Quidam etsi non redituras, nõ extingui tamen autumant, sed ad loca beatiora transire, alij emori quidem, sed id meli⁹ esse q̃ viuere. Fœminę super virorum cadauera interfici simulq; sepeliri votum eximiũ habent: apud quosdam eorum puerperia lugebantur. Et has apud illam gentem opiniones dissemiasse putandus est Orpheus, qui fuit indigena magni vir ingenij: & poëta suauiloquentiæ singularis, q̃ barbarorum animos demulcente, siluas & saxa, hoc est siluestres & saxeos homines ad ritus quoscunq; libebat traducendi liberam potestatem habebat, dies natalitij, tristes agebantur, funera verò quasi sacra cũ lusu & cantu iucundissime & cum summa hilaritate celebrabaut, & rectè quidem. Nam quum nascimur peregre proficiscimur, incerti quod

iter, quod hoſpitium, quem viæ terminum ſimus habituri, & quum morimur finita peregrinatione in antiquæ matris gremium reuocamur. Peregrinationem hanc peccatores produci, ſancti verò breuiari ſemper rogant: hinc Dauid inquit, Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt.

De multiplici genere mortis corporalis, & non eſſe tempus merendi poſt mortem. Cap. XXI.


Ed multipliciter & nõ vno modo mors dicitur: nã eſt mors hominis, qua homo diſſoluitur, & volunt quidam Theologi, hominem & omne totum quoddam tertium eſſe, præter partes, ꝙ earum & coitu reſultet, & abitu diſpereat, & id eſſe aiũt, quod morte totius diſsipetur. Eſt & alia quædam mors corporis, qua vlteriori reſolutione reuertit̃ in ea ex quibus conſtabat elementa. Prima, ſi in Dei timore, ſi in pietate & religione hominem reperit, bona eſt, de qua dicitur, Præ-

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius, si peccatorem impœnitentem reperiat mala est. Ideò quia vt prima est fœlicitatis, sic ista est miserię sempiternę principium. Quàm diu mortalem hanc vitam viuimus ex virtute in vitium, ex vitio in virtutem arbitrio nostro transire permittitur: at postq̃ de corporis hui* tabernaculo eiecti debitum naturæ persoluimus, nec à vitio in virtutem, nec à virtute in vitium est transitus. Tunc enim & viatores esse desinimus, & promerendi ac commerendi statutum amittimus. Vocabantur ab antiquis viatores nuntij ac ministri magistratuum, qui homines ex agris accersebant. Nostri autem viæ appellationem ad vitam hanc transferunt. Ait enim Gregorius, In præsenti vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus, maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Cum hac ergò vita quæ morte terminatur, finiuntur non peccata, sed merita: quicquid enim & in Paradiso rectè agitur à sanctis, & in inferno peccatur à damnatis, ideò meriti rationem amittit, ꝙ extra viam fiat, etenim vita est agon, vita est theatrũ,

vita est Olympia: vbi spectantibus arbitris propositis coronis decertatur. Vbi sunt coronæ finitis certaminibus distributæ: qui amplius certat non vt coronetur, sed ex virtutis liberalitate decertat, non negauerim tamen & tali certamini (si certamen id dicitur vbi non laboratur) posse etiam multa dari corollaria, à Deo maximè, qui potest pœnas damnatorum, & etiam augere gloriam beatorum. Quales morimur, siue boni, siue mali, tales futuri semper egredimur, hoc excepto quod sicut boni melius, sic mali sunt semper peius habituri. Qui mutari vult in vita mutetur, nam post mortē tanta est alterius vitæ seueritas, vt in ea sicut singuli incipiunt, ita perseuerant, illic vbi nox est, nūquam illucescet, vbi dies est, nunquam lucis nigrescet occasus. Hinc Iacobus de patre luminum mentionem faciens, apud quem dixit, non est transmutatio, neq; vicissitudinis obumbratio.

De multiplici genere mortis spiritualis, cum excusatione Platonis. Cap. XXII.

Sunt


Vnt genera duo mortis ſpiritualis: vnum quo virtus & Dei timor in nobis expirat, alterũ quod vitia & vitiorum fomenta mortificat, de primo dixit Chriſtus. Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortuos enim appellauit qui ſæculo, qui appetitui, qui diabolo ſeruiunt, qui prauæ conſuetudinis ſepulcro incluſi nec gratiæ cœleſtis aërem attrahunt, nec Dei Spiritum concipiunt, nec ad legis mandata ſe attollunt. De ſecundo ſpiritualis mortis genere dicitur à Paulo ad Romanos cap. vj. Qui mortuus eſt iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam viuemus cum illo, & paulò infrà. Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu. Et quomodo hac morte moriendum ſit dicit. Non ergò, inquit, regnet peccatum in veſtro mortali corpore: vt obediatis concupiſcentijs eius, ſed neq; exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato. Sed exhibeatis vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Hanc mortem dixit Plato licere vnicuiq; ſibi

inferre, quod ab Euangelica & Apostolica doctrina non discrepat, verũ nonnulli hoc non aduertentes, & Platonem de communi morte loqui calumniantes, dum eum inconsultè criminantur, de manifesta ignorantia condemnãtur. Mortis meditatione sic decursa, si cõquiescere vides appetitũ & irascibilem tuã infrænari, potes quorsum libet mentis tuæ clauum inflectere, & quasi iam cessauerit tempestas remissius habere studiũ gubernandi, q si adhuc recalcitrat, cataplasma aliud adhibendum, & mox proferenda est infernalis barathri recordatio, vt sicut æstuans lebes infusis aquis, & fremens equus verberibus incussis, sic feruor appetitus æternæ miseriæ ostensione restrict⁹ remittat feruorem suæ temeritatis: nã rei tristis sola memoria dum dolorem ciet in sensu, lasciuiam extinguit in appetitu.

De loco damnatorum qui dicitur infernus. Cap. XXIII.



Amnatorũ locus, vt est sanctorũ communis opinio, non sub ipso globo, vt Isidor⁹ putat, sed in ipsi⁹ globi terrestris medio, tellure ipsa sinũ & quasi aluũ aperiente

credendus

credendus est. Isidorus autem dixit futurũ esse, vt post iuditium Solis & Lunę orbes ita firmẽtur, vt huic nostro tantum hemispherio lucem infundant, damnatos verò in sempiternã noctẽ alteri⁹ hemispherij relegandos, vbi esse à multis putantur Antipodes, sed hæc est iam pridẽ explosa sententia, nam in medio terræ ventre non in tergo loca illa infamia vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, ponit Ecclesiæ sanctæ credulitas, & credulitati huic ratio non dissentit, decet enim eos qui obstinatę à Deo per prauam voluntatem, & morum obscœnitatem discesserunt, ad infima trudi, & à conspectu solis & cæli, vbi Dei est sedes, sub scabellum pedum eius, hoc est sub terram dę qua dicitur, terra scabellum pedum meorum, & mitti, vt sic impleatur quod dicitur ꝑ Prophetam, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, nec sub terram solum, sed etiam in terræ partem abditissimam & à cœlo remotissimam, & mundi centro cognatissimam mitti dicunt, in terram inquam miseriæ & tenebrarum opertã mortis caligine, & à Dei benignitate, & à naturæ beneficijs, & à cœlorum influxibus derelictã.

Opinio antiquorum gentium de inferno. Cap. XXIIII.

NE omnino vanum eſt quod poëtę gentilium cecinerunt apud inferos eſſe ſtygen, acherontem, lethẽ, cocytum, phlegethontem. Stygem legimus eſſę aquam ad Nonacrim Arcadiæ regionem ex altiſsima ſaxi crepidine diſtillantem, tam violentę frigiditatis, & naturæ tam atrocis, vt in ea neq; argenteum, neq; æreum, neq; ferreum vas poſsit ſubſiſtere, ſed mox diſsiliat ac diſsipetur. Stygos hidor appellatur. Contineri & conſeruari poſſe aiunt vngula tantum mulina, & ea regem Alexandrum ferunt enecatum. Eſt etiam ſimilis ingenij & nominis aqua & in Achaia ad Phaneum vrbem, & in Theſſalia ad Peneum amnẽ. Acherontem Seruius dicit eſſe locum nõ procul à Baijs in campania, montib⁹ vndiq; clauſum, & patere tantum ad meridiẽ ſoli, vbi Aeneas Miſeno & Vlyxes Helpenore occiſis necromantiam exercuere. Eſt & acheruſia ſpecus in Aſia ad mare euxinum per quam cerberum ab Hercule tractum fabulantur, tam profundę

voraginis, vt illinc credatur deſcenſus ad inferos. Lethes fluuius, & in Hiſpania, & in Aphrica circa extremum. Syrtium cornu, vrbem abluens Berenicem de quo Lucanus. Quã iuxta Lethes tacitus præ labitur amnis Infernis vt fama trahens obliuia venis. Hæc autem attigimus vt oſtendatur antiquorum opinionem fuiſſe apud inferos omnium eorum eſſe congeriem, quæ apud nos legũtur tetra, dira, horrenda, peſtifera.

Ratione naturali perſuadetur eſſe omnem immunditiam apud inferos. Cap. XXV.


CRedendum eſt enim aquis vndiq; in eum locum dilabentibus tanq̃ in totius mundi ſentinam & cloacam comportari bitumen & Sulfur, & omnis terrenæ molis immundiſsimas ſordes fieriq; odorem multò tetriorem q̃ in ſcaptenſula apud Græcos. Tetra enim ingentibus perforata cauernis, & antrorum longè lateq; vagantium ſuſpenſa fornicibus, capaciſsimam ac ſordidiſsimam aluum

ſuam longiſsimè extendit, fiunt in ea ſicut in pleriſq; terrarum locis aſpicitur, æterna materiæ ſemper ardentis incendia, & ne mirum ſit aut incredibile quod de inferni recitatur incendijs, præteriens ea quæ dicuntur ab Auguſtino & reliquis authoribus Chriſtianis, ſubijciam hîc ex Plinij lib. ij. naturalis hiſt. capita tria. ſcilicet, cvij. cviij. cix. Sic enim inquit: In Comagene vrbe Samoſata ſtagnum eſt, emittens limum (maltham vocant) flagrãtem, cum q̃d attingit ſolidi adhæret. Præterea tactus ſeq̃tur fugientes, ſic defenderunt muros oppugnante Lucullo, flagrabatq́; miles armis ſuis, aq̃s etiam accenditur, terra tantũ reſtingui docuere experimenta. Similis eſt naturę naphtha (ita appellatur) circa Babyloniã, & in Auſtagenis Parthię ꝓfluens, bituminis liq̃di modo, huic magna cognatio igniũ, tranſiliuntq́; ꝓtinus in eã vndecunq; viſam, ita ferũt à Medea pellicem crematam poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat corona igne rapta. Verùm in montium miraculis ardet Aethna noctibus ſemper, tantoq́; æuo ignium materia ſufficit. Niualis hybernis tẽporibus, egeſtũq́; cinerẽ pruinis operiẽs, nec in illo tantũ

natura

natura sæuit exustionē terris denuncians, flagrat in Phaselide Lyciæ mons Chimera, & quidem immortalis diebus ac noctibus flamma ignē eius accendi aqua, extingui verò terra aut fœno Cnidius Ctesias tradit. Eadē in Lycia Ephesti montes tæda flammant tacti flagrant, adeò vt lapides quoq; riuorū & arenæ in ipsis aquis ardeant, aliturq́; ignis ille pluuijs, baculo si qs ex his accenso traxerit sulcos, riuos ignium sequi narrāt. Flagrat in Bactris Cophanti noctibus vertex, flagrat in Medis & Cestia gente cōfinio Persidis. Susis quidem ad turrim albā quindecim caminis maximo eorū, & interdiu camp⁹ Babyloniæ flagrat quadam veluti piscina iugeri magnitudine. Item Aethiopū iuxta Hesperum montē, stellarum modo, cāpi nocte nitent. Similiter & in Megalopolitanorum agro, tametsi internus sit ille iucundus, frondemq́; densi supra se nemoris non adurens, & iuxta gelidum fontem semper ardens. Nymphei crater dira Apolloniatis suis portendit, vt Theopompus tradidit, augeē imbribus, egeritq́; bitumē tēperandū fōte illo ingustabili, alias omni bitumine diluti⁹. Sed qs hęc mireē in medio mari Hiera Insula

ardet. Aeolia Insula iuxta Italiam cũ ipso mari arsit per aliquot dies sociali bello, & donec legatio senatus piauit. Maximo tamen ardet incẽdio Theonochenia dictum Ethiopum iugũ, torrentesq́; solis ardoribus flammas egerit, tot locis, tot incendijs rerum natura terras cremat. Sic Plinius ad verbũ. Quo fit vt mirum videri nõ debeat, si in terræ aluo dicatur id esse quod ferè passim cernitur in super ficie. Ignis ergò qui in obscuris illis concauitatibus nigrantes attollit flãmas fumi, & nebularũ globos exhalat, q̃ diu ꝑ opaci carceris tractus amplissimos euagati postq̃ nulla ad egrediendum spiramẽta repperint in se contorti reuertũtur in ignes, fitq́ flammarum & fumi Chaos immensum. Illic damnatorum est habitatio, qui assiduè coguntur cœca hæc incendia contemplari, tantaq́; ex hac inuita contemplatione, quam in æternum supplicium sibi à Deo datam cognoscunt, surgit indignatio, tantus impatientis animi furor exardescit, vt omni rationis vsu posthabito, cœlo & terræ ac Deo ipsi præcentur excidium, & quoniam vis concupiscibilis, boni placentis abundatiam, & pœnæ displicentis sentit offensionem, irascibilis quoq; desideratæ

ſideratæ quietis, nequit à concupiſcibili impedimẽto repellere, fit in animo mœror & luctus, & ſine vlla conſolatione cordolium. Hęc autem prædicti poëtæ per illa quinq; flumina quæ apud inferos ponunt, myſticè deſignarũt. Styx enim eſt odium, Acheron triſtitia, Lethe obliuio, Cocytus luctus, Phlegethon ardor. Odium Dei atq; iuſtitiæ, triſtitia de pœnarum acerbitate; obliuio charitatis & ſpei, luctus ex pœnarum æternitate, ardor ex cõſcientia culpæ, ordor item corporis poſt reſurrectionem, quod iugiter ardebit & non conſumetur, & erit illic mors ęterna, quia immortalis miſeria, quæ ſupremo bono, id eſt, beatitudini oppoſita poteſt ſummum malum appellari. Duo iſti ſunt fines vltimi bonorum & malorum, quia cum ad illum per virtutem (officia ſcandẽdo) perueneris, nihil eſt ſuperius quò gradiaris, vbi ad iſtum per flagitia deſcendendo corrueris, nihil eſt inferiꝰ quò prolabaris. Quicquid ergò bonis eſt in moribus propter illum quęritur: quicquid verò mali propter iſtum fugit̃. Nec impoſsibile Deo iudicetur, quod naturã poſſe dubium non eſt, vt ſcilicet corpus ardeat & non conſumatur, & in cendio æterno vita permane-

permaneat, nec finiatur. nam & lignum statim constat inflammari posse, sed non consumi. Est & quoddam lini genus ex quo telæ confectæ, cum purgandæ sunt in ignem mittuntur nec exuruntur. Vndè veteres regum & principum cadauera cum erant comburenda, ne cinis eorum cum lignorum cineribus confunderetur, huiusmodi telis insuta cremabant, est & animal quod naturaliter in caminis ardentib' viuit, pyrallem vocant naturales. Adde q̀ sicut ante peccatum erat humanum corp' sic tẽperatum, vt non mori posset, sic & post iudicium miro & indicibili modo fermentabitur, vt ęternis non cedat incendijs. Vndè & Esai. dixit vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et quemadmodum beatitudo omnia bona, sic est cuncta mala complexa damnatio. Octo igitur genera pœnarũ q̃ Tul. dicit per leges infligi, scilicet damnũ, vincula, verbera, talionẽ, ignominiã, exiliũ, mortẽ, seruitutẽ, cõtinet cumulatissimè dãnatio, hic igitur sine fine torquentur atroci supplicio, quia nulla fuit in fine religio, at qui saltẽ in suprema vitæ vespera resipiscunt, q̀a peccata in vita relinquunt, aliquãdo pœnarũ finẽ inueniũt.

De be-

De beatitudine cœlestis paradisi, & primò quantum attinet ad partem intellectiuam.
Cap. XXVI.



E Paradisi gaudio temerè quicquam dicere non ausim, nam si vt scribitur Esai ę cap. lxiiij. & in Epistola Pauli prima ad Corinthios cap. ij. Nec oculus vidit: nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę prępatauit Deus diligentibus se. Quid tentabo verbis expromere quod in cogitationē nequit ascēdere? Gręci sapientię deā tritogeniā vocāt, quod ordinatè tria pducat, rectè cogitare, rectè loq., rectè operari. Et Aristo. in li. de interp̄tatione dicit voces esse notas earū quæ in animo sunt affectionum, ex quo sequitur lingua non posse explicari, quod sit impossibile cogitari, dicam tamen aliquid vt animum tuum prouocem ad desiderium videndi ea quæ mortales oculi videre non possunt: hoc enim desiderium mentem à terrenis rebus ad cœlestia subrigēs, facit vt adhuc terreni ac mortales simus saltem ex parte cœlestes. nam si verum est illud, Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Si the-

Si thesaurum in cœlo habemus, necesse est in cœlo esse cor nostrum, quòd si in cœlo cœleste est, desideria facere corda nostra cœlestia, & conabimur ex pauculis infinita, ex minimis ingentia meditari, illo vel maximè moti quod in Georgij dialogo recitatur. Si mulier in sub terraneo ac teterrimo carcere pariat infantulum, & ei in tenebrosis & angustis locis iam adulto velit enarrare cœli altitudinem, mundi amplitudinem, solis claritatem, auroræ venustatem, Lunæ pulchritudinem: stellarum nitorem, terræ latitudinem, veris amœnitatē, auium alacritatem, vocum modulationem riuulorum gratiam, hortorum lætitiam, odorū fragantiam, maris redundantiam, & reliqua, nunquam verbis consequi poterit, vt in miseria illa natus & educatus, cui lucernuncula ꝓlata, diem absconderit noctē semper, induxerit, credat quæ audierit. Sic profectò nobis in terro natis & enutritis accidit, quod & Christ' Nicodemo loquens sic expressit. Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero cœlestia credetis? & quidem sicut cœlum magnitudine, altitudine pulchritudine terras antecellit, sic cœlestia bona terrenis bonis perferenda

renda non dubito. Hoc inquam non dubito: illa tamē nō cognoſco, quia omni imaginatione noſtra maiora ſunt. Partis intellectiuę duę ſūt potentiæ: intellectus & voluntas, intellectui cognitio veritatis, voluntati poſſeſsio cōmoditatis adeò grata eſt, vt nihil poſsit eſſe iucūdius in hac vita. Ex parte ſcimus: ex parte prophetamus. Sapimus vt paruuli, loq̄mur vt paruuli, quia videmus ſemper ſpeculum in ænigmate: nam corpus quod occidit aggrauat animam, & opprimit ſenſum multa cogitanrē, & vti in lib. Sapientiæ dicitur: Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ ꝓuidentiæ noſtræ, quo fit vt intellectus cupiditas quantumcumq; hic ſe ingurgitet & bibat, tamen ſemꝑ ſitibunda remaneat. At in paradiſo, quia videbit facie ad faciem, & cognoſcet homo ſicut cognitus eſt. Euacuabitur quod ex parte eſt, quod paruuli eſt, quod imperfecti eſt, eritq; immenſo huic noſtro deſiderio oppidò ſatiſfactum, cum illa omniformis eſſentia quæ eſt prima veritas noſtræ ſe intelligentiæ reuelabit, tum demum illud adimplebitur, Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. Nunc enim intellectus multiplicium phantaſmatū vexa-

tus occursu,& quasi puer in vænali foro vag',
nunc hoc,nunc illud demiratur:nec vacat, nec
videt Deum,sed operatur,& laborat incassum.
Hactenus de intellectu.Possessionem commo-
ditatis cuius amicitia est inseparabiliter anne-
xa voluntati,vita ista non præstat,teste Salo-
mone:qui postq̃ sensibus suis quicquid deside-
rabile erat indulsit,& omne genus voluptatis
expertus est,quasi nihil adhuc profecisset,tan-
dem inquit,Ebel ebelim ve col ebel, interpre-
tatur,vanitas vanitatũ,& omnia vanitas. Vi-
derat enim omne,quod delectat vel non satia-
re,vel repente transire,& amitti,& sensus i-
psos annis recedentibus hebetari, satietatem
omnium fieri, & senescere cum ætate libidi-
nem .Et certè patria ista,quantumcunq; inno-
center ac piè viuam',spei & desideriorũ est pa-
tria.In ea positus propheta dicebat: Gloriosa
dicta sunt de te Ciuitas Dei.&:Quã dilecta ta-
bernacula tua Domine virtutũ? concupiscit &
deficit anima mea in atria Domini:& sicut de-
siderat ceruus ad fontem aquarum, ita deside-
rat anima mea ad te Deũ.Sitiuit anima mea ad
Deũ fontẽ viuum,quando veniã, & apparebo
ante faciẽ Dei.Hic de fine bonorũ, hoc est,de
beati-

beatitudine disputant Philosophi: & vsq; adeò quærentium in hac vita, & nusquā inuenientium beatitudinem, curiosa succreuit industria, vt teste Augustino in li. xix. de Ciuitatē Dei naturā sectarū de beatitudine loquentium ad ducentas octuagintaocto Varro produxerit: quarū omnium fides, si q̄ illarum aliquid veræ bonitatis attingunt, noster Paradisus abundāter includit: nā sua redundantissima voluptate, sic omnē volūtatis appetitū inebriat, vt liberū arbitriū in ea positū peccandi facultate priuet. Quod tamē nō est libertatē minui sed augeri: longè enim p̄stantior est libertas: ea tantū velle posse q̄ displicitura sint nunq̄, q̄ ea etiā velle posse, quę aliquādo nolle sit necesse. Tūc erit De⁹ omnia in omnib⁹, hoc est, q̄cquid singuli desiderabūt, suppeditabit Deus. Quia tanta dulcedine mentibus nostris illabetur, vt p̄fectè compleat, q̄ dicitur à Propheta: Satiabor quum apparuerit gloria tua, vel, vt in Hebræo est, imago tua: nam in Hebræis codicibus est temuneca, quod interpretatur, imago tua. Hæc de intellectuali seu rationali parte perstrinximus: de sensibus autem quonā pacto beati futuri sint, paucis explicemus.

De beatitudine partis sensitiuæ.
Cap. XXVII.



Aturam seu animæ potentiam, q & virtus, & vis appellatur, tunc beatam dicimus, cum optimũ eorum, quæ ab ea capi possunt, sic ꝑ orationem perfectam est effecuta, vt sit de æterna eius possessione secura. Optimum, quod intelligi, quod diligi potest, est Deus: sed quod sensibus percipitur, nõ est spiritus. Deus autẽ est spiritus. A quo igitur beatitudo sit sensuum, non est omnium doctorum vna sententia. Sunt qui dicant, illam immensam partis intellectiuæ voluptatem, de qua apud omnes cõstat, vndè sit, redundare, & quasi superfluere, ac in potentias sensibiles deriuari, quemadmodũ experimur ex varijs animi accidentibus corpus affici, & quod animo pacato paulò antè valebat bene, nunc animo perturbato ægrotare. Et quanq̃ ad omnium sensuum gloriam modus iste sufficiat, tamen de auditu & visu aliquid peculiare dicendum est. Audient enim iucundissimas Dei laudes vndiq; resonare, iuxta illud prophetæ, Beati, qui habitant

tant in domo tua Domine: in sæcula sæculorũ laudabunt te. Videbunt item cœlos, ac omnem cœlorum harmoniam percipient: videbunt & ipsum Christum, & matrem, & omnia omniũ beatorum corpora gloriosa: quæ iam incorruptibilia & mirabili decore conspicua fient intuentium oculis tam dulce spectaculum, vt quod desiderari melius posſit, neſcituri ſint. Id quoq; erit viſu iucundiſsimum, quòd ſicut nunc ex motu corporis animam ineſſe percipimus, & vegetare ac regere membra corporea, ſic tunc cœlo & elementis, & rebus omnib⁹ Deum eſſe intimũ, & in qualibet vniuerſi parte totum coſeruare, alere, ac gubernare mundi hanc machinam, non dubio cernemus intuitu. Nunc id ſatis ratio perſuadet, & credim⁹, tamen præ inſcitia noſtra naturali non perpendimus: tunc autem oculos circumquaq; vertentes id perpendem⁹. Tanta enim erit vis in oculis, tam acuta videndi acrimonia, vt & corporum noſtrorum ac elementorum & cœli quantitates, numeros, proportiones, harmonias, ſymmetriam, ac naturam omnem beati viſu penetrantes, inebriandi ſint ab vbertate Domus Dei, & dicturi: Hæc requies mea in

ſæculum ſæculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. Adde quod beatis nihil erit inuium, nihil clauſum, nihil inacceſſum, ſed mira ſubtilitate ac agilitate corporis illuc etiam ſine pedum miniſterio ferentur, quo deſiderabit ardor voluntatis, ſic erit animæ imperio corpus obediens & ſubditum, vt aſcenſui nulla moles, nulla continuo motui laſsitudo, nullus deniq; labor obſiſtat. Non defuerunt, qui dixerint, & in ſcriptis reliquerint, In cæterorum ſenſuum inſtrumentis generandam à Deo qualitatem, per quā melliflua ac nectarea quadam voluptate dulceſcant. Sed quicquid de huiuſmodi qualitate dicendum ſit, vnum eſt certum, homines æternæ vitæ deſtinatos à Deo per metamorphoſim ſic inſtituendos, vt nihil in eis ſit non beatum. His præmijs donantur, his coronis decorantur à Deo: non qui vrbes aut prouincias, ſed qui carnem, mundum, & diabolum vicerunt: nec præmia victoribus debita ſolum reddit, ſed plurima ac maxima, corrollaria, donatiuum, congiarium, epulum ſuperaddit: quæ omnia pollicitus eſt Chriſtus in Euangelio dicens: Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Ex quo

innuitur, Deum sanctis suis omne humanitatis obsequium, omne liberalitatis officium, omne magnificentiæ genus, omne charitatis iudicium exhibiturum.

Quòd naturaliter virtus est honoranda, probatur ex consuetudinibus antiquorum. Cax. XXVIII.

Consuetudo antiqua Romanorũ fuit ex lauro primũ, ex auro mox coronare triumphantes, qui obsidione castra liberassent, gramine de obsidionis loco decerpto, qui ciuem in bello liberasset quærna fronde cingebatur, qui primus murum hostium ascẽdisset, corona murorum insignita pinnaculis, qui primus in hostium castra irrupisset, corona vallo decorata castrensi, qui primus bello nauali classem hostium insilijsset, donabatur corona rostris armata naualibus. Celebrabant Græci sacra certamnia, hoc est Olympiacũ, pythium: Isthmiacũ. Nemeęũ horũ victores Hieronicę vocabãtur, & ponebatur eis in victorię

loco ſtatua, coronæq́; dabantur in Olympicis ludis pro Ioue ex oleaſto, in pythijs ꝑ Apolline ex Delphica lauro: in Iſthmijs iterum pro Ioue ex pinu, in Nemeæis ex apio, iuxta illud Satyrici: Graiæq́; apium meruiſſe coronę. Et qui huiuſmodi certamina peruiciſſet, dicebatur viciſſe periodon, hoc eſt conſummatę virtutis opera perpetraſſe. Eſt enim periodus apud rhetores ſermonis pars ꝑfecta, cola continens & commata, cum videlicet ſententia certè quadam deſcriptione definitur: dicebantur etiam victores huiuſmodi paradoxi, hoc eſt admirabiles, quia videlicet putabantur cũctos mortales fortitudine, ac ea de qua certaſſent virtute pręcellere. Singulari etiam priuilegio donabantur, vt vrbem ingreſſuri, poſſent (ſi libuiſſet) non porta, ſed deiecta murorum parte introire, vt apud Tranquillum de Nerone legimus Capuam intraturo. His exẽplis præclarè concluditur, naturale ſemꝑ homini fuiſſe virtutem extollere, & eius excellẽtiam ac diuinitatem aliquibus egregiæ laudis ac præcipui honoris declarare muneribꝰ. Hanc Deus inclinationem mortalibus dedit, eandẽ ipſe habet, propterea nunq̃ ceſſauit minis, ex-

hortationibus

hortationibus, & exemplis, per internuncios prius, & tandem per seipsum nos ad virtutis stadium prouocare. Cuius finis, ac pręmium est fœlicitas, non ea quam vita ista promittit, sed illa de qua dicitur: Cũ dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas Domini. Et hæc hactenus de beatitudine.

De iudicio, & quòd Astronomi & doctores etiam Catholici qui tempus iudicij prædixerunt manifestè delusi sint. Cap.XXIX.

SVpremi diem iudicij & generalẽ carnis humanæ resurrectionem multi prædicere voluerunt. Sed in omnibus huiusmodi vaticinijs compertum est, Christi dictum esse verissimũ: Nõ est vestrũ scire tempora & momenta quæ pater posuit in potestate sua. Lactantius allegans illud Psalmi, Mille anni in conspectu tuo tanq̃ dies hesterna, quæ præterijt, sex milibus annis credidit mundum duraturum, quot diebus esset conditus ab initio, concordat huic sententiæ quod legitur in

Talmud Hebræorum. In eo nanq; libro, vbi agitur de Idololatris, scribitur, filios Heliæ, qui fuerunt antecessores nostri filij prophetarum Carmelitæ, sic dixisse: Seset alapim sana aia holam, sene alapim tou, sene alapim torat, sene alapim di es Messiæ: quod sic interpretatur: Sex mille anni fuere mundi, hoc est, assignati sunt mundo à Deo. Duo milia vanitatis, vel inanitatis, quia sine lege transierunt. Duo milia legis. Duo milia Christi. Eodem ferè modo lapsi sunt Methodius, Beda, Eusebius, & alij qui sex dies operationis diuinæ, & septimũ quietis frustra contemplãtes, & cuilibet diei chiliadẽ superstitiosè satis assignãtes ad summam septẽ milium annorum dixerunt excursum sæculorum. Huic cabalisticæ numerorum rationi videtur alludere, ꝙ à Catholicis doctorib', & ꝑcipuè, ꝙ in fine librorũ de Ciuitate Dei dicitur ab Augustino: Sex, scilicet, esse mundi ætates: & temporis huius nostri sæculi articulos. Primam ab Adam ad Noé. Secundã inde vsq; Abrahã nõ æqualitate temporum, sed numero generationum: denis enim generationib' ambæ terminantur. Hinc, sicut Matthæ' recitat, tres ętates vsq; ad Christi sub-

sti subsequuntur Aduentum, quæ singulæ denis & quaternis generationibus implentur: ab Abraham vsq; ad Dauid vna. Altera inde vsq; ad transmigrationem Babylonicam: tertia inde vsq; ad Christum. Sexta, quæ nunc agitur, quem finem sit habitura non dixit: hinc finem volens quibusdam signis Christus ostendere dixit: Surget gens contra gentem, & erũt terremotus magni, & pestilentiæ, & fames. Quibus verbis motus Gregorius, cũ videret multa ex his, quæ dicuntur à Christo, tempestate sua contigisse, putauit adesse Diẽ Iudicij: verũ prophetiæ ac vaticinia omnia tot sunt obscuritatibus obumbrata, tot ambagibus inuoluta, vt nisi iã adimpleta possint ferè nũq̃ intelligi. Iustiniani imperatoris tẽpore circũferebatur oraculũ, quo dicebatũ, mundũ cum prole sua periturum, cũ ad Romanum imperium Aphrica redijsset, & cum eo tempore Belisario duce strenuè rem agente redijsset, putabatur in foribus adesse Iudicium. Subpauidi omnes arrectis animis circumspectabant, vnde conflagratio generalis erumperet. In hac cõmuni gentium ac populorũ trepidatione ac tumultu pugnæ cuiusdem repentinus euentus cum

summa

ſumma omnium admiratione penè ac riſu declarauit oraculum. Nam poſt receptã Aphrycam cum vellet idẽ imperator liberare à Gothis Italiam, ducem nomine Mundum ad præclari id negocij miſit cum exercitu, qui in ipſis Italiæ faucibus contra Gothos infeliciter pugnans, cum prole occiſus eſt. Mox cùm rumor increbuiſſet, Mundum ducem perijſſe, vaticinio intellecto timore iudicij funct⁹ eſt mũdus. His adiungendus eſt error aſtronomorum tam Hebræorum q̃ noſtrorum temeritatẽ ſuam frænare nolentium. Abraham Hebræus Aſtrologus qui princeps cognominatur à ſuis, coniunctioni Iouis cum Saturno, Moſis natiuitatem, regnũ Iſraël & legis promulgationem attribuit, & cum anno Chriſti M.cccc.xliiij. in cancro & rurſus poſt Annos xx. hoc eſt, M.cccc.lxiiij. in piſcibus futuram præuideret eam coniunctionem, putans redeũte cauſa rediturum effectum: Meſsiã in altero prædictorum coitum expectari debere præcinuit, ſed non ſolum non venit, ſed ea tempora tãta Iudæorũ ſtrages eſt inſecuta, vt ex omni Hiſpania vbi opibus & multitudine plurimum coaluerant, noſtris diebus à Ferrando Rege fi-
nito

nito Granatensi bello ad vnum omnes eiecti sint. Arnaldus etiam noster vaticinari voluit Anno Christi M.ccclv. ob cõuentũ triũ superiorũ planetarũ in aquario, vel.M. ccccl xiiij. ob connexionẽ supradictorũ Saturni & Iouis in piscibus, venturum Antichristum. Sed cum ea tempora iã præterierint(agitur enim nunc à Christo annus millesimus quadrigintesim⁹, nonagesimus octauus)eos profectò ignorantes, arrogantes, mendaces, leues, & ridiculos, nugigerulos declarat euentus.

Futurum esse diem Iudicij Cap. XXX.



Ed quanq̃ sit incertũ iudicij tẽpus, certum tamen est futurũ iudicium: nam carnis resurrectionem & Platonici concesserunt, & Sibyllę præsagierunt, & ꝓphetæ prædixerunt. Christus confirmat, prædicunt Apostoli, nunciant Astronomi. Et quid pluribus op⁹ est? Cõflagrationis extremę memoria, vel à dæmonibus edita, vel à cœlo præostẽsa in antiquis gentilium libris celebratur: inde illud Ouidij in primo Metamorphoseos

libr

libro de Ioue loquentis:

Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli,
Ardeat. Memini me apud Petrũ Aponensem in eo libro qui Conciliator inscribitur legisse, tempore diluuij generalis planetas omnes sub aquatico piscium signo conuenisse, & conspirantibus astris in animalium perniciem cœlum coniurasse. Forte pari modo volunt aliquando futurum, vt planetis omnib' in leone coniunctis qui flammigerantis est naturæ, virtus ignis supra modum excrescens cæteris elementis & cunctis animantibus moliatur interitum. Sed quia hinc sequi videtur diem illã ab Astronomis posse pręuideri, vtpote qui peritiam habent motuum cœlestium, puto hũc admirandum ac terribilem effectum non à cœlo: sed à Dei voluntate pendere, quæ cum sit etiam angelis & beatis inscrutabilis, præsciri nullo modo Iudicium datur nisi à Deo ipso reueletur, & cum Apostolis id scire desiderãtibus, & super eo Christũ interrogantibus responsum fuerit, nõ est vestrũ scire tempora & momenta q̃ pater posuit in potestate sua, credo id frustra sperari à posteritate, & satius esse

desistere ab hac tam curiosa temeritate. Non desunt etiam nostris temporibus qui dicant appropinquare tempus Antichristi, quendam quoq; prophetam breui nasciturum qui magnam morum & legum varietatem inducat. Fuerunt qui dixerunt à Christo vsq; ad Antichristum mundum sex ætates habiturum, & primam fuisse Apostolorum, secundam martyrum, tertiam doctorum, quartam Anachoritarum, hoc est secedentium, vt Pauli primi heremitæ, & Antonij ac similium, quintã monachorum, sextam mendicantium, & hac euoluta putant Antichristi tempus affuturum. Sed cum omnia sint incerta & plena fabularum, illud Christi tenendum est, Estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.

De Helia patre Carmelitarum ante diem iudicij præmittendo.
Cap. XXXI.



Eliam patrem nostrum pręmittendum à Deo canit Malachias. sic enim iiij. cap. dicit, Ecce ego mittam vobis Heliam Tesbitẽ antequam veniat dies Domini magnus

magnus & terribilis, vel vt interpretati sunt Septuaginta, illustris, qui conuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorum ad patres, & ne fortè veniens percutiam terram anathemate, vel vt transtulerunt Septuaginta, penit⁹. Ad quid verò peculiariter præmittatur Helias, declarat Augustin⁹ vigesimo libro de ciuitate Dei cap. xxix. dicens eum exponendo legem spiritualiter ac mysticè conuersurum corda patrum ad filios & filiorum ad patres, hoc est opere impleturum, vt filij qui legem secundum literam interpretantur, tum demum eam sic intelligãt, vt sancti patres eorum intellexerunt, & ideò cũ Christo in transfiguratione Moses & Helias rectè apparuerunt, vt ostenderetur vterq; legis sensus, per Mosen literalis, quem Iudæi in cæcitate sequuntur, & per Heliam mysticus quem tenent electi, Christo consentire ac testimoniũ ferre, conflagraturum orbem, morituros homines, atq; resurrecturos, Christum in maiestate venturum ac appariturum, & de misericordiæ operibus scrutinium habiturũ, bonos in vitam, malos in ignem missurũ non dubitamus. Si verò hæc ad plenum scire desideras (quod vt facias, etiam atq; etiam te hortari

tari non desino) Augustini vigesimum librũ de Ciuitate Dei frequenter euoluas. Ipse nãq; testimonijs vndiq; contractis literas nostras atq; gentiles, vetus instrumentum atq; nouũ exscribens summo ingenio, summa diligentia, de his luculentissimè disputauit. Hæc sunt quæ si memoriæ tenueris, & frequenter quasi ruminando meditatus fueris, ægritudinis tuæ molestias patientissimè feres, & constanter huius vitæ mortalis bona æquè ac mala peritura contemnes.

De sacra Scriptnra, & primùm cur sit adeò suadibilis. Cap. XXXII.



Agnum & mirabile contra corporis dolores & animi tristitiam inuenies ex sacræ Scripturæ lectione remediũ: & certè iudicio meo nullus sermo (quanq̃ sit accuratissimè cult⁹ & summa eloquẽtia ornatus ac splendidus) qui mentes ægras magis consolari, & curas æquè possit demoliri. Feci ego persæpe periculum. Nam cum fuerim aliquãdo circumuentus multis anxietatibus quarum

feracissima est turbulenta ista mortalium vi-
ta, præfugi semper ad codices sacros, tanquam
ad arcem munitissimam, & præsentaneũ me-
dicamentum animi laborantis, & quod in eis
quærebatur leuamẽ inueni, nec à spe, nec à de-
siderio meo sum fraudatus. Sæpenumero me-
cum cogitaui, vndè tam suadibilis sit ista Scri-
ptura, vnde tam potenter inflet in animos au-
ditorum, vnde tantum habeat energiæ, vt non
ad opinandum tantum, sed ad solidè credendũ
omnes inflectat. Non est hoc imputandum ra-
tionum euidentiæ, quas non adducit, non ar is
industriæ aut verbis suauibus & ad persuadẽ-
dum accommodatis, quibus non vtitur. Sed
vide an id in causa sit ꝙ persuasi sumus eam à
prima veritate fluxisse. Sed vndè sumus ita ꝑ-
suasi nisi ab ipsa? quasi ad ei credendum nos
sua ipsius trahat auctoritas. Sed vndè oro hanc
sibi auctoritatem vendicauit? Neq; enim vi-
dimus nos Deũ concionantẽ, scribentẽ, docẽ-
tem, tamẽ ac si vidissemus, credim⁹ & tenemus
à Spiritu sancto fluxisse q̃ legim⁹. Forsitã fue-
rit hæc ratio firmiter adhærendi, ꝙ in ea veri-
tas sit solidior, quamuis non clarior. Habet e-
nim omnis veritas vim inclinatiuam, & maior

maio-

maiorem,& maxima maximam. Sed cur ergò non omnes credant Euangelio? Respondeo, quia non omnes trahantur à Deo. Sed quid longa opus est disputatione? Firmiter Sacris Scripturis ideò credimus, quia Diuinam inspirationem intus accipimus.

Contra philosophos dicentes credere nos Scripturæ Sacræ propter consuetudinem. Cap. XXXIII.

DIcunt philosophi virtute consuetudinis id effici. Etenim vt aiunt illa in quibus fuimus & nati & ab infantia imbuti & hactenus educati, sic nos afficiunt vt ea relinquere quasi naturalia nõ possumus. Verùm id friuolum. Quomodo nanq; proprias ædes, quomodo patriã, quomodo parentes qui nos genuerunt, à quibus his imbuti & educati sumus vnquam relinqueremus? Si cõsuetudini tantũ tribuimus, quæ fuit vnquam cõsuetudo longior, perẽnior, blãdior, dulcior, quam ea quæ inter parẽtes & liberos intercessit? & tamẽ relinquit homo patrẽ & matrẽ, & adhæret vxori suę. Sed dices id fieri quia omni cõsuetudine natura sit fortior.

Et quidem id fateor,& erit iste mihi locus ad arguendum,si est consuetudo natura validior vt obijcitur,cur ergò ratio naturalis quæ fidei non consentit fidem non frangit? Neq; enim virginem peperisse,& Deum concepisse naturæ persuasit:immò & dissentit.Cur ergò consuetudinem sicut in adducendis à parentibus liberis,sic & in credendis natura non vincit? Inest ergò Scripturis sacris nescio quid,immò scio,quid natura sublimius, id est, inspiratio facta diuinitùs,& diuinę irradiationis influx' certus.Quòd si & aliarũ religionum Hebraicæ & Machometanæ exempla produxeris, in quibus est assensus qui nõ diuino influxui, sed imputandus sit consuetudini. Respondemus eorum religione contineri humilia, & nihil ferè supra terrena ac humana, quibus credendis cum nõ multum natura reluctetur, consuetudo facilè opitulatur.Nostra verò sunt sublimia,diuina,cœlestia,creditu difficillima,& q̃bus cũ fortior consuetudine natura contradicat,necesse est vt inspiratio foueat.Ex quo fortè concludi non immeritò posſit fidei, spei, & charitatis habitus acquisitos non sufficere, sed infusos cum inspiratione haberi oportere.
Non

Non magni ergò momenti vt dicere cœperamus esse non possunt verba, quę Spiritu sancto inspirante sunt prolata. Vndè mentibus multorum fidelium, seu religio, seu magis quædã superstitio id faciat: iamdudum insedit, vt sacrorum verborum sensus ad quicq̃ operandũ non sufficiat, sed opus esse verba ipsa in ea qua primum prolata sunt lingua proferri, quod sentire videtur Origenes in primo libro contra Celsum, dicens dæmones verbis quibusdã linguæ illius vbi loca sortiti sint, à magis coartari, ab alteri⁹ linguæ vocabulis sensum eũdem facientibus, quasi magum non audiant nil moueri. Habet igitur vitale nutrimentum veneranda maiestas sacrificium scripturarum. Propterea cum audisset Christus propter parabolam de his quæ intrantia per os non coinquinant animam, quosdam insipientes à fide recessisse, & ideò Apostolis dixisset, nunquid & vos vultis abire? Respondit Petrus, Verba vitæ habes, ad quem ibimus? Est in eis verbis vestita nuditas, multiplex simplicitas, sublimis humilitas, & habilis vniuscuiusq; ingenij subtilitas. Est in ea quod rudiores foris patescat, & quod eruditos introrsũ adducat. Est ꝙ
 fortio-

fortiores robustè exerceat,& quòd imbecillis vltrò se exhibeat.

De multiplici sensu Sacræ Scripturæ.Cap.XXXIIII.


Criptura sacra nullum putamen habet,nihil diminutum, nihil ociosum: nam non verba solùm, verùm & res & facta significant. Si sensum verborũ attendis, historiam habes, si significantiam rerum aspicis,vt q̃ agnus typicus Christum significet,allegoriã vides. Si ad mores referas,vt q̃ Christus à nobis cũ virtutũ odoribus est q̃rendus, qa sanctæ mulieres cum aromatibus ad monumentũ venerũt,tropologia est. Si ad cœlũ rem transferas,vt cũ p Hierusalem cœlestis patria designat̃,anogogiã facis. Habẽt & Hebręi sensum hunc quadruplicẽ in sacris literis. Literalem appellant pesat,hũc sicut apud nos Nicolaus Lyra, sic apud eos rabbi Salomon & Chemei pertractarunt. Allegoricus dicitur midras,vndè extat midras.Rut & midras cœlet,hoc est mystica Rut & Ecclesiastis expositio,& doctores tamuldici hãc sequunt̃. Tropologicum

logicum appellant Sechel, in quo Abram ab Nazara & Leui ben Gerſon & rabbi Moſes Aegyptius deſudarunt. Anogogicus autē cabala nuncupatur: nam expoſitio illa legis tātò verior, quātò abſtruſior, q̄ Moſes ab ore Dei dicitur accepiſſe, non ex libris diſcebatur, neq; enim ſcripta erat, ſed à docente ſuſcipiebatur, à diſcipulis tanq̄ res ſacra & habenda inter arcana. Cabala nanq; ſuſceptio interpretatur, & hæc expoſitio à literali ſenſu ad Anogogicum quaſi à terrenis ad cœleſtia volare contendit. Senſum hunc quaſi animam legis & verborum medullam, ne amitteretur poſt captiuitatem Babylonicam: Eſras conuocatis Septuaginta duobus ſapientib⁹ in ſcriptis redegit, & in Septuaginta duo volumina digeſsit, q̄ Deo p̄cipiente palā legenda non ꝓpoſuit, ſed ſolū legis peritis ac in ſacrarū literarū ſtudio exercitatis ac ſapientibus viris cōmunicanda edixit: hos ſenſus Paulus Apoſto. ſpiritū vocat, cū reprehendēs Iudęos q̄ ſoli literali innitebātur, dicit, Litera mortificat, ſpiritus autē viuificat. Notandū inſuꝑ hos ſenſus poſſe Moſis faciē appellari, literalē autem eſſe velū ei ſuperpoſitum quo adhuc Iudæorum proſpectus ne veritatem
 vide-

videant, impeditur. Propter quod Malachias Propheta dixit Heliam Patrem Prophetã magnum, & admirabilem ante Christi aduentum ad Iudicium præmittendum, qui scripturam spiritualiter exponens, & velum à facie Mosis detrahens, patrum ad filios corda conuertat. Sensus hos mysticos credimus Christum tradidisse discipulis, cum (vt scriptum est in Euangelio) aperuit eis sensum, vt scripturas intelligerent. De his etiam intellexit cum dixit, Scrutamini Scripturas, ipsæ testimonium perhibent de me, sed ideò defecerunt scrutãtes scrutinio, quia quod erat in sensu, q̃rebant in textu. Quod verò ad hos sensus sit recurrendũ, docet ipse Christus, qui ferè semꝑ mysticè loquebatur, vt in parabolis eius manifestatur. cum igitur eodem spiritu quo Christ⁹ loquebatur data lex fuerit, innuitur quòd sic quærenda sit veritas in verbis legis, sicut modò q̃ritur in Christi parabolis.

Quòd & cur Scriptura sacra Arcæ legis comparatur. Cap. XXXV.

SCriptura sacra fœderis arca est intus & foris deaurata, aurũ interius, charitas in Deum, aurum exterius, dilectio est in proximũ. In arca tria sunt. Lex Dei. Virga Aaron, & Manna. Lex docet quod agendum, à quibus cauendum, dat præcepta moralia, quæ quia sunt de lege naturæ, in sua adhuc maiestate perdurant, dat præcepta cæremoniarum, hoc est sacrificiorum. Veteres enim sacra cæremonias appellabant. Hæc quia Christi, quod verũ est sacrificium erant figura: Christo veniente cessauerunt, & quia sunt in melius commutata, dici destructa & soluta non debent. Nõ enim venit Christ⁹ soluere legẽ, sed adimplere, & vt suprà dictum est consummare. At qui in melius commutat, non soluit, sed quod minus erat, quod inchoatum, quod vacuum, supplet, perficit, & adimplet. Pro omnibus enim antiquæ legis sacrificijs vnicum Christi sacrificium nos habemus, & q̄ Christus ille agn⁹ sit quem Iudæi quintadecima Martij Luna paschalibus solennijs offerebant. Ioannes Baptista à litera ad spiritũ, hoc est, ad sensum transiens allegoricum manifestat, cũ inquit: Ecce

Agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi,ac si diceret,non ille agnus animal brutum,vt verborum textus,sed iste vt innuit spiritus & sensus,saluare nos potest.Dat insuper iudiciorum præcepta,quæ si placent obseruare permittūtur; Dumomdo nō putemus ea veteris instrumenti authoritate seruanda. Nam quo ad hæc, instrumentū illud est antiquatum, rescissum, abrogatum,sed si ex re esse videatur denuo institui & pro legibus haberi non vetitum,quod si fiat,debebūt obseruari & pro legibus haberi,vimq; vt diximus non à veteri instrumento sed à nouo sortientur instituto.Item in arca est virga,quia in Scriptura sacra est imperiū quo regimur,cuius authoritas descendens à Christo im summum pontificem transit,â pontifice in imperatorem. Pontifex enim est mediator Christi & hominum:nam regnum Christianorū magis est sacerdotium dicendum, quàm imperium, dicente Petro Apostolo,genus electum regale sacerdotium. Quare pontificatus non in locum imperij subrogatus est, sed imperio est superpositus, vt à pontificatu regatur imperium,& quod pontificatus sanctitas faciendum arbitratur, imperatoria maiestas

ſtas exequatur Vndè & duplex eſt gladius, vnus ſpiritualium, qui eſt pontificis, alter temporaliũ, qui pontifici & imperatori eſt communis. Sed habet eum pontifex in vaginam conuerſum. Imperator verò tenet manu ſtrictum. In vaginam conuerſus eſt authoritatis poſſeſsio, manu autem ſtrictus authoritatis exequutio, vterq; à Christo põtifici, alter à põtifice datur imperatori. Virga hæc aliquando florens, aliquando arida, aliquando mollis, aliquando dura; noſtræ enim gentis imperium nunc humile, nunc ſublime, nunc flexibili & lenta, nũc ferrea & rigida vtiť poteſtate, quia nonnunq̃ iuſtitia ſeuerius agit, nonnunq̃ ęquitas in clementiã & miſericordiam mitius dulceſcit. Cum florent autem, non terreni roris, ſed diuinæ id opus eſt. Nam Chriſtianæ gentis imperium cœleſte non humanum egit arbitrium. Item in arca eſt mamma, quia Scriptura ſacra ſpe futuræ vitæ & cœleſtium bonorum promiſsione in huius vitæ deſerto nos paſcit, donec extincto Moſe Ieſus alter dux in terram repromiſsionis inducit. Teſtamentum vetus myſterijs ac figuris eſt refertum, quarum multæ iam diu intellectæ, multæ quotidie

reue-

reuelantur, multæ in futurum ab eodem spiritu qui eas condidit docendæ seruantur. Recitat Plinius de historia naturali lib. viij. cap. xxxvij. venenatis pabulis Cynarę herba ceruos mederi, percussos à phalangio quod est aranei genus cancros comedere. Cum vulnerati sunt dictami pastu sagittas eijcere. Hirundines vexatos pullorum oculos Chelidonia sanare. Mustelam in murium venatu ruta se fouere, anguem hyberna latebra visu obscurato herbæ marathro sese affricantem oculos reparare. Elephantem cameleonte deuorato qui herbæ est concolor oleastri folijs veneno occurrere. Quemadmodum his & alijs animalibus remedia morborũ dantur à natura, sic nobis à Deo contra spirituales morbos data est scriptura, dicente Paulo, Quæcunq; scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarũ spem habeamus. Primo igitur loco Scriptura sacra tibi legenda est. Secundo doctorũ codices approbati: Tertio philosophi, qui de moribus disputant, & poëtæ graues, qui mira eloquentiæ suauitate philosophiæ seueritatem condiunt, supercilium ponunt, frontem caperatam

extendunt, & veternosum ei senium auferentes venustatis gratiam & iuuenilem quendam decorem inducunt: nihil enim est aliud vera poësis q̃ philosophia quædam mystica, fucata, interpollata. Quartò historiæ ac spiritualium ciborum varietate refectus in hac pulchra ac sancta supellectile constitutus, potes omnem & ægritudinis & vitæ perferre molestiam.

De sanctorum imitatione. Cap. XXXVI.

EXempla fortitudinis, ac patientiæ, spei, longanimitatis, & perseuerantiæ, frequenter legenda sunt, & semper habenda est ante oculos sanctimonia confessorũ, pudicitia virginum, constantia martyrũ. Hoc sit speculum ad quod animæ tuæ quæ sponsa est Christi, caput amicias, faciem linias, sinum exornes, vt in vestitu deaurato charitatis circundata varietate virtutum, cum huius vitæ nox præcesserit, & æternæ vitæ dies illuxerit, ambulare honestè valeat inter triumphales choros paradisi, & habens vestem nuptialem

posſit æternis adeſſe conuiuijs. Dona illa romanorum antiquitas quæ virtutum lapidibus orbis terrarum fundabat imperium, vt ad imitandum iuuenes prouocaret, pangebat in conuiuijs egregia maiorum facinora comprehenſa carminibus. Simili officio religioſi omnes & nos pręcipuè cum cibo reficimur, ſemper vnum nobis contentioſe legentem omnes auſcultamus, & cum ſilentio comedentes erectis ad concionantem non oculis, ſed mentibus ferè ſemper auidius ſumimus animorum ad mēſam alimenta, quàm corporum, & certè iudicio meo pendet hinc magna pars religioſæ vitæ. Quid enim eſt aliud communis hæc lectio quàm vitiorum extirpatio, ſpiritualis profectus exhortatio, & quædam generalis virtutum irrigatio? Conuerte ergò mentem ad cōtemplanda geſta ſanctorum, & quaſi tuā pertœſus ignauiam quòd nihil adhuc egeris viro dignum, mitte manum tuam ad fortia, & vigorem, elationem ac ſublimitatem illorum æmulare. Dum videris in pueris, vt in Vito, in fœmineo ſexu, vt in Katharina, in paganis ipſis, qui Deum ignorabant, tantarum experimenta virtutum, pudebit te, qui vir, qui

Chriſtia-

Christianus es, cui Cœlũ in hęreditatem promittitur, vnam ægritudinem ferre non posse. Lege regum libros, inuenies regem Dauid in aduersis omnibus (quæ multa perpessus est) patientem, pium, mitem, longanimem & à Dei timore nunq̃ discedentem. & in psalmo dicit: Ego autẽ in flagella paratus sum, & fact⁹ sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, quoniã in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus. Lege Ezechiam regem in lecto iacentem cũ lachrymis conuersum ad parietem quindecim vitæ & sanitatis annos impetrasse. In secundo Machabæorũ reperies matrẽ cum septem filijs p̃ paternis legibus tyranno resistere, & contemplatus animũ in fœmina plusq̃ virilẽ, ne habere iudiceris in virili corpore animũ fœmineũ, fortius nisi fallor inniteris. De nostris, hoc est, de Christianis nihil dixerim. Sũt enim omnia huiusmodi exemplorum plena volumina, & Christianæ vitæ regula est mala pati, & mala non reddere. Perfectionis nostræ summa hæc est, percutienti vnã maxillam præbere, & alteram, auferenti tunicam, donare & pallium.

De assidua Dei deprecatione. Cap. XXXVII.

Super-



Vpereſt vt Deo ac Dei amicis aſſiduis ſupplicationibus te commendes, & vt amici Iob ęgrotanti conſulebant ad ſanctorum aliquem conuertere, ſic futurum eſt vt ſaluis mercibus & naui, velis paſsis, ventiſq; ſecundis cum magno meritorum prouentu ac fœnore portum ſempiternæ quietis introeas. Quam tibi mihiq; concedat Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſoletur nos in omni tribulatione noſtra. Amen.

PERORATIO.

Hæc habui de tenui facultate meæ penurię quæ diuturnæ noſtræ amicitiæ & mutuę charitatis officio dederim. Tu ex ingenij tui fertilitate ac copia, ex laboris tui opera ac induſtria conquires plura atq; meliora, quæ his noſtris adiuncta tibi ad cœleſtem patriam properanti erunt pro vehiculo. Vale.

Finis trium librorum de patientia.

BAPTISTAE MAN-TVANI CARMELITAE THEOLOGI, DE VITA BEATA, Dialogus Iucundissimus simul & pientissimus.

AD PETRVM SPAGNOLVM MANtuanum, patrem suum dilectissimum obseruandis.



CIOSA mihi alquid ad te scribere, nuper in mentē venit. Et quū diu mecum ipse cogitassem, vndè possem exordium sumere, in materiam longè pulcherrimam & iucundissimā, omniumq; cognitione dignissimam incidi. Ea est vita beata: q̄ quia ab omnibus amari debet, nec amari potest, nisi prius cognita fuerit, non inutile mihi visum est, si quidnam ea sit & quibus gradibus comparetur, aperuissem. Cur verò hunc libellum ad te

potius, quã ad alium miserim, duabus potissimum causis factum est. Prima, vt quale esset genus exercitationum mearum agnosceres, & ne frustra me hactenus triuisse tempus forsitã existimares. Secunda, vt de re tam exquisita & immortali Deo tam gratissima ad egregium mihiq; gratissimum virum scriberem. Ego enim, qui te mihi charior sit inter mortales habeo neminem. Nec tamen velim vt à me preclarissimum quid expectes: nam neq; hanc materiam tam diffusè vt tractari posset assumpsi, in qua diligenter explicanda Marcus Tullius Cicero facundiæ suæ neruos contendere posset, sed ingenij tenuitati consulẽs multarũ sententiarum flosculos summatim delegi, & huic libello arbitratu meo inserui, quos legens ipse cognosces. Et quoniam ego semꝑ animaduerti dialogorum stylum cæteris pene omnibus esse gratiorem, Ciceroniano more duos colloquentes introduxi: Gigonem scilicet & Hadrianum, & hunc de Vita beata interrogantẽ, illũ interroganti respondentẽ. Et q̃a forsitã hi homines q sunt ignoras breuiter aperiendũ est. Gigo integerrimæ vitæ homo est, q tres & sexaginta nat⁹ annos in nostra religione con-

ne consenuit. Multæ sunt in eo viro literę & sapientia, qualis in Catone fuit multarum rerum vsu comparata. Hic in quibus rebus vita beata consistat probè nouit. Hadrianus iuuenis optimæ indolis, cuius integritatē in hoc vno ꝑpendas, q̄ à p̄dicti senis latere nunq̄ discedit. Non enim est credibile eius vitam prauam esse, qui bonorum consuetudine semper vtatur. Finge itaq; hos duos post prandium moderatè sumptum & post completas gratiarum actiones in hortulum secedere & sub vmbra patulæ arboris inter odoriferas herbas deambulantes hoc pacto cœpisse ratiocinari.

COLLOQVVNTVR HADRIANVS ET Gigo.

HADRIANVS.



Rogo te pater si me amas, vt quia postq̄ iuuentutis annos ingressus sum semꝑ beatè viuere desideraui, q̄nam sit in hoc mundo vita beatior aperias. GIGO. Numquis viuit beatam vitam? fili ne dixeris. Est enim illa Nasonis poëtæ rata sententia:

Expectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Solon vir ille sapientissimus, qui leges Athenienſium condidit, neminem in vita felicé vocari debere putabat. Quis tam vecors vt nó cognoſcat q̃ parũ felicitatis eſt in hac vita, in q̃ dum intramus primũ omniũ flere diſcimus? Nemo ſine lachrymis vitæ præſentis curriculum tranſit, quam ſi conſideremus, quã ſit breuis & incerta, proculdubio Aulum Craſſum imitaremur, quem nunq̃ riſiſſe Solinus meminit. Si forſitan alicuis diutius fortuna blãditur, non tamen impunitum abire ꝑmittit, & quantò tardior, tãtò grauior procella ſuccedit. Referunt hiſtoriæ Polycratem Samiorum tyrannum aduerſam fortunam ſemel expertum, qui ne omnis expers incommodi, annulum aureũ in mare proiecit, quem breui poſt tempore, dũ cœnaret, in piſcis ventre fortè reperit, ſed ꝙ Deus diſtulerat, nequaq̃ abſtulit. Nam extremæ vitæ ſuæ tempore cruci turpiter affixus eſt, quo fit vt vulgare prouerbium non ſit omnino vanum, ſcilicet, quod differtur, minimè aufertur. HADRIANVS. Vera ſunt quæ dicis, ſed ego vitam beatam voco illam, quam

ſi quis

si quis in hoc mundo viuat, posſit olim vitam immortalem, quam noſtri æternam vocant, adipiſci. GIGO. Habeo, ſed longiuſculæ diſputationis locum adducis, in aliud tempus, quo plus ocij nacti erimus, differendum. HADRI. Obſecro ne moleſtum tibi ſit quid ſentias dicere, non peto vt omnia cribratim inquiras, ſed tantummodo ſequaris rerum ſumma veſtigia: hoc enim à te diſcere cupio, à quo multa ſubtiliter diſputata, multa etiã ſapiẽter prudenterq́; iudicata cognoui, & da veniam ſi virtutem tuam laudauero, quotieſcunq́; diſputationibus interſum Catonem illum de ſenectute diſputantem videor videre, nec minus dicta tua obſeruo quã olim obſeruari ſolebat Delphici numen Apollinis. GIGO. Si tanto deſiderio afficeris audire meam de hac re ſententiam, tuæ voluntati, quantum in me erit, morem geram. Atq; vtinam is ego eſſem, qui aliquid dignum expectatione tua commemorare poſſem. HADRIANVS. Volo ſanè vt hoc negocium ſuſcipias pater, ni forſitan tibi graue ſit. GIGO. Quid inquis graue? Hactenus nil graue mihi viſum fuit, q̃uis magnum, quòd aliquis fratrũ honeſto deſiderio compulſus à

me popofcerit.Amicitiæ firmiſsimum fœdus eſt idē velle,idemq; nolle.HADRIANVS. Loqueris vt ſapientem decet,nec aliter q̃ loqueris te factitaſſe exiſtimo. Sed priuſq̃ vlteriori loco procedamus tria ſunt quę peto.Primum quid ſit,Vita fœlix.Secundum,in quibus rebus conſtet.Poſtremum, ſi qui ſint, qui hac tempeſtate talem vitam viuant. Hic noſtræ diſputatiunculæ ſit tripartitus ordo.

GIGO.



Oſſem tibi multas vitæ beatæ huius definitiones adducere, à diuerſis auctoribus diuerſiſq; in locis auditas. Sed ne te multis morer,quo pacto ab Annæo Seneca definiatur accipe.Ego enim cum illo ſentio:Beata,inquit,vita eſt illa,quę in recto certo q; iudicio ſtabilita eſt & immutabilis.HADRIANVS. Si placet inter nos ea lex eſto, vt quotieſcunq; aliquid obſcurius inter dicēdum acciderit interpellare poſsim. Solet enim plærumq; accidere, vt dum verbum obſcurum prætermittitur, indeclaratum, omne

ne id quod ſequitur non intelligatur, dum auditoris animus ambiguo dicto repercuſſus hęſitat, nec poteſt illud ex memoria repellere. GIGO. Placet quod dicis, laude dignus es, audacter loquare. Luxuria à mẽbris, ignorantia à mente fuganda eſt vt Pythagoræ placet. Ego ſemper in adoleſcente futuræ probitatis veriſsimum ſignum iudicaui, ſi velit doceri quod neſciat. Omnis labor pro acquirẽda doctrina ſubeundus eſt. Pythagoras amoræ ſapientiæ vſq; ad Aegyptios & Magos penetrauit. Et eius diſcipul' Plato eodem ſe fatigauit itinere. Quẽ vult Auguſtinus id quod de Deo locutus eſt à Hieremia propheta, qui tunc in Aegypto viuebat, didiciſſe. Sed vt de noſtris dicã: Hieronymus vir ille ſanctiſsimus teſtatur in quadam Epiſtola ſe à pueritia literarum deſiderio ferbuiſſe. Apolinarem itaq; Antiochię frequenter audiuit. Et dum iam eſſet cano capite, Alexandriã vt audiret Dydimũ perrexit. Poſtea Bethleem reuerſus Hebraicas literas nocte ſilente furtim didicit. Timebat enim qui eũ docebat ne ſi Iudæi hoc cognoſcerent, non impunè tuliſſet. HADRIA. Præclara ſunt & notatu dignisſima, quæ hactenus

dixisti. Sed vt ad propositum redeamus, quid sibi vult id quod in diffinitione positum est, recto certoq; iudicio? GIGO. Ex eo ꝙ recto dixit, vitam beatam debere rectam esse, significauit, rectum verò idem quod iustum significat, & quoties aliquid oportere iustū esse dicimus, in eo oportere iustitiā esse demonstramus. De qua Euripidis illa notissima sententia dicitur: Neq; lucifer, neq; vesperus ita mirabilis. HADRI. Quidem iustitia? GIGO. Iustitia est, vt Tullio placet, vnicuiq; quod suum est attribuens. Sed liquidiùs à nostro Hieronymo describitur sic. Iustitia inquit, est non peccare, nō peccare, est legis pręcepta seruare. + HADRIA. Dic quæso quia mentio de peccatis accidit, est ne verum, quod vulgò fertur, scilicet, ꝙ non peccat, qui nihil omninò facit? GIGO. Minuenda est penitus hæc opinio. Nam legis obseruatio bifariam diuiditur, scilicet vt nihil eorum quæ prohibentur faciamus, & nihil ex ijs quæ iubentur prætermittamus. Lex ipsa inqt, Diuerte à malo & fac bonum. Non satis est dixisse, diuerte, nisi addidisset, & fac bonum, qui autem nihil facit, bonum non facit, quia quod nihil est, bonū nō est. Non

solum

solum oportet vt vestitum non spolies, sed etiam vt spoliatum vestias. Iustitiæ duo sunt membra quæ ab ea diuelli separariq; non possunt. Pietas, scilicet & æquitas. Pietas est, vt Trimegisto placuit, ipsum Deum immortalē omniū factorem & gubernatorem cognoscere: Finis autem pietatis est vt cognitus Deus adoretur. Aequitas est non ea, quam Tullius in rectè iudicando, ęquabilitatē vocat, sed omnibus æqualem se præbere, cui contraria est superbia q̄ est omnibus se maiorem existimare. Monet æquitas vt nullꝰ altero velit esse superior: nam quia indifferenter omnibus pater est Deus, omnes pariter germani sumus ex eodem germine, scilicet Christo, renati, vbi ista duo non fuerint, ibi iustitia esse non potest. Potest etiam recto iudicio rursus aliter intelligi ita vt recto interpretatur, id est, sano veroq; iudicio. Sunt enim plęriq; mortalium, qui propter opes, clientelas, affinitates, seruitia, sodalitates, hospitia, & propter alia huiusmodi fortunæ bona se beatos existimēt, sed hi omnes recto veroq; iudicio proculdubio priuati sunt. Nam si intelligerent nos haud alia causa erecto vultu à summo rerum Artifice compositos

esse nisi vt quæ supra nos sunt contemplaremur,& quæ sursum sunt saperemus,non se tot erroribus impedirent,tot stultitijs obruerent, tot deniq; tenebris confunderent.Non sunt hi felices appellandi, licet Midæ opes possideant,recto carent iudicio,nec reddunt vnicuiq; quod suū est,bonos floccipendunt, sacra non curant: Deū obliuiscuntur.In talibus vita eorum versatur vt hæreditates vel iure capiant vel iniuria pupillos expellant, pauperes cruciant, laborant ambitionis morbo, illud in ore sonat,aliud in pectore clausum latet, amicitias & inimicitias non ex re (vt Crispus inquit) sed ex commodo sibi habent. Hi sunt quibus antiqui clamitant vates: Gens iniqua atq; puersa hæccine sunt q̄ Deo reddis popule stulte & insipiens.& alibi: Statuerunt oculos suos in terram declinare.Sed hæc de mundanis dicta sunt.Quid verò de his dicam qui cū seipsos regere nesciant,religionis antistites fieri volunt, vt non solum suas,sed etiam aliorum animas perditum eant? His aduertenda Claudiani sententia, scilicet, Tunc omnia iura tenebis,quum poteris rex esse tui.Primò igitur sibi moderentur,deinde si libebit alijs
præ-

præſint. Stantes in angulis facienda præcipiunt q̃ nec ipſi præcipientes faciunt. Quis hoc prauum eſſe iudicium non dicat? Non eſt igitur in illis, vt prædictum eſt, vita beata, quæ ſine recto iudicio cõſtare nõ poteſt. HADRIA. Recte mi pater ſentis, & huic quod dicis illud carmen Naſonis poëtæ conuenit:

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit cælumq; videre
Iuſsit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Quo fit vt damnandus ſit ille Socrates qui ſolus Apollinis oraculo iudicatus eſt ſapiens. Hoc enim erat eius prouerbium: Quod ſupra nos, nihil ad nos. Cuius etiam Lactantius facit mentionem ſi rectè memini. Sed vt ad prædicta reuertamur locum illum de iuſtitia maniſeſtius enuclea vbi dictum eſt non eſſe ſine æquitate iuſtitiam, & æquitatem eſſe ſe omnibus æqualẽ reddere. Dic q̃ſo, nonne ſeruos & ancillas noſtri pontifices habent? quibus non modò non æquales, nec ſolum vt ſeruo dominus eſſe ſolet ſuperiores, ſed vt ſemidei reputentur, num ſunt igitur pontifices iuſti? GIGO. Abſit hoc facinus à noſtra religione fili, vt in præpoſitis eius iuſtitia non ſit,

Sed quũ nuper illud Firmiani Lactantij cõtra gentes luculentissimum opus in manibus haberem, reperi quòd huic tuæ quæstioni possit aptissimè responderi. Ait enim, seruos nobis esse quid quidem tenuiores & asperiores corporis cultus habent q̃ Domini, quod autem ad animam pertinet, eadem cura, studio & industria gubernantur. Nam cum homo constet ex duobus, ex corpore scilicet, & anima, quæ inuicem contrariantur, quoniam illud terrenum, hoc cœleste, illud mortale, hoc verò immortale est, & idcirco non facile est, vtrisq; posse satis facere. Corpus amat conuiuia, somnos & confabulationes. Anima verò vult contra ieiunia, vigilias, & orationes. Quoniam igitur vt dixi non potest vtrisq; satisfieri, videndum est vtrum horũ sit dignius, vt primo ei pareamus, deinde si possumus alteri. Compertum est igitur animam corpori præferendã esse, quo fit, vt animabus pontifices nostri non minorem ac proprijs diligentiam adhibeant, quod autem ipsi ornatiores & politiores incedunt, non ideo faciunt, q̃ membra sua iudicent esse preciosiora, sed vt dignitates & officia quæ gerunt à seruorum conditione videantur

deantur esse differentia. HADRIANVS. Non opibus, sed virtutibus præfecti debent excellere. GIGO. Quod magis necesse est, prius inuestigari debet, quæ autem magis ornamento sunt q̃ vtilitati, postea si possunt acquirantur. Oportet vt pontifices sint virtute prædíti, primum igitur virtus adipiscatur. Nõ absurdum est pontifices tantum habere diuitiarum quod victui modico sufficiat, & quoniam hæc ornamenta diuitiarũ necessaria omnino nõ sunt, nõ primo, sed secundo loco quęrantur, ita ꝙ nec propterea virtutes euanescãt. Quis est, qui nesciat æquum esse, vt à discipulis præceptor nedum virtute discernatur, verumetiam grauiori quodam & honestiori habitus priuilegio: partim quia discipulo maior est præceptor: partim quia modesta corporis ornamenta non paruo adiumento virtutibus animi sunt ad cõparandam grauitatẽ, vt vulgaris tumultus ac cupiditas reprimi posſit, ac gubernari. Non est igitur dicendum iniquos esse pontifices, ꝙ splẽdidiores habeant vestes: nam ipsa æquitas non extrinsecus circa corpus, sed intrinsecus in animo sedem suam habet, & quoniam animi cogitationes soli Deo mani-

manifestæ sunt, ipsi soli de æquitate iudicium relinquendum est. HADRIA. Omnia ad viuum resecasti, ita vt omnis à me seclusa sit dubitatio, quòd euenisse puto, non solum quia sic se res habet, sed etiam, quia elimato & quadranti sermone, qui tibi ab arte & à natura cōcessus est, hæc omnia disseruisti. Ornata enim politaq; oratione veritas ipsa potentius in auditorum animos influit. GIGO. Vidimus hactenus quid esset vita beata, q́ posita est in iustitia. Iustitia enim omnes alias virtutes tanq̃ filias suo gremio concludit. Nunc videndum puto quibus gradibus ad ipsam iustitiam ascendatur. HADRIA. Miro discendi ardore feruoreq; expecto quid dicas. GIGO. Tria sunt quę connexa & simul conglutinata ad vitam beatam plurimum cōferunt, diuisa verò & separata parum adiuuant. Sunt autem hæc vt nominatim dicam. Pudicitia, Contemptus mundi & Iustitia. Et vnaquæq; istarum virtutum non propter se, sed propter aliam quæritur. Primò pudicitia flagitatur, vt contemptus mundi sequatur. Nam mundus ab his facilius contemni poterit qui coniugali vinculo soluti sunt; nam postquam carnalibus illece-

bris

bris cœperunt oblectari, & in sentinā vitiorū conuerunt, perditi sunt, & penitus desperandum est de salute eorum nisi misericordi diuinæ potentiæ digito subleuati fuerint. Quæritur item contemptus mundi vt iustitia reperiatur, repertaq; fruamur, quæ difficile conspici potest, ab his qui se negocijs sæcularibus inuoluunt. Nam coniugis & liberorum cura & ipsa res familiaris à recto iudicio mētes hominum reuocant. Pauci autem rectè viuere incipiunt, sed tamen ni diligenter caueant vitijs blandientibus à recto calle deuient. Primò igitur quibusdam cōtractis, pactisq; legitimis, opes quærunt, at vbi gustarunt ꝙ bona sit negociatio, in vsuras paulisper incidunt, deinde furtim aliena rapere, pupillos spoliare & proximos non abstinent, postquam autem incaluit hæc consuetudo, furtis & sacrilegijs, modò lateant, minime parcunt, sic malum malo truditur. Hæc omnia in tantum vsum conuersa sunt, vt non pro vitijs vt sunt, sed pro virtutibus in mundo nunc habeantur, & si quis talium rerum fuerit expers, tanquam ignauus ab omni populo repellatur. Quare Satyricus noster Aquinas meritò cōqueritur:

Aude

Aude aliquid breuibus gyaris, & carcere dignum
Si vis esse aliquid, probitas laudatur & alget.

Diuitiæ procul dubio sunt humani generis exitium, nec sinunt iustitiam in nostris regnare pectoribus. Quæ res minimè Persium latuit, inquit enim:

Quòd si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poëtas & poëtridas picas
Cantare credas pegaseium melos.

Adde quòd talis est opum natura, vt nunquam satis esse videantur, quod vitiũ Romanis antiquis versibus his obijcit Ouidius:

Creuerunt & opes, & opum furiosa cupido,
Et quum possideant plurima plura petunt.

O diuitiarum sacra fames, quid non mortalia pectora cogis? propter te quoties violata est iustitia? propter te Sicheus truncatur à fratre: Dido patitur exiliũ: Polydorus mẽbratim secatur. Rectè Thebanus Crates suas opes in cœcũ pælagus abiecit, mersitq; illas, ne mergeretur ab illis. Hæc igitur è mentibus omnibus modis extirpari oportet, & tanquam in domum suam introducẽda est iustitia, vbi suas posit figere radices, & fructus afferre mirificos. HADRIANVS. Nonne fuisset satius, si diuitias quas

Thebanus ille philosophus in mare demersit pauperibus tribuisset? GIGO. Fuisset vtiq; melius, sed fortè metuebat, ne si pauperib⁹ dedisset, illis accidisset, quod ipse fugiebat. HADRIA. Et forsitan hoc illi in mentem venerat, sed quoniam circa illa tria quæ superius connumerasti omnem rem versari perpendo, quomodo vnumquodq; illorum assequi possimus, audire desidero. Et dabis veniam si quę dicis, tardius apprehendo, cum sim à teneris Mantuæ nutritus, vbi hoc vitium à densioris cœli qualitate contraxi. GIGO. Tu cum Cicerone sentis vt è dictis tuis perpendo. Refert enim (ni malè memini) Thebanos ingenio fuisse pinguiores, sed robustiores corpore, Athenienses verò perspicatiores & acutiores extitisse, idcirco quia crassus aër & pinguis erat Thebis, Athenis verò rarior ac subtilior apparebat. Sed hæc omittamus, & quod nunc instat, agamus.

De castitate.

CAstitatem septem modis assequi poterimus, scilicet firmo proposito, modico cibo, exercitio continuo, raro bonoq;

colloquio & consuetudine sensuũ cõtinentiæ: p̃mij futuri præmeditatione,& auxilio diuino.Septem hæc arbitrio nostro percurramus, dicemusq́; non tam eloquenter q̃ sapienter: nã semper magis studui sapiẽs effici,q̃ eloquens: qui enim facundè dicunt,suauiter,qui sapienter,vtiliter audiuntur,sed primum modũ arripiamus.

De firmo proposito.



I quis quod facturus est prudenter agere voluerit circa quod faciendum est,tria considerabit,scilicet an illud quod voluit, honestum sit,an turpe,vtile an inutile, delectabile an non delectabile,si res fuerit tãtummodo delectabilis, ita q̀ omni honestate atq; vtilitate priuata sit,omnino fugienda est, in quo genere sunt lasciui cantus,& cithararũ strepitus qui infirmas iuuenũ mentes alliciũt. Sũt etiã in hoc genere saltationes & choreę & omnes corporis illecebrę.Si verò res fuerit delectabilis & honesta,sed nõ vtilis,apud omnes nationes non laudo. Honestas enim nõ vna est apud omnes,sed quod apud aliquos honestum

videbi-

videbitur apud nos erit turpe. verbi gratia: Apud Epicurũ honestum erat misceri cũ vxoribus, & corporeas necessitates in propatulo & coram omni populo facere. Si quis igitur apud homines huiusmodi fuerit, vti hac honestate non debebit, si verò tale honestum erit, vt fidei Christianæ non deroget, concedendum erit. Quemadmodum est vxorem ducere, talibus se vestibus ornare, vt non solum vtilitati corporeæ, sed etiam honesto cuidam decori non luxurioso consulatur. Si verò hæc tria simul in aliquo reperiantur, ita vt sit delectabile, honestũ & vtile, adhuc est cogitandũ cuiusnã sit illa vtilitas, scilicet corporis an animę, an vtriusq;, si tantum corporis turpe quidem erit Christiano, si fecerit, si animæ, toto conatu, totis viribus implendum est, in quo genere sunt, ieiunia, abstinentiæ, pro fide mortem obire, & martyrio coronari, si vtriusq;, cauendum est ne plus corpori quàm animæ tribuatur, vt in temperatis cibis sumendis, qui si vt dixi temperati sint, corpori prosũt & animę, videndum est, vt ne minimum quidem plus corpori detur q̃ animæ. Si res vlla fuerit, corpori cõtraria, animæ verò vtilis, faciendũ est,

vt appetitus obediat rationi, & Saluſtianum illud aduertendum, Animi imperio, corporis ſeruitio magis vtimur. Poſtquam igitur quid ſit faciendum cognoueris, opus eſt, vt non diſferas, non ambigas, nõ hęſitas, ſed vt toto mẽtis amplexu viriliter animoſeq́; ſuſcipias, & recorderis illud, quod ait Comicus, Dum in dubio eſt animus paulo momento huc vel illuc impellitur. Quoniam igitur caſtitas ſecum fert vtilitatem ac honeſtatem, vnuſquiſq; ſuo proponat fortiter in animo caſtitatem obſeruare, quod qui fecerit, ad alios gradus aſcendere facilius poterit.

De Modico Cibo.



Icut cibus immoderatè ſumptus deteſtandam ſuſcitat venerem, ſic moderatus puriſsimam tuetur caſtitatem. Sed in hoc maxima pars mortalium fallitur, qui dum ignorant quid ſit abſtinentia, omne eſculentum præter carnes, ſibi conducere putant, nec aduertunt, ꝙ etiam in herbis quibuſdam venenum lateat, vt in eruca, quæ quia calidiſſimæ

ſimæ naturæ eſt, venerem reuocat. In leguminibus etiam luxurioſe conditis titilla carnis abſcondita eſt, quo fit vt quidam vir ſapiens nuper diceret, eum qui vellet cœnobij curam gerere, philoſophiam naturalem, quam phyſicam Græci nominant, ignorare minime debere. ſunt enim plæriq; cibi qui in vſum quotidianũ veniunt, à quibus niſi ſpiritualis miles ſe diligenter abſtinuerit, carnis intolerabile certamen experietur. Quare noſter Hieronymus, & doctrina rerum, & vſu ſapientiſsimus, dicere ſolebat, nullum cibum caſtitatem curantibus eſſe vtiliorem q̃ holera palladio liquore perfuſa, & eo quidem modico. Idem piſces niſi minutiſsimos prohibebat, quod iſti neſciunt, vel ſi ſciunt, quod grauius eſt aſpernantur, qui cœnare neſciunt, niſi vel oſtrea, vel mullũ, vel aliquod huiuſmodi, qui quo in gluuiem ſuam ſatiare poſſent, prope littora Gangis habitarent, in quo vt Solinus teſtis eſt tantæ quantitatis anguillæ naſcuntur, vt ad pedum tricenorum proceritatem accedant, ſed de his quæ hactenus dixi melius conſulendi ſunt Medici, ne videamur partes illorum ſurripere. Ego hoc vnum infero, Hieronymi au-

ctoritate fretus, parcum cibum triduano ieiunio præferendum, nec licere cuiq̃ calidissimis cibis vti nisi vel infirmitate vel longo senio confectus fuerit. HADRIA. Nunc tempus est locum quendam soluere, qui non solū me, sed etiam plærosq; alios dubitare non parum sæpè coëgit. GIGO. Vaticinor quid sit quod vis dicere. HADRIA. Nec miror, est enim famosa quæstio. GIGO. Tu tamen dic, homo sum, falli & decipi possem. HADRIA. Qua intentione, quo fine hæc omnia Deus immortalis fecit, si hominibus vesci nō licet, anne vt pereant? GIGO. Minimè: Nam nec quicquam in mundo ita perit, vt ad nihilum redigatur, sed formam mutat, corpora nostra non pereūt, sed in ea elementa ex quibus constabant resoluuntur, sunt etiam q dicunt medullas nostras, cum sepulti iacemus animari & in anguē conuerti, quæ res etsi fortasse vera nō est, mihi tamen videtur esse verisimilis: nam sicut per serpentem primi hominis mors nata est, non absurdum erit, si dicatur, ex hominis morte serpentem nasci. Nihil igitur vt prædiximus omnino perit, cuius sententiæ auctor est Pythagoras, quam noster Ouidius duobus versibus

ſibus eleganter expreſsit. Ait enim:

Nil perit in toto quicquam (mihi credite) mundo,
Sed variat faciemq; nouat, naſciq; vocatur.

Nec fruſtra Deus hanc denſiſsimam variarum rerum ſyluam fabricauit, ſed fecit (vt cõprehendere poſſum) tribus potiſsimum cauſis, vt potentiã ſuam exprimeret, vt ingenia noſtra in ocio torpere non ſineret, & poſtremo vt infirmitati noſtræ ſubueniret. Et vt ad primum reuertar, quis inter homines tam ſolertis ingenij reperitur, vt alterum mundũ fabricare poſſet? Quis Zeuſis? Quis Apelles? Quis Phidias, vt de pictoribus loquar, tam viuacem colorem herbis & floribus imprimere poſſet? Quis poſſet hominẽ opus admirabile cœleſtis ſpiritus capax formare? Et vt altius aſcendam, quis cœlum deuexum tot ſyderibus pictum mirabili ſolis lumine præditum componere poſſet? Atq; hæc omnia Deus ipſe fecit. HADRIA. Nonne memoriæ traditum eſt: Archimenidem Siculum in ære mundum formaſſe, & per ſyderum motus varias anni vices diſpoſuiſſe? Prætereà nonne referunt etiam Prometheum feciſſe hominem? Non igitur tam mirum eſt, ſi Deus

hæc egerit quæ potuerunt & aliqui homines facere. GIGO. Eſt aliquid quod dicis, ſed age iterum ruminemus. Dicis Archimenidem feciſſe mundum, putaſne fecerit nebulas? putaſne æſtatẽ? putasne ſolſtitia & æquinoctia poſuerit? Fatuum eſt ea credere. Quòd ſi feciſſet hoc deerat ꝙ non erat tam capax q̃ iſte quẽ vidèmus. Quòd autem dicis Prometheum feciſſe hominem, ſi ſanè intelligeres non hoc diceres, fabula eſt, non hiſtoria, quæ tamen aliquid veri intrinſecus habet. Aiunt enim, ꝙ Prometheus fecerit hominem, quia primus fuit q̃ ſtatuas fabricauerit. Sicut etiam dicunt Cecropẽ fuiſſe biformem, quia primus fuit qui marem & fœminam matrimonio copularet. Fecit igitur hæc immortalis Dominus, vt ea nos contemplaremur, eorumq; artificem, & vt noſtram imbecillitatem inertiamq; cognoſcentes humiliaremur, & per humanitatem eò ſcãderemus, vndè propter ſuperbiam ceciderunt angeli. Vides tot animantia diuerſarum formarum, diuerſis coloribus, & virtutibus ornata? Vides anni tempora q̃ prudenter diſpoſita ſint? Primo Ver nouum ſic dictum, quòd tunc reuireſcant omnia, & vt Maro noſter inquit:
Et

Et tunc omnis ager, tunc omnis parturit arbos,
Tūc frondent syluæ, tunc formosissimus annus.

Primo veri succedit æstas, quæ præcipuæ charitatis exemplum prę se ferens fœtus omnes quos ver parturierat, suscipit educandos, à qua si quid imperfectum relictum fuerit superueniens autumnus ad vnguem perficit, & manum summā imponit. Tunc agricola quicquid sperando telluri crediderat cum centeno fœnore colligit. Et quoniam Deus immortalis aduertebat annū gignendo, educādo, & maturando, iam esse defessum, quietum tempus & vacuum laboribus adiecit, quam vocant hyemem. HADRIANVS. Quare factum est, vt tres anni partes in sudoribus, vnam tantum in quiete posuerit Deus? GIGO. Placet quod mihi in memoriam reduxisti. Diffusus labor, succincta quies, strenuum delectant militem. Si humanæ naturæ fragilitas pateretur, nunq̄ esset à labore cessandum hominibus: oportet enim vt hoc miserabile corpus quod animam nostram assiduè prouocat ad libidinem, assiduè suscitetur ad laborem, quemadmodum pater sanctissimus Macharius solebat, qui dum silenti habitaret in eremo magnam arenæ

hæc egerit quæ potuerunt & aliqui homines facere. GIGO. Eſt aliquid quod dicis, ſed age iterum ruminemus. Dicis Archimenidem feciſſe mundum, putaſne fecerit nebulas? putaſne æſtatē? putasne ſolſtitia & æquinoctia poſuerit? Fatuum eſt ea credere. Quòd ſi feciſſet hoc deerat quod non erat tam capax quàm iſte quē videmus. Quòd autem dicis Prometheum feciſſe hominem, ſi ſanè intelligeres non hoc diceres, fabula eſt, non hiſtoria, quæ tamen aliquid veri intrinſecus habet. Aiunt enim, quod Prometheus fecerit hominem, quia primus fuit qui ſtatuas fabricauerit. Sicut etiam dicunt Cecropē fuiſſe biformem, quia primus fuit qui marem & fœminam matrimonio copularet. Fecit igitur hæc immortalis Dominus, vt ea nos contemplaremur, eorumq; artificem, & vt noſtram imbecillitatem inertiamq; cognoſcentes humiliaremur, & per humanitatem eò ſcāderemus, vndè propter ſuperbiam ceciderunt angeli. Vides tot animantia diuerſarum formarum, diuerſis coloribus, & virtutibus ornata? Vides anni tempora quàm prudenter diſpoſita ſint? Primo Ver nouum ſic dictum, quòd tunc reuireſcant omnia, & vt Maro noſter inquit:

Et

Et tunc omnis ager, tunc omnis parturit arbos,
Tūc frondent syluæ, tunc formosissimus annus.

Primo veri succedit æstas, quæ præcipuæ charitatis exemplum præ se ferens fœtus omnes quos ver parturierat, suscipit educandos, à qua si quid imperfectum relictum fuerit superueniens autumnus ad vnguem perficit, & manum summā imponit. Tunc agricola quicquid sperando telluri crediderat cum centeno fœnore colligit. Et quoniam Deus immortalis aduertebat annū gignendo, educādo, & maturando, iam esse defessum, quietum tempus & vacuum laboribus adiecit, quam vocant hyemem. HADRIANVS. Quare factum est, vt tres anni partes in sudoribus, vnam tantum in quiete posuerit Deus? GIGO. Placet quod mihi in memoriam reduxisti. Diffusus labor, succincta quies, strenuum delectant militem. Si humanæ naturæ fragilitas pateretur, nunq̄ esset à labore cessandum hominibus: oportet enim vt hoc miserabile corpus quod animam nostram assiduè prouocat ad libidinem, assiduè suscitetur ad laborem, quemadmodum pater sanctissimus Macharius solebat, qui dum silenti habitaret in eremo magnam arenæ

molē humeris huc illuc ferebat, & interrogat⁹ toties cur hoc faceret, sé vexare, à quo vexabatur ipse, hypodiastolè respōdit. Sed hæc hactenus de Diuina potentia dicta sint. In his paulò longior sum, quoniam à vita beata de qua nunc agitur minimè sunt aliena, deinceps de secūda causa dicatur. Nosti animas nostras intelligentia & ratione preditas? Sunt itaq; animæ his virtutibus armatæ, tanq̃ miles processurus ad bellum, sed quoniam nescio quid turpissimū est, in ocio proiecta virtus, & quia vanum est, quenq̃ armari, nisi sit cū hoste pugnaturus, sic proculdubio superfluum videretur, & vanum animas nostras ratione muniri, nisi sortiantur aduersarium, cui viriliter suum reluctando queant robur explicare, & vires suas exercitio firmare. Voluit igitur vt nobis hostes essent Lucanica, Tucetū, Sumen, Omentū & alia quam plurima quorum numina norunt hi qui luxuriæ & ventri dediti sunt, & eam legem posuit, quæ solet inter hostes obseruari, scilicet vt qui victus fuerit victori subijciatur, & qui vicerit imperet. Si corpus animam vicerit victam secum trahit ad infernum. Si vicerit anima corpus, secum ad cœlestia subtrahit

trahit. Posthac de tertia causa agatur. Summus & optimus Deus non solum animarum nostrarum, verumetiam corporum curam gerit, quæ quoniam voluit diuersis languoribus esse subiecta, quibus(vt solet aurum in igne)purgaretur,ne fortè deficerêt, in herbis & lapidibus abstrusit medicamenta, quæ idcirco voluit occultari,quia sciebat se rationem omnium acutissimam indagatricem nobis attribuisse.HADRIANVS.Quid opus est corporibus nostris adhibeamus medicamina? omnia anteq̃ fiant Deus prænouit, & quia ipse falli non potest,oportet vt eueniant sicut ipse præuidit,si ergò Deus prȩuidit me ex hac infirmitate moriturum, siue medicum accersi faciam,seu non,quia vt prædixi falli non potest,vt moriar necesse est. GIGO. Ne videamur in aliam materiam transilijsse,quæstioni huic breuiter respondendũ est.Quanq̃ Deus à principio cognouerit vtrum ego,vel in doctũ, vel ignarum virum euasurus sim,non tamen debeo præceptorem aspernere:nam Deus sciuit me doctum futurum, si studijs operam dedissem, & futurum ignarum, si literas aspernarer. Nouit Deus ea conditione

posse

posse te sanari, si vtaris consilio & opera medicorum, & de similibus idē est iudicium. HADRIANVS. Omnia eleganter, prudenter, & scitè disputasti, & nihil intactum reliquisti, fateor, q̃ dicis, vera sunt: Tu ex animo meo rubiginem quandam ignorantiæ detersisti, sed si placet de continuo exercitio dicere aggrediamur, quod superiùs tertio loco cōstitueras.

De Continuo Exercitio.
GIGO.


Ieronymus in eo libello qui de modo viuendi in monasterijs inscribitur, dicit: Omnis immunditiæ atq; peccati matrem esse ociositatem, quod quia verum est, sequitur omnis munditiæ atq; meriti matrem esse exercitationem: contrariorum enim contrarij sunt effectus, non autem omne exercitium est laudabile, sed solum illud, quod his duabus differentijs limitatum fuerit, assiduitate scilicet & honestate. Assiduum oportet esse, quia necesse est vt quod semper oppugnatur semper quoq; defendatur. Præterea mens nostra in continuo motu persistit, & oportet

portet vt ſemper aliquid inquirat & excogitet, ſiue ſit bonum, ſiue ſit malum. Quinetiam memini me vidiſſe homines qui quædam quæ neſciebant in ſomnis didicerunt, & tenaci memoria retinuerunt. Vndè nec dormientium quieſcunt animæ. Igitur ſi quid honeſti exercebimus, circa id honeſtum verſabitur anima: Si verò in ocio marceſcimus, quoniam ſumus à natura in malum procliuiores, cogitationes impudicæ latenter ſubintrant, quas niſi confeſtim remoueamus miſeram ſtrangulant animam. Heu me miſerum quæ iactura? Si verò fortiter animoſéq; repellamus, tandem per illam cœleſtem Hieruſalem imperatoris more victoris coronati triumphantes incedemus. Tunc omnes cœlicolæ aſtantes dicent, Hic eſt qui mortalia ſpernens acquiſiuit immortalia, diem feſtum agamus, & fratris noſtri natalia hodie lætantes celebremus. O patria beata. O patria cœleſtis, ex hac ſentina malorum ad te ſuſpiramus, ex hoc remotiſsimo littore procul aſpicientes, vix te diſcernere poſſumus. Erit ne vnquam dies illa, dies exultationis & lętitię, qua nobis qui iam curriculum præſentis vitæ tranſegimus (& quidem ſtudio certaminis) valuas

valuas aperiens à tristitia ad gaudium, ab odio ad amorem, à morte ad vitam vocare dignaberis? Sed de his aliàs. Oportet etiam, vt exercitium præter illa quæ diximus sit honestum, quo fit vt Penthatlũ vituperem sub quo ludorum species quinq; assignantur, scilicet Iact⁹. Disci. Cursus. Saltatio. Iaculatio. & Luctatio. Non iubeo vt quis in publicum procedens exutis vestibus & correpto grãdi silice tota die frustra desudet, non vt celeritate pedum currendo certet, non vt scorpiones aut arcus manu gestans vnumquenq; petat, etiã arte, vt fecit Alchon, qui cum videret serpentem colla filij circumplectentẽ, tetendit arcum, pcussit serpentẽ, nec filiũ tetigit, q̃uis cũ serpẽte mixt⁹ esset, & inuolut⁹, hęc studia nõ multũ laudo. HADRIA. Quid de agricultura sentis? GIGO. Agricultura iudicio meo dignissima est, & honestissima, nõ tamẽ graui rostro terrã fodere & in agris vomere sulcos & porcas inducere omnino iubeo, sed hortulũ seminare, vlmo virẽ cõiungere, arbores inserere, & ex syluestri domesticas facere, & propagines sepelire, quis nõ laudet? In his delectetur q vult beatam vitã deducere, nec doleat ꝙ filios coadiutores

tores non habeat, quoniam vt Guido nostri temporis grauissimus philosophus dicere cōsueuit: Incognita beatitudo est liberorum priuatio. Legat hos qui de agricultura scripserūt, Catonem, & Virgilium, & Grçcos, si linguam nouerit, Hesiodum & Democritum. Sciatq; quemadmodū Cato Primus in ea arte scripsit apud nos, & apud Græcos Hesiodus, noritq; Osirim vel (vt alij volunt) Triptolemū primum boues ad aratra iunxisse & stercorādi artem primò à Sterculo quodam repertam, cui Picus Romę templum constituit, nonnulli tamen fuisse Saturnum volunt. Discat etiā primum, qui vitem plātauerit, vinumq; collegerit fuisse non Bacchum quendam, vt perhibēt, sed Noë, vt Testamentū vetus asserit, & Lactātius approbat. Si hæc omnia cognouerit maiorem animi voluptatem sentiet, nec pudebit eū terram colere, de qua tot præclara virorū ingenia scripserunt. Sed exercitij partem optimam omisimus: nihil enim de studio literarum diximus quo nihil melius excogitari potest. Studeat itaq; vitæ beatæ diligens inquisitor, optimam sibi bibliothecam comparare, sacrosq; gentilesq; libros in ea recondat. Est

enim

enim(vt Augustinus in eo libro qui de Christiana doctrina inscribit, dicit)scientia sæcularis non solum nobis vtilissima, verumetiam necessaria propter tropos & figuras, quibus sacræ plenæ sunt historiæ. Sanctorum philosophorumq; vitam lectitet, & inquirat quæ nā fuerit illorum de vita beata sententia, studeatq; maximè Platonicos (quoniam plurima rectè sentiunt) imitari. Philosophiæ morali fiat familiaris, quæ trifariam diuiditur, in Polyticam, œconomicam & monasticam. Volumina tria M.T.Ciceronis quæ de officijs scripsit semper in manibus habeat, & studeat quæ legerit imitari. Legat historias, auctores nouerit omnes, quicquid legerit tenaciter memoria teneat, & quoniam(vt prædixi)opus est vt bibliothecam habeat, discat qui fuerint antiquorum, qui maximam librorum habuerunt copiam, & eorū æmulus efficiat. HADRIA. Sed qui fuerunt, qui maximam librorū habuerunt copiam? GIGO. Pisistratus Atheniensiū tyrannus primus apud Græcos bibliothecam condidit, quam Xerxes incensis Athenis vexit in Persas. Longo pòst tempore Seleucus Nicanor in Græciam reduxit. Postea Magnus

Alexan-

Alexander ad comparandos libros animũ intendit, & Philadelphus Pisistrati æmulus non solum gentiles, sed etiam diuinas literas scire voluit. Huius temporibus fuerunt in Alexandria septuaginta interpretes, qui vt Augustinus in eo libro, cui de doctrina Christiana titulus inscribitur, testamentũ vetus ita interpretati sunt, vt singuli in singulis cellis reclusi essent, & completo opere factum est, vt in vniuscuiusq; interpretatione non solum idẽ sensus, sed etiam eadẽ verba & eodem ordine posita reperta sint. HADRIA. Res auditu mirabilis: equidem credo cœlestem spiritũ mentibus eorum insedisse. GIGO. Tecum sentio. Qui primus librorum copiam Romam vexerit: Paulus Aemylius fuit, deuicto Perse, Macedonũ rege. Postea Lucullus è Pontica præda. Et post hos Iulius Cæsar Romanorum primus Imperator perpetuus summæ Bibliothecæ construendæ. M. Varroni prouinciam dedit. Primus autem Pollio, bibliothecas Græcas & Latinas Romæ publicauit, addens auctorum imagines. Et vt de Christianis dicam: Pamphilus Martyr, cuius vitam scripsit Eusebius Cæsariensis, in bibliotheca sua triginta vo-

ta voluminum milia collocauit. Dixi superius qui velit in hoc exercitio versari, debere quæ diximus agnoscere, quoniam ad studiū accenditur animus, studet ęmulari, & ad aliquid prę clarum excitatur. HADRIA. At non habere Bibliothecas omnes possunt. GIGO. Fateor, sed habentib⁹ studeant adhærere, & omne tempus quod in comparandis libris dandum erat, id omne in asidua lectione consumant: sic docti, sic illustres euadent, sic deniq; mens nostra in his liberalibus studijs occupata, via regia gradietur, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabit. HADRIA. Tetigisti quod iam diu multum dubitaui. Quid est via regia, & dextera & sinistra procedere. GIGO. Virtutes semper in medio constituuntur: vitia verò dextra & sinistra locantur: media via regia dicitur, quoniam is demū se regere nouit, qui via media perambulat, vt autem quod dicimus clarius elucescat, exemplum subijciam: vitium est nunq̄ ridere, nunquam hilarem vultū depromere, & qui huiusmodi fuerit rusticum, nominabo. Rusticitas igitur pro vitio reputatur, qui semper lasciuiat scurrā appellabo, quem vtiq; non laudo, quoniam vitiū est¦: quòd verò

rò medium iſtorum eſt aliquando mediocriter ridere, amicis & hoſpitibus lætam faciem exhibere, dignum laude iudico, quam rem qui ſciuerit obſeruare, Comis nominabitur, ipſa autem virtus comitas: igitur ſic conſtitui poterunt vt logicos imitemur.

Dextera.	Via regia.	Siniſtra.
Ruſticitas	Comitas	Scurrilitas.
Iracundia	Ira	Segnities.

Videſne qualiter via regia gradiendum ſit? Vt de ſcurrilitate diximus, ſic pariter de iracundia fas erit dicere. HADRIA. Habeo quæ dicis, & rectè quidem dixi neceſſarium eſſe caſtitatem curantibus exercitium: nam primo Græci, poſtea Romani pudicitiam colentes dixerunt. Dianamque caſtitati præerat nemora & ſaltus aſsiduis venationibus agitare, & corpus ſuum (vt noſter Paulus) in ſeruitutem redigere. Aduertebant enim neminem (vt prædiximus) ſine membrorum exercitatione poſſe diu illæſam cuſtodire virginitatem. Sed ſi placet iam de raro colloquio, quod quarto loco poſitum eſt, dicatur.

De taciturnitate.

GIGO.



Portet omninò, vt qui velit esse castus, casto sermone studeat vti. Sermo autem noster castus erit, si raro, si honestè, & cum bonis habeatur. Rarò dixi, quoniam difficilimum est linguam lubricam ita gubernare, quin si diu locuti fuerimus verbum aliquod imprudenter excidat, ex quo aliquod inhonestum oriatur in animo, & paulatim surrepat, & altiùs figat radices, vt difficile posſit amoueri: sed hoc magis periculo quàm ratione cognosci poteſt. Non sufficit vt sit sermo breuis, nisi fuerit honestate praeditus. Vnde Paulus noster, inquit: Corrumpunt bonos mores colloquia mala: quòd tamē à Græco Poëta translatum. Legimus nonnullos è nostris, qui vt silentium discerēt, & loqui dediscerent ore clauso, triennio lapidem gestauerunt. HADRIA. Miram constātiam hominum narras. GIGO. Si hæc tantoperè miraris quid de Socrate dices? qui ea constantia fuisse dicitur: vt perdius & pernox à summo lucis ortu, ad alterum orientem solem, in ijsdem vestigijs immobi-

mobilis,& oculis in eundem locũ ſemper defixis,cogitabundus ſtaret, quaſi quodam mentis ſeceſſu facto à corpore. Nihil eſt tam difficile quin fiat facile: vbi pigra & iners voluntas abfuerit. Debet non ſolum ſermo noſter breuis & honeſtus eſſe,ſed etiam cum bonis haberi. Vera enim eſt Prophetæ ſententia: Cum ſancto ſanctus eris,& cum peruerſo peruerteris. Cauenda eſt omninò malorum conſuetudo,& in aliquem locum ſemotum à turbis hominum ſecedendum, & in ſanctorum fratrum conuentu benè beateq; viuendum eſt: vbi omnibus,quæ ad Dei ſeruitutem pertinent,diligenter exactis,poſsit reliquum tempus in ſtudijs, quæ prædiximus, occupari. HADRIA. Ergo ſolitudinem vituperas,in qua primo Patres noſtri,ſcilicet Helias & Heliſeus:nec non Ioannes, cui Baptiſtæ Grçcum cognomen eſt, habitauerunt. GIGO. Nequaquam, ſed Eremum laudo, in qua dum Plinius ſecundus eſſet, dicebat ſe nihil audire quod audiuiſſe:nihil videre quod vidiſſe pœnituiſſet : verùm paulò periculoſiorem eſſe affirmo, & non niſi perfectis viris appetendam: Nam ſi ſis ſolus, velisq; quicquam turpe facere, neminem vereberis:

reberis: si cecideris, non est qui te subleuet. In Cœnobio autem & quem verearis, & quid tibi sit adiumento, ne cadas, & qui deniq; subleuet si cecideris, semper habere poteris. Vnde Hieronymus verè beatę vitę compos dicere solebat funiculum triplicem tardius rumpi. HADRIA. Habesne de Gentilium historijs quicquam quod proposito nostro de silentio congruat? GIGO. Habeo multa quæ narrare possem, sed præclarum illud Xenocratis habeo, is quum forte semel in multitudine iuuenum esset, qui vitas aliorum moresq; carperēt, solus tacebat, nec verbum quidem expressit, & percunctanti cuidam, cur tam diu taceret: respondit, se pęnituisse aliquando dixisse, tacuisse verò nunquam. Iste verò cum nostris, de quibus suprà mentionem feci, ritè concordat: qui idcirco taciturnitatem tanto studio obseruabāt, quia intelligebant, & cœlum sine castitate, & castitatem sine silentio comparari nō posse. O quā recta in intelligentia gubernātur, hi profectò habiti sunt digni qui cœlum colerent, quia mundi ab omni terrena labe reperti sunt. Imponendus est igitur ori nostro quidā mod', ne quicquam plus quam sit necesse loquamur.

De

De Continentia sensuum.



Astitatis firmissimum munimẽ est exteriores cohibere sensus: nam quicquid aures capiũt, quicquid tactus, cęteriq́; sensus accipiunt, confestim cordi tanquam omnium principi nunciant, in quo est omnis nostra reposita salus. Quare Propheta deprecabatur, dicẽs: Auerte oculos tuos, ne videant vanitatẽ. Timebat enim ne si oculi aliquid vani conspexissent, & intrinsec⁹ attulissent mẽs ipsa macularet, quãdecet esse niue candidiorẽ. Et qa quinq; sunt sensus, longũ esset vnũquenque tractare, sed quæcũq; de vno horum dicentur, eadẽ de cæteris dici intelligant, quicqd de visu tactuq́; dicem⁹, de auditu pariter & odore & sapore percipias. Conuenit igitur visum, auditum, & tactum, & cæteros prudenter, & cum virtute gubernari, q nobis à Deo cõcessi sunt, vt diuina audiam⁹ & videamus, & vt visa & audita in secessu mẽtis arcano reponam⁹, & reposita nõ tanq̃ mortua teneamus, sed vt diligẽter operemur. Et si fortè quẽ videris ignorantem, debebis eum docere quæ scieueris: Nam, vt inquit Augustin⁹, si noueris aliquid, nec velis id

alicui monstrare: nondum cognoscis quo pacto cognoscendũ est. Nihil audiendum est, nisi quod iustum & sanctum sit, & immortalis Dei laudem resonet. Non adhibendæ sunt aures quibusdam assentationum lenocinijs, quibus maximè solent capi homines, dum se tantummodo extrinsecus inquirunt, & dum magis aliorũ verbis quàm sibimet ipsis de se credunt. Si autem contigerit hoc pacto laudari, carmen illud Horatij memoria teneamus: scilicet,

Nec te decipiant animi sub vulpe latentes.

Et item illud Catulli:

Nos aliò mentes, aliò conuertimus aures.

Sed quid de odore dicam, cùm etiam in Satyra Iuuenalis delicatus, & odoribus plenus iuuenis à meretrice reprehendatur. Ait enim illa: Vnde

Hæc emis hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.

De tactu quid loquar nescio: non enim potest præ magnitudine sceleris enarrari, nec quicquam est quod magis animam coinquinet & inficiat: Nota est Architæ Tarentini sententia: dicebat enim fœdius, & nihil periculosius mentibus humanis à natura datum, quàm voluptatem.

ptatem. Hinc rerũ publicarum ſubuerſiones, hinc tacita cum hoſte colloquia,& omnia praua conſilia profluêre non mentiebatur. Sunt igitur ſenſus omnes pręcipua cura coërcendi, per quos tanquam per feneſtras aſcendit mors ad animam. Nec præclarum illud Sophoclis exemplum ſilentio prætereundum puto, qui ſciſcitatus à quodam an Venere vteretur? Dij meliora velint, inquit, libenter enim iſtuc tam quam ab aliqua furioſa dominatione ſemper fugi, ſed hîc ſapienter reſpondit. Xenocrates verò ſapientius egit: Nam dum propter continentiam ſenſuum apud omnes admirabilis eſſet, eius diſcipuli tentare voluerunt, ſi talem in animo continentiam haberet, qualem monſtrabat extrinſecus. Facto itaq; ſplendido conuiuio, præceptorem ſuum conuocarunt, nec alia cauſa, niſi vt rationis eius vires largis ſuauioribusq; potationibus opprimerent, quod vbi factum putauerũt in lecto ſtrato molliter eum collocãt, moxq; Phyrnen ſcortum nobile in cubile introduxerunt, & ſolus cum ſola relinquitur. O ratio fœdiſsimæ libidinis nobile propugnaculum, nunc quid tua poſsit virtus, explicaſti, percipite adoleſcentes, audite

iuuenes, aures exhibete viri, & ſenes rationis expertes. Vir multo vino madidus, in mollib' plumis cum meretrice iacet, remotis omnibus arbitris, carnis incendia ſtimulant, ſed quia cognoſcebat, nihil peius, nihil turpius, & nihil quod ab immortali Deo grauius puniatur, nequaquam flectitur, ſed more ſcopuli, qui inter fluctus natura fundatur, & vndarũ frequentium colliſione vapulat, nec mouetur, inconcuſſus manſit & immobilis. HADRIA. Miræ virtutis hominem narraſti, qui ea conſtantia fuiſſe mihi videtur, quæ etiam in martyre poſſet admirari. GIGO. Poteſt etiam Periclis exemplum prædictis adiungi, qui Sophocli collegæ ſuo Poëtæ tragico ingenui pueri prætereuntis formam laudanti increpans dixit: Hominis manus non ſolum à pecuniæ lucro, ſed etiam oculos à libidinoſo aſpectu cõtinentes eſſe debere. Quid tibi Spurinam commemorem, qui non ſolum ſenſus continuit, ſed etiam ne forma ſua poſſet alicui ſenſus imprudẽter gubernanti nocere prouidit. Dum enim intelligeret eximium decorem ſuũ tanquam libidinis irritamentum multis obeſſe, correpto cultro, nares, labia, ſupercilia, mentum,
ge-

genasq́; cecidit, qui quia paganus & gentilis erat, maiori admiratione prosequendus est. Studeamus igitur forti inuictoq́; animi robore sensus nostros sic continere, vt per eos nil nisi quod nobis immortalis vitæ spem repromittat exerceamus. Veniendum nunc est ad præmij futuri considerationem.

De præmij futuri consideratione.

Equidem fili Hadriane libidinis continentia non parũ laboris & sudoris præ se ferre videtur, præsertim in adolescẽte. Quam rem animaduertens ille rerum conditor, immortalis Deus, magnitudinẽ laboris copiosa mercede pẽsauit. Si grauis est labor, tanto maius est pręmiũ. Fortior miles, & qui periculosiora in belli feruore pertulerit præcipuo quodam pręter cæteros coronæ præmio donari cõsueuit. Tanta sunt pręmia quæ virginitati debentur, vt si pro eis acquirendis quisq; nostrũ sub Aethnæ specu ardentissimo Nestoris annos & ætatẽ Sybillæ duplicatã vixisset, nondũ tantillã partem meruisset. Quoniã pretio sedes immortalis omnis expers mœroris & tri-

&tristitiæ,omni plena iucunditate,omni priuata caligine, omni referta lumine comparari posset, in qua iam factus immortalis fabricatorem mũdi huius, qui mirabili quadam prouidentia cuncta gubernat, posses asiduè contemplari.Sed foret satiùs nihil quàm pauca de cœlestibus loqui,quorum minimam portiunculam Paulus agnoscẽs vociferabat: Quis separabit nos à charitate Dei? gladiúsne, an fames,an omnia quæ possunt excogitari tormenta? O Paule quid si perfectè integreq; cognouisses, pro quibus crucem Petrus, violentam pellis detractionẽ Barptolomeus, lapidũ sæuisimos ictus Stephanus, & alij innumerabiles perpesi sunt, portaturi etiam pro patria cœlesti maiora & grauiora si potuissent. Tanta sunt igitur virginitatis prẹmia futura,quanta ex prædictis comprehendere potuisti. Sed quid inquam comprehendere potuisti,cùm nostra cognitio tanta non sit, vt ad contemplandùm minimum, quid illorum se posit erigere? Audi quæso,quanta sit ea,quæ nec ipsi qui viderunt exprimere possunt. Aurelius Augustinus in se totus contractus,fortè semel cogitabat, quænam essent cœlestia gaudia,vt pos-

ſet mandare litteris, & prodeſſe venturæ poſteritati: & dum arctius mentis neruos collegiſſet in vnum, ecce repentè fugatis tenebris (erat enim tunc mediæ noctis conticinium) mirabile lumen emicuit, mirantiq; Auguſtino & quęrenti quiſnam eſſet, ſe Hieronymum eſſe reſpondit: qui paulò antè corporis ergaſtulo ſolutus, ad patriam migrauerat, & hæc verba adiecit. Potius, Auguſtinus, totum pelagus paruo vaſculo concludes, potius orbem terrarum pugillo comprehendes, quàm poſſis cœleſtium gaudiorum minimum quid inueſtigare, niſi vt ego nunc: ſic & tu olim periculum feceris: & mox ex oculis euanuit. Et vt etiam de paganis mentionem faciam, nonne quàm plurimi eorum vt immortales fierent, ſponte ſibi manus intulerunt. Nonne Zeno, Cleantes, Chryſippus & Cato ſe proprijs manibus necauerunt, vt in cœlum migrarent? Præterea nonne Empedocles in ardentiſsimum Aethnæ ſpecũ intempeſta ſe nocte proiecit, vt ciues tranſiret ad ſuperos. Quòd ſi tanta erat in illis beatæ vitæ cupiditas, vt nec vitæ ſuæ parcerent, quantò magis noſipſi, vt eam aſſequamur, breues quaſdam delectatio-

nes

nes effugiemus,& corpora noſtra ſtudijs aſperioribus conſuefaciemus, vt poſsimus omne certamen ſuſtinere viriliter.

De diuino auxilio.



Is habitis, poterimus integram ſeruare virginitatem, ſi tantùm res vna ſuper addita fuerit, hoc eſt, auxilium diuinũ: neq; enim quicquã niſi Deo propitio rectè fieri poteſt, quod ipſe, dum adhuc in terris vitam ageret, teſtatus eſt his verbis: Sine me nihil finire poteſtis. Omnium rerũ Deo tribuendus eſt honor, ſed hoc auxilium facillimè conſequetur, qui cętera quæ prędixi firmo propoſito retinuerit. Nec mos iſte diuini auxilij inuocandi apud nos obſeruatur ſolum, ſed etiam veteres Grçcorum, Latinorumq; Poëtæ tenuerunt: vnde ſemper in librorum exordijs numinis alicuius fauorem implorant, quò cætera poſsint commodius adimplere. Orandus eſt itaq; Deus, vt nobis ſit auxilio, quod facilè impetrabimus, ſi orationi noſtræ conditiones duas addiderimus, ieiunium ſcilicet & eleemoſynam: & ſi hęc duo cum humilitate condiuerimus. HADRIA. Eſt ne, vt aiunt, tam robu-

ſtæ

stæ virtutis humilitas? GIGO. Nemo est qui nesciat dæmonis superbiam nostra humilitate superari. Meminerunt sacræ litteræ, quòd dum Macharius apud Paludem quandam solus obambularet, humani generis inimicum, curua falce armatum longè venientem prospexit, & cùm sibi falce minitantem (quum iam accessisset propiùs) aspiceret, nec tamen obesse posset, cur hoc accideret interrogauit, cui ille furibundus, sola inquit humilitas in te est homuncule, quæ te hodie fato subtraxit: sed caue sis non impunè feres. Videsne quo pacto vicerit dæmonis superbiam. Item memoriæ proditum est, quòd dum Antonius solitudinis incola supra se mente raptus esset, orbem terrarum connexis inuicem intricatisq; laqueis plenum vidit, quare dolens & humanam miseriam (vt sui moris erat) grauiter ingemiscens tractis ex imo pectore suspirijs: Heu, heu inquit, pater omnipotens, quis tot laqueos euadere poterit? Et ecce vox ab incerto auctore prolata, non tamen humana sic semel intonuit, Humilitas. Nec amplius quã semel audita est, ac si manifestè significaret solam humilitatem posse huius Mundi laqueos, & in-

& insidias effugere, quæ cùm ita sint, studebimus ei familiares fieri. Sed de castitate dispu- tasse, iam satis videor: reliquum est vt ad contemptum mundi stilum conuertamus, quod equidem breuiter expediam: quoniam iacto iam castitatis fundamento, quasi sua sponte mundi contemptus consequitur. Mundi contemptum si memini suprà commemoraui non solùm esse vtilem ad acquirendam quæ à nobis quæritur iustitiam: sed etiam necessarium, ita, vt sine eo nil fieri posit, latè probauimus. Nunc quomodo posit inueniri succinctè dicendum est. Eum igitur obtinebimus, si tria diligenter nobis intellecta fuerint, scilicet instabilitas, insatietas & sollicitudo.

De instabilitate diuitiarum.

DE diuitiarum instabilitate multa dicere velle superuacaneum videtur, quum non modò antiquis & veteribus, sed etiam quotidianis & domesticis exemplis abundemus. Nemo est qui nesciat vulgatam illam sententiam. Fortuna nil cuiquam donat, sed mutuò dat, vt posit idem cùm libuerit,

iterum

iterum auferre: sed nos dementes quàm diu posſidemus, quod fuerit nobis mutuo datum in proprium vſum conuertimus, nobisq́; vſurpamus, quòd quum fortuna animaduertit, grauiter ferens quod dederat adimit: aliusq́; largitur, & quantò nobis indulgentior fuerat, tantò moleſtior efficitur. Fortunam enim dicebant veteres cũcta gubernare, & eius nutu cuncta diſponi, & idcircô pingentes eam, ſimulacro eius regimen attribuebant, copiamq́; adiungebant: quoniam ipſa eſſe putabatur, quæ fruges omnes parturibat: & vt ipſis videbatur diſtribuebat, ſed nos fortunã neſcientes, quicquid fieri videbimus, ab immortali Deo fieri putamus. Sed vt dicimus non permanent hæc bona, ſed ſubitò affluunt, ſubitò dilabuntur, nec ſtabilitatem habent: quæ nec appellanda bona Tullius exiſtimat. Nouerat hoc Seneca Poëta tragicus, quòd ipſe teſtatur in Oedipo dicens: Quem dies vidit veniens ſuperbum, Hunc dies vidit veniens iacentem. Quot reges, quot principes, quot etiam priuatæ vitæ homines videmus, qui auro, argento, ſignis, tabulis, cæterisq́; opibus abundant. & paulò poſt ſæuiente Fortuna nihil horum habentes

aſpicimus. Videſne quot Græcorum olim potentiſsimi principes, nunc autem ab infeſtiſsimo Turchorum Duce propulſi ſedibus incertis victum veſtitumq; mendicantes euagẽtur: qui ſi à principio vitæ diuitiarum inſtabilitatem cognouiſſent, eis hoc non accidiſſet: nam nec in fragilibus bonis ſpẽ vllam poſuiſſent, nec ſe in ſuperbiam pueriliter erexiſſent: ſed præceſſorem ſuum ſapientem illum Biantem ſtuduiſſent imitari. Cuius quũ patriam cæpiſſent hoſtes, cæteriq; ita fugerent, vt multa de ſuis rebus ſecum aſportarent, cùm eſſet monitus à quodam, vt idem & ipſe faceret: ego, inquit, omnia mea mecum porto. Nec non Marcum Curium Romanorum Ducem, qui cùm vidiſſet ad ſe veniſſe Samnitum legatos, auri magnum pondus afferentes, ſubridens dixit: Ite, & Samnitibus nunciate, Marcum Curium malle diuitibus imperare, quàm ſe fieri locupletem. Non ignorabat enim quam vana diuitiarum poſſeſsio, quod etiam Epicurus, qui ſummum bonum in voluptate ponebat facilè confitebatur. Non eſt igitur huiuſmodi bonis fides adhibenda, nec patiendum nobis quotidie tam turpiter illudi.

De

De insatiabilitate diuitiarum.

DIc queso, audistine vnquam mortalium quenquam, qui sibi satis diuitiarum diceret esse? HAD. Audiui quidem qui hoc diceret, qui verò sic putaret vidi neminem. GIGO. Rectiùs inquis, nam sępius aliter quàm sentiunt loquuntur: nec mirum est si nequit animus istis saturari, quum nec finitis impleri poſsint infinita, quod vel maximè illo exemplo probari poteſt. Alexander Philippi Macędonis filius, quum audiuisset ex auctoritate Democriti Philosophi plures esse mundos: Heu me, inquit, miserum, quòd nec adhuc vno potitus sum. Qui nec toto mundo satiabatur, quod amplius erat appetendũ, nisi cũ cœlicolis noua mouere certamina? quare Satyrici nostri veriſsimo carmine concludendũ est:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

De sollicitudine diuitiarum.

EXistimabant nõnulli veterũ summam libertatem esse diuitijs abundare, & eum demum liberum esse putabant, qui posset vno anno Romanorum exercitum pascere: verùm ego huiusmodi hominem non

modò non liberum dixerim, sed nec libertati vicinum. Sunt enim in opibus anxiæ sollicitudines, quæ ante tempus senectutem adducunt, & animum nostrum sic afficiunt, vt suiipsius obliuiscatur, & à recti certiq; iudicij cognitione recedat. Audistine vnquam Senecam clamantem: venenum in auro sumi, non autem in vasis fictilibus. Et reges sui lateris ensem timere? Audistine Prophetam dicentem? Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Audistine præterea quod passim recitari solet exemplum? Aiunt enim quendam regem, dum sibi oblatū à populo diadema videret, priusquam sumeret, diu considerasse ac demum dixisse: O nobilem magis quàm fœlicem pannum, quem si quis agnoscat quàm multis angustijs & sollicitudinibus refertus sit, ne humi quidem iacentem tolleret. Sed vt tibi de modernis aliquid loquar: Vir erat Florentiæ prædiues, equestris ordinis, apud cuius ædes cerdo quidam exercendam sutrinæ gratia paruulam scęnam ex contextis tabulis erexerat: Quum is igitur nihil aliud haberet præter quod labore quotidiano sic quæritabat, & nunquam nisi læto animo, & serena facie videretur: prædi-

ues ille, cuius suprà memini, satis admirari nõ poterat. Tentare itaque voluit, esse ne verum quod sæpius audiuerat, diuitias scilicet, sollicitudinem parere, sumptumq; graue pondus auri intempesta nocte per fenestram in cubiculum eius tacitè proiecit. Manè autem surgens cerdo proiectum aurum, curarum radicem, repperit quod vbi cognouit paupertatem suã, miseratum dominum existimans, repētè corripuit, cœpitq; dubia mente versare quid potissimum ex hoc faciendum esset: nesciebat enim an celandum, an alicui ex amicis aperiendum esset. Si tacuisset, dicebat non posse quicquam sine consilio rectè ministrari: si verò dixisset, timebat ne fortè aliqua arte sibi surriperetur. Hinc profundæ cogitationes, hinc curarum immensus cumulus exoritur, tãdem quid faciat nescit, tristi vultu, coniecto supercilio, & ægro animo cogitabundus raro procedebat in publicum. Quare compertum est in diuitijs esse tristitiam, mœrorem, angustias, & sollicitudines innumerabiles, quo fit vt ausim dicere, illas tanquam malum proijciendas, quo facilius ad iustitiam pertingere possimus, & de his hactenus. Postquam duos gradus ascen-

dimus: Pudicitiam ſcilicet & mundi contemptum, tandem ad ipſam iuſtitiam deuenimus, in qua ego vitam beatam colloco. Nihil enim eſt aliud beatè viuere, vt Marco Tullio placet, niſi rectè viuere, in quo nihil deeſt ad beatè viuendum. Et qnoniam quid ſit ipſa iuſtitia ſuperius ſatis liquidè monſtrauimus, honeſtiſsimæ voluntati tuæ ſatisfeciſſe me puto. HADRIA. Profectò ita abunde mihi ſatisfactum eſt, vt videre videar ipſam vitam beatam digitis manuq; cõtingere, nec deſpero quin ad eam peruenire poſsim, ſed tamẽ reſtat adhuc vnum quod intactum nequaquam præteriri debet. Sunt pleriq; qui exiſtimãt litteras ſacras, quia incultæ ſunt paruifaciendas, & præcipuè hi, qui aliquid eloquentiæ guſtauerunt; & quia quicquid diximus in eis radicitus fixũ eſt, non alienum videbitur, ſi paulò vlterius progreſsi fuerimus, & aliqua firmiſsima fidei noſtrę adiumenta numerauerimus. Poſthæc non inconueniens erit, ſi quædam quæ ex prędictis concepi dubia, paulò accuratius enucleaueris: Sed quia iam medio curſu tranſacto pręcipiti curru ſol vergit ad Oceanum; rogo te pater, vt (dum-

(dummodò dilucidè) quam breuissimè fieri possit dicas. GIG. Dicis esse plerosq;, qui dicãt sacras litteras flocci pendẽdas, q̃a sunt simpliciter, & sine vlla facundia prolatæ. Primò igitur diuinæ legis simplicitas damnanda non est: sic exprimi omninò debuit, partim quia per se verax est, nec indiget aliquo fuco orationis ad probandum, res enim veritate prædita simpliciter enuncianda est: res verò ficta quædam figmenta & colores postulat, quibus verisimilis appareat: partim, quia illa quæ sunt in communi necessaria, communi sunt sermone dicenda. Vnde cautum est vt syngraphæ quibus rei citantur in iudicium communi sermone scribantur, vt possint etiam ab indoctis saltem sub nube intelligi: scribuntur etiam eo stilo causæ, & cætera quæ in foro iudiciali tranctantur. Quòd verò dicis esse sine facundia prolatas, non planè assentior huic sententiæ. Quare duplicem esse facundiam volo, verborum scilicet & sententiarum, iuuenum scilicet & senum, feruentis scilicet & maturæ ætatis. Iuuenum facundia, in quo versatur, nisi in quibusdam politis, & excultis dictionibus,

quæ nihil aliud in se habent, nisi ventosum tumorem & resonantiam, quæ solet imperitorum aures demulcere? Hac eloquentia nonnulli hac tempestate (qui si non sunt omninò boni, videntur tamen) frequentius vtuntur, & imperiti vulgi in se ora conuertunt, de quorum facunda lepidissimum illud Augustini dici posset. Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit. Sequuntur hanc nostri eneruati Poëtæ, & istius temporis semioratores. Nihil aliud est hæc quam prædixi facundia nisi nauis in medio pelagi constituta priuata regimine, nisi corpus sine anima, nisi organum auro, argentoq; celatum, sine animante spiritu: & deniq; nihil aliud, quàm equus sessoris impatiens, fræno omniq; vinculo expeditus, quo fit vt nullis vnquam vtilitati fuerit, nocumento autem plerisq;. Altera verò facundia sententiarum graui, maturoq; passu graditur, quæ sapientia vocatur, eam qui habet sapiēs dicitur. Hæc nihil effatur, nisi quod prius excusum, ponderatum, cribratum, & acie mentis examinatum fuerit. Hęc si quid dicit quod cuiquam displiceat, nil tamen quod noceat, tantoq; sapientior est, quantùm non fauo-

fauorem populi, sed verum rectumq; sequatur. Hęc sine prima plurimum, prima verò sine hac nihil omninò potest. Hæc animæ, illa corporis vicem gerit: hæc animans, illa animatum. Sicut igitur potest anima sine adminiculo corporis viuere: sic etiam ista, quam voco sapientiam, sine facundia vires suas explicare potest. Fuit igitur in sanctarum literarum auctoribus hæc eloquentia præcipuè, sed nec omninò prima defuit, quàm non multo sudore & labore quemadmodū alteram quæsiuerunt, sed tanquam vltro se offerentem, & sponte sua sequentem acceperunt. Hæc est illa facundia, qua vsi sunt apud Græcos Philosophorum Principes, Plato, Theophrastus, Aristoteles, & plæriq; alij, qui more Catonis malebant esse quàm videri. Quòd igitur dicunt litteras nostras esse simplices, concedim' quidem primos parētes nostros sic loquutos fuisse, quasi fundamentum iacientes: si verò aduerterimus quid super illo ædificatum sit, inueniemus parietes auro, argentoq; cælatos, & omni genere preciosi lapidis exornatos. Primò itaq; Apostolos silentio præteriens tanquam omnibus cognitos de Græcis Christia-

nis mentionem faciam.Fuit Origenes qui Cel ſo:Methodius Euſebius & Apollinaris, qui Porphyrio hæretico reſponderunt. Origenes octo libris. Methodius decem milibus verſuum. Euſebius quinq; & viginti. Apollinaris triginta voluminibus.Quadratus Apoſtolorum diſcipulus Athenienſis eccleſiæ Pontifex,Hadriano principi Eleuſinę,ſacra viſenti librum pro noſtra religione tradidit, cui tanta inerat iucunditas, ſermonisq; feſtiuitas, vt illius excelſens ingenium, ſicut Hieronymus affirmat,grauiſsimam Imperatoris perſecutionem extingueret. Eidem Hadriano doctiſsimus Philoſophus, Ariſto pro Chriſtianis tradidit apologeticum. Quid tibi iuſtum Militonem Sardenſem Epiſcopũ:Apollinarem,Hieroſolymitanæ eccleſię presbyterum,quid Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum,qui ſcripſit quibus philoſophorum ſententijs deſcenderit hæreſis Origenis,quid deniq; tibi Panthenum commemorem, qui ob præcipuam doctrinam prædicaturus ad Indiæ philoſophos miſſus eſt. Adiungam etiam Clementem , Milciatem , Iulium Affricanum, Theodorum,Dionyſium,Alexandrinum Epi

ſcopum, Anatholium Pamphilium, Lucianum Malchionem, Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum, Euſtachium, Athanaſium, magnum Baſilium, & infinitos alios, quos longum eſſet numerare. Veniam ad Latinos, Tertulianus Apologeticum ſcripſit. Minutius Fœlix contra Mathematicos. Arnobius ſeptem libros contra Gentes, & eius diſcipulus Lactantius totidem contra Gentes, edidit etiam de ira Dei, de opificio diuino libellos duos, nec non & epiſtolarum carminumq́; volumina plurima. Item Victorinus, Cyprianns, Boetius, & Hilarius, qui ſcripſit librum contra Dioſcorum Medicum. Iuuencus ſub Imperatore Conſtantino Saluatoris hiſto riam verſibus explicauit. Quid verò Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius & Hieronymus fecerũt, in omniũ manibus eſt. Iſti omnes Græci pariter & Latini, quos hactenus numerauimus, ita ſapientiam cum eloquentia iunxerũt, vt eorum ſcripta legendo, quid inter eos & Tullium & Demoſthenem interſit, diſcernere neſcias. Nec mireris ſi ſuperiùs dixerim, verborum facundiam fugiendam eſſe, nunc verò dicam, & in noſtris eam fuiſſe: ſic enim capi-

capiendum eſt, vt facundia ſine gubernatrice ſapientia vana ſit, ſapientiæ verò copulata nō ſit aſpernenda. Vnde M. T. Cicero, Romani eloquij Princeps, ad Herennium inquit: Non parum fructus in ſe habere copiam dicendi, & commoditatem orationis, ſi recta intelligentia & diffinita animi moderatione gubernetur. Quo fit etiam vt Quintilianus Oratorem diffiniens dixerit, oportet eum eſſe virum bonum dicendi peritum. Primò vult eſſe in Oratore bonitatem, quoniam quæ magis ſunt neceſſaria, in primis ſunt inueſtiganda, & vt paulò audaciùs loquar, ſi quis vir bonus fuerit, quamuis ea tam exquiſita dicendi peritia careat, modò impetret quod vult oratorem nominabo: nam finis oratoris eſt ad perſuaſionem dicere, prǫterea non minus victor appellabitur, qui vicerit hoſtem, ſi ferreis armis vſus ſit, quàm aureis munitus fuiſſet: nec ianua minus aperta dicetur quæ claui ferrea, quàm quæ argentea fuerit patefacta, nec minus victor appellabitur equus macilentus, quā pinguis & obeſus: modò ante alios metam tetigerit. Habet igitur Chriſtiana fides veteris noniq; Teſtamenti oratores excellentiſsimos,
qui-

quibus armata non dubitat cum Gentilium ætate certare. HADRIA. Habeo quæ dicis, & miror quòd hæc omnia tam breui tamq; dilucido verborum ambitu disseruisti: & gaudeo, quia quod nesciebam didici. Sed quum superius de vita beata disputaremus, vnum mihi resistit, de quo nunc à te certior fieri vellem, scilicet, possit ne vita beata in diuitijs reperiri, & si fortè possit, in quibus potius an in pauperibus, an in diuitibus. GIGO. Hæc sanè beatitudo inter omnes homines, tam pauperes quàm diuites inueniri potest. Deus enim vult omnes fieri beatos. Diues, qui multis affluit diuitijs beatus fiet, si fortunarum suarum non solum possessorem, sed etiam se cognoscat esse dispensatorem, rem familiarem integrè sanctèq; gubernet, nec plus, nec minus quàm cuiusq; necessitas postulat efficiens, sed præter cætera pauperum non obliuiscatur, quibus si quis in vita subuenerit, qui sibi subueniat dũ mortuus fuerit non indigebit: sic per foramen acus omni onere reciso Camelus intrare poterit, si gracilem politum & expeditum se reddiderit: sed hæc via quia laboriosa, min⁹ quidem trita est, paucique in numero diuitum reperi-

periri solet, qui possint ad beatitudinem peruenire. Igitur paupertas est potior quod facile concedes, si quid in illa mali, & quid in hac boni sit ostenderimus. Magna rerum copia, magnus curarum aceruus diuitiæ, non sine magno sudore acquiruntur: aliquando dum quęruntur, amittuntur, nonnunquam possessores fugiunt, vt collecta mente Deo seruiant, præcepta seruare videant. Huius autem vitæ sunt qui ab Eremo Eremitæ, & à Cœnobio Cœnobitæ dicuntur. Illi primum Baptistam, isti verò duodecim sapientes imitantur, illorum syluestris, horum domestica vita. Cœnobitarum multitudo in tribus quatuor distribuitur. Prima Carmelitarum. Secunda illorum qui vulgò dicuntur Eremitæ. Tertia Prædicatorum. Quarta verò Minorum. Prima Heliam. Secunda Augustinum. Tertia Dominicū. Quarta Franciscum habent auctorem. HADRIA. Qui sunt quos tu superius duodecim sapientes appellasti? GIGO. Si olim Græci septem viros sapientia præditos, septem sapientes nominabant: Quis Apostolos sapientiæ nostræ fundatores, duodecim sapientes nuncupare nos prohibebit? HADRIA. Quoniam nos in Car-

Carmelitarum tribu numeramur, dic, quæ nostra fuerit origo.

De origine Carmelitarum.

GIGO.

INter Armeniam & Euphratem iacet Syria, cuius pars est regio quam Palęstinam dicunt, cui Iudæa quoq; subiacet, à Iuda quodam Israelis filio, vt Trogus Pompeius auctor est, sic appellata. In medio Iudææ tanquam vmbelicus posita sedet Hierusalem. A qua non longo interuallo distare perhibetur, mons quidam non minus iucundus quàm amœnus, cui nomen est Carmelo. In quem quoniam gratissimam præstat incolis habitationem, & quia ab omni hominum strepitu paulò semotior est, nonnulli è circunstantibus Vrbibus antiquitus secedebant, vt omne vitæ curriculum optimo, summoq́ue DEO prudenter, sapienterq́ue dicarent: & hi quidem Prophetarum filij dicebantur. Appellabantur enim olim Prophetæ, qui scirent multò ante futu-

futura prædicere, quos modò nos à vaticinando Vates appellamus, inter quos Helias præter cæteros emicuit, velut inter ignes luna minores: fuit enim Prophetarum primus, qui se à matrimonio contineret. Is in prædicti montis radicibus sibi construxit habitaculũ, quòd non solum paupertatem, verumetiam mirabilem præ se ferebat habitantis humilitatem. Erat etiam ibidem locus in amphitheatri modum extructus cellulis seriatim positis, & in viuo saxo vel arte, vel natura cauatis vndiq; circunseptus. In summo autem montis vertice procul aspicientibus, superba se monstrat habitatio, ad quam gradibus hinc illincq; in monte excisis, paulò laboriosius ascenditur, nonnulli ex nostris in ora nauigantes, & montem omnem, & rura vicina, cum freto & fluminibus in tabellis pinxerunt, pictaq; ad nostras oras adduxerunt, quæ dum nonnunquam contemplor, videor mihi in illis rupium cauernis cum nostris viuere patribus. Hîc ita vixit Helias, qui postquam igneo curru raptus è terris, Heliseus eius discipulus non solum loci, sed etiam virtutis eius remansit dignissimus hæres. Crescente paulatim multitudine

non Platonicorum, non Peripateticorum, ſed ſanctorum hominum, noua ſecta conſtituitur. Appropinquante interim nouiſsimo ſæculo, Dei filius genus humanum reformaturus ſub virili ſpecie deſcendit in terras, quam rem audientes Carmeli montis incolæ, erat enim penè per totum orbem fama diffuſa, maximas immortali Deo gratias egerunt: quoniã quem toto tempore expectauerant, tandem miſiſſet: nam diuino ſpiritu præmoniti Chriſtum ſemel venturum certiſsimè ſciebant. Pluribus annis euolutis Baſilicam, vt potuerunt, humilem conſtruxerunt, & magni ſaluatoris matri dedicauerunt, iam enim ipſa è terris ſublata, cœleſtem migrauerat ad patriam, & vnanimes ei diuinos, tenues tamen, quotidie reddebant honores: reddituri maiores ſi potuiſſent, magis piè quàm magnificè colebant. Iam mutata erat in baptiſmum circunciſio. Et ecce magno armorum impetu Barbari prorumpentes, & Hieruſalem & omnia vicina loca ferro, flammaq́; vaſtauerunt, & plurimi Carmelitarum gladijs cæſi ſunt: pauci verò, qui tantæ cladi ſuperfuerunt, nauibus auecti, in Gallias venerunt, qui procedente tempore,

ſeu propter loci mutationem, ſeu propter malorum conſuetudinem, vt fit, cœperunt paululum langueſcere. Inter quos Thomas quidam Gallus, qui priſtinum feruorem adhuc in pectore fouebat, cum paucis in Italiam ſe contulit. Sic enim Deo viſum eſt, vt ea regio quæ cæteris omni munere præſtat hoc etiam virorum haberet ornamentum. Turpe nanq; quum res vlla tantũ vno indiget ad perfectionẽ, id non addere ſi poſsis vt perfecta ſit. Verùm non ſolum Italiæ, ſed etiã viro ſanctoDeus ipſe conſuluit: illi enim dedit cuius vitã poſſet imitari; iſti verò purpurei diadema martyrij. Nam dum benè beatéque viuere, à quibuſdam inuidis apud ſummum pontificem capitis accerſitur, & poſt carcerem, poſt tormenta, poſt cruciatus: tandem quũ nihil damnabile reperijſſent grauius inueſtigantes, quod iure non potuerunt iniuria perficere fortiter accinguntur, & comburendum ſcelerato rogo commiſerũt. At quò prorumpis efferate liuor? Videbasne candidiſsimum eius amphibalum, quo vt nos vtebatur puræ conſcientiæ teſtimonium eſſe? Quod ſi non vt hominem verebare ſaltem vt magnæ matris militem veritus eſſes. Sed tamẽ illum

illum non occidisti, nec enim anima potuit extingui, sed illius terrenum corpus violando fecisti, vt citius vita donaretur æterna. Huius flammas non Sceuolę rogo, sed Laurentij posse comparari non dubito: dicãt qui velint, obstrepant, clamitent & insaniant: ille summo viuit Olympo. HADRIA. Narrasti triste facinus ipsis, qui intulerunt diu multúmque deplorandum, & qui posset malefactoribus delicti veniam impetrare alius Thomas non superfuit. GIGO. Sed multa de hoc viro, multa etiam de prædictis fratribus silentio præterii, non enim quo pacto ipsi à monte quem incoluerunt, & ab ecclesia quã confecerunt, cognomẽ acceperũt, dixi, scilicet vt fratres beatæ Marię montis Carmeli nuncupati sint, nec vt eorũ priuilegia ab Alberto Hierosolimorum patriarcha condita, & ab Innocẽtio Quarto Pontifice comprobata fuerint, sed hęc alio tẽpore dicenda reseruo. Hæc ad p̃sens habui, quæ de Vita beata dicerem, qua muniti, vtinam ad illam immortalem gloriam olim peruenire posśimus:

FINIS DIALOGI.

BAPTISTAE MANTVANI

AVGVSTINI DATHI SENENSIS, DE VITA BEATA LIbellus:

Qui quia superiori consonus est, in gratiam studiosorum eum adiecimus.



Onstat neminem posse beatè viuere, qui idem non bene & cum virtute viuat. Quid enim beatitudo sit aliud quã perfectio quędam vitæ, & (quod dici solet) status quispiam bonorum omnium complexione cumulatus? Sed vera boni ratio (quod omnibus sapientibus viris exploratissimum est) potissimum in virtute consistit, vt quum ab ea discesseris, beatam vitam inuenire nusquam possis. Verùm hac ipsa de re non eadem omnes senserunt Philosophi, atque aliter de beatitudine Stoici locuti sunt: aliter Peripatetici atque Academici illi veteres. Hæ enim imprimis disciplinæ stabilitatis aliquid habuisse putantur. Et Stoici quidem, qui nihil bonum iudicarent, præterquam quod honestum

ſtum eſſet, ſola virtute beatitudinem menſi ſunt, cùm nec corporis, nec fortunæ commoda in bonis expetendisue rebus annumerauerint. Peripatetici verò, à quibus non ferè diſſident Academici veteres, virtute conſtare beatam vitam cenſuerunt, beatiſsimam verò etiam corporis atq; externis compleri. Itaq; pro eorum ſententia virtus ſeipſa contēta eſt, ad beatè viuendum, ſed ad beatiſsimè viuendum certè non ſatis. Sed horum dijudicare ſententias non eſt aut loci huius, aut noſtri conſilij. Illud nequaquam ambigendum eſt, veram beatitudinem potiſsimum ex virtutis ratione conſtare. Sed Peripateticorum probatior videtur eſſe ſententia, quam non modò Philoſophi multi, atq; ijdem grauiſsimi viri præcipiunt, ſed nonnulli etiam concinunt Poëtæ, inter quos Martialis, qui aliâs videtur luſus procaciſsimos ædidiſſe, hos verſiculos pulcherrimè de beata Vita modulatus eſt.

Verſus Martialis de beata Vita.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſsime Martialis, hæc ſunt.
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis.

Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus:
Prudens simplicitas, pares amici:
Conuictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis:
Non tristis thorus, attamen pudicus:
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod sis esse velis, nihilq; maius
Summum nec metuas diem, nec optes.

EXPOSITIO EORVNDEM.

Hos versiculos legunt quidem multi, sed qui intelligant accuratius, perpauci sunt. Sed eorum certè ea mens est, quæ facile tranquillę ac beatioris vitæ rationem complectatur. Ac primum quidem beatiorem vitam idcircò dicit, vt Peripateticorum imitetur sententiam, qui beatam vitam ex sola virtute existere arbitrantur, sed ad beatiorem cumulatiusq; perfectam concurrere aiunt oportere etiam corporis res, atq; externa fortunæ præsidia. At Martialis etiam extra virtutis cancellos ac limites peruagatur, vt beatitudinem cumulatiorẽ perficiat, nisi fortè beatiorem minus beatam interpretari velimus: qua ratione & senior dici solet: nõ qui longæua ætate sit, atq; annis confectus, sed potius qui adhuc viridiorem, & primam

mam senectutem degit. Et nos quoq; quamdiu corporis tenemur vinculis, ac tetro carcere tandem irretimur, beatiorem quidem vitam viuere possumus: beatam verò atq; absolutè perfectam, nisi post mortem adipisci nequeamus: quam sententiam & Marcus Cicero in Tusculanis disputationibus his verbis persecutus est. Fidenti animo gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus. Erat enim sermo ille de sapiente viro: Sed redeat, vnde defluere cœpit, oratio. Multa sunt quæ beatiorem nobis vitam pariunt. Ac primum quidem: Res non parta labore, sed relicta. Quibus verbis significatur, perturbationum detractio, cùm aliarum omnium, tũ maximè libidinis ac metus. Nam cùm duplex diuitiarum ratio sit vna earum, quas ipsi congessimus: altera earũ, quas à parentibus acceptas tuemur, illas Poëta reijcit, has asciscendas suadet. Nam solent qui cumulandis facultatibus atq; opibus intendunt, plerunq; & libidine augendi cruciari, & amittendi metu. Potior est ergo res ac substantia relicta, quod patrimoniũ suo nomine appellatur, q̃ quæ labore & industria parta est. Quin

etiam in tuenda non minor, quàm in quærenda ſubſtãtia pręcipuè ſita eſſe perhibetur laus. Hinc enim celebratur illud Naſonis:

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri,
Caſus ineſt illic, hîc erit artis opus.

Quippe quantò quid laborioſius paratur, tantò etiam cupidius atq; auidius poſsidetur. Et vehemens amor, quod ad diuitias pertinet, vehementem laborem æquat. Fortunam autem in comparanda pecunia dominari nouerunt certè illi, qui vel importantes multa, vel exportantes in contrahẽdis mercimonijs quotidie verſantur. Cæterùm arte ac diligentia cuſtoditur. Non ingratus ager, vitam quoq; beatiorem efficit: quo loco ſignificatur bonarum rerum ſtudium honeſtarumq́; artium exercitatio. Quemadmodũ enim arma nonnunquam bellum, togam pacem, ita agrum quoq; agriculturam rectè expoſuerimus. Omnium autem artiũ nulla eſt agricultura melior, quam meritò laudat eximius Orator dicens: Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Aut enim honeſtatem, aut vtilitatem, aut voluptatem quæri-

quærimus, circa quæ tria omnis hominũ versatur intentio, quæ facile omnia in agricolatione reperiuntur. Et siquidem honestatem spectes, nihil est ea melius: si vtilitatem, nihil vberius: si iucunditatem, nihil dulcius: si præcipuam dignitatem, nil homine libero dignius. Hæc inprimis secundum naturam est, vt in Oeconomicis tradit Aristoteles. Iusta est, quòd neq; inhumaniter, nec ab inuitis quærit. Hæc humanum genus necessario sustinet, nutricatur, tuetur, fouet. Laudat Cornelius Celsus duas imprimis artes, Agriculturam ac Medicinam, quòd hæc ægrotis subueniat, illa sanis corporibus ministret alimenta. Nec solum ad degendam vitam agricultura necessaria est, sed prodest etiam ad virtutes plurimum, præcipuè verò ad fortitudinem, vt idem ipse inquit Aristoteles. Pleræq; enim artes corpora ipsa eneruant ac molliunt: Agricultura verò eiusmodi est, vt qui eam exercent, & degere sub dio, & labores tollerare posſint, & incursantium hostium pericula atq; iniuriam propulsare. Itaq; & ob eam causam rectè Plinius in naturali historia: Fortisſimi viri, inquit, & milites strenuisſimi ex agricolis gignuntur,

minimeq́; malè cogitãtes. Quocirca & Lycurgus optimus mea sententia legislator, pueros puberes in agrum deduci voluit, quò primos annos ætatis, non in luxuria ac delitijs, sed in opere potius laboribus traducerẽt. Quanta verò colẽdi agri, quanq; varia oblectamẽta sint, possunt testes locupletes afferri. Exter Cyrus Persarum rex. Romanus. M. Cato ille senex, quorum vterq; voluptatibus agricolarum incredibiliter delectabatur. Quòd si adeò iucunda agricultura res est, merito & beatiorem vitam efficit. Ager verò non ingratus, fertilem agrũ ostendit, quoniam plus effert, quàm quæ acceperit. Nam in referenda gratia (si volumus non ingrati esse) quæ vtẽda acceperimus cumulatiore mẽsura debemus reddere, & iussit Hesiodus, nec tacuit Hieronymus noster ita inquiens: Quę acceperis reddenda cum fœnore sunt. Terra autem nunquam sine vsura reddit quod accepit, plerunq; maiore cum fœnore interdũ minore, vt aiebat senex Cato. Quod si soli natura nobis perspecta sit, ac fuerit excultus ager ipse diligenter, id quod sentire etiam Columella videtur, nullus erit non gratus ager. Focus perennis, etiam beatioris vitæ
effe-

effector est, qui ad parsimoniã referri debet. Eorum namq; focus perennis est, qui parcè ac modicè res suas pensantes in longitudine perspiciunt. Is contra foci caret perpetuitate, qui bona donauit præsepibus, & caret omni maiorum censu, qui quotidie magnificè ac splendidè conuiuatur: qui temerè atq; luxuriosè bona sua abligurit, profundit, perdit. Facilius est enim vno die rem ac familiã totam pdigere ac profligare, quã eandẽ vel exiguam multis annis quærere. Est autẽ parsimonia summæ (vt quidẽ videtur) frugalitatis iudiciũ: frugalitas verò haud ambiguè toti⁹ humanæ vitæ ornamentũ, ac decus existit. Prçclarè Lycurgus & ipse cõplex⁹ est, & cçteris parsimoniã omnib⁹ suasit, quæ quantũ hominib⁹, tũ singulis, tum vniuersis afferat adiumẽti q̃ experiri vtile tam est superuacuũ explicare. Non inscitè M. Tullius in libris de Repub. Optimum inquit, & in priuatis familijs, & in repub. vectigal duco esse parsimoniã. Sed iã de parsimonia satis, quã ex perenni foco cõiectare debem⁹. Etenim parcè viuentibus asiduus lucet & perennis focus. Immodicè verò ac profusè degẽtibus, vt ignis extinguitur, vt focus tepet, ita & substantia

perit,

perit, vel potius tota deperditur. Liquet igitur & parsimoniam quoque effectricem esse beatioris vitæ. Sequitur lis nunquam, toga rara, mens quieta. Sunt qui existimant dici litem nunquam, vt odia, inimicitiæ, discordiæ, certationesq́; tollerentur, cum quibus rebus animi non potest vllo pacto esse tranquillitas. Togam raram prohiberi propter Lycurgi instituta, qui sanxerit, ac lege cauerit, non amplius vna veste iuuenibus toto anno vtendum, nec quenquam cultius quàm alterum progredi. Mentem autem quietam significare curarum, molestiarumq́; omnium expertem animum. Qui ita sentiunt, boni fortasse viri sint, sed tamen crassa Minerua, verborum sonitum persequuntur, modò quod penitus reconditur ignorant: sed nos quæ vera sunt aperiamus. Duplex namq; erat apud Romanos erercitationis genus, quod amplexabantur, qui actiuam & negociosam vitam viuebãt: vnum eorum qui in defensionibus amicorum versarentur, eorum alterum qui ad Rempublicam capessendam se conferrent. Id etenim apud Ciceronem defensionum labores, & senatoria munera id forensium rerum significant, & ambitio-

bitionis occupatio, id alio loco forenſes litteræ, & ſenatoriæ, id amicorum negocia, & reipub. procuratio, id perſæpè forum atq; curia. Vtrunq; verò mentem animumq́; perturbat. Atq; alterum ſapiens Poëta ſuadet nunquam exercendum quod paucis proſit: altero vtendum quidem, ſed raro, quod vniuerſorum vtilitatem complectatur. Nam & Plato ipſe Philoſophos accedere ad rempub. negabat oportere, niſi coactos, quod eorum vita quam oportet & pacatam & tranquillam eſſe omni debeat eiuſmodi laborum vacare moleſtia. Quamobrem qui beatiorem vitam cupit adipiſci, is litem caueat, cauſam agendam nunquam ſuſcipiat, togam raro induat, idq́; non ambitionis ſtudio, ſed reipub. cauſa: ne non geniti ac nati ad prodeſſendum videamur. Sumunt namq; virilem togam, qui aut magiſtratus gerunt, aut grauiora obeunt munera, de quibus Plinius in epiſtola ad Pompeium Saturninum, luculentè his verbis: Officio, inquit, togæ virilis interfui, ſponſalia, aut nuptias frequentaui, ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in aduocationem, ille in conſilium rogauit. Illa quoq; non abſurda ſit eorum

rum verborum interpretatio, vt lis auaritiæ prohibeat cupiditatem: toga ambitionis fastũ: mens quieta flagitiosæ libidinis leuitatem, & nequitiæ turpitudinem. Nam qui humanis rebus animũ applicuerit, is beatus esse nullo modo potest. Qui verò illa tria despexerit, is res oẽs humanas contempsisse putandus est. Quòd enim in terris est, id omne aut vorax auaritiæ cupiditas est, aut leuis ambitionis inanitas, aut deniq; obscœnæ, ac luculẽtæ turpitudinis labes. Quibus reb⁹ cùm tenetur animus, longissimè abest ab ea, quam vir sapiẽs inuestigabat vitæ tranquillitatẽ. Quòd si quis obijciat non fuisse Poëtam suspicatũ eam diuisionem, quæ ex sacris monumentis depromta est, is si legerit Flacci sermones, quã primũ & sententia & errore desistet. Ex his hæc verba sunt: Quemuis media elige turba. Aut ab auaritia, aut misera ambitione laborat. Hic nuptarum insanit amoribus: hic puerorũ facile ergo turpium, ac malarum rerũ libido sublata sit, quam vel maximè amoliri debemus, si volumus beati esse, si lis nunq̃ extiterit, si toga rara, si mẽs quieta. Nam & Chilo Lacedæmonius vir vtiq; sapientissimus vehementer vt quietem adamaremus

mus suadet. Accedunt vires ingenuæ: salubre corpus. Hîc significatur industrij laboris exercitatio, quæ & honesta res est, & plurimũ bonę valitudini conducit. Quã verò laudanda tranquillitas, tã est vituperãda desidia. Hinc apud Athenienses, vt languescentis inertiæ topor è medio tolleretur. Areopagus ipse, quid quisq; ageret Atheniensium, aut quonam quæstu vitam tueretur, diligentissimè solebat inquirere. Et Lycurgus, cùm adolescentes in agrum, non in forum, deduci iubebat; id certè spectabat vt primam ætatem ac viridiores annos nõ in luxuria, quæ honestatis acerrima inimica est, sed in opere & laboribus agerent, qui proximus magnæ virtuti ad summam laudem adipiscendam gradus est. Contra verô in probro est quisquis languore desidiaq; emarcuerit. At rectè statuit Solon, vel potius Dracon, si Lysiæ credimus, qui ocio sese dederit, omnibus accusare volentibus obnoxius esto. Vires igitur ingenuæ, & ipse auctores sunt beatioris vitæ, vires maximè propriæ videntur esse ineuntis ætatis, sed eas, vel ad vltimam senectutem perducere licebit, si non ocio languebimus, sed honesto in opere, ac liberali labore
versa-

versabimur. Non Terẽtianum Menedemũ, sed Cyrum regem Persarum, & Catonem senem imitantes. Atqui & Cornelius Celsus, in libro quem accuratè & splendidè de Medicina conscripsit: Sanum hominem, & bene valentem, varium iubet habere vitæ genus, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Atq; statim infert: Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem hic longam adolescentiam reddit. Aurea verba sunt, sed nec minus vera. Salubre corpus, non temerè additur ad exigendas athleticas vires, quas etiam Celsus Medicus iure repræhendit. Hi enim athletæ soli ventri obediunt, & lasciuiæ corporis explendæ dediti sunt. Sed hi (vt in exhortatione medicinę testatur Galenus Pergamenus) quod eorum tota vita, atq; ars sagina est, nec possunt diu viuere, nec sani esse, sed & in pessima plerunq; incidunt grauium morborum genera, vt etiam clarissimo sydere, Hieronymo attestante, didicimus. Itaq; sibi habeant quæso athletæ, & colyphia, & seruorum vires: non siquidem ingenuas vires à crapula & ventris ingluuiæ, sed à frugi cœnula, & laborandi industria coniectare debem⁹. Pru
dens

dẽs quoque ſimplicitas concurrit ad beatam vitã. Quid eſt prudens ſimplicitas aliud quàm abſoluta ſapientia, quã perfecta virtus, quàm deniq; ſumma laus? Et enim neq; prudẽs quiſquam vllo modo abſq; ſimplicitate: neq; vir bonus ſine prudentia ſatis laudari queat. At tum quidem veram gloriam ſimus aſſecuti, quum & prudentes fuerimus, velut ſerpentes, & perinde vt columbæ ſimplices. Qui prudẽs eſt, is veritatem facillimè in cognoſcendis rebus perſpicit: qui verò ſimplex, is vt veram vitam confectatur, ita & multiplex ac tortuoſum deuitat ingenium. Rurſum vir prudens à nemine fallitur, ſimplex fallit neminem perſuadens ſibi. Ciceronianum illud quod verum ſimplex ſincerumq́; ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſsimum. Nam P. Nigidius pulchrè in eandem ſententiam ait: Vir bonus præſtare debet ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat. Prudens igitur ſimplicitas vt eximiæ virtutis continet dignitatem, ita etiam vitam efficit beatiorem vt quiuis prudens cùm ſit, mala declinet: cùm ſimplex ac bonus, mala cuiquam iniuriasq́ue non inferat, quibus ex rebus cùm magna exiſtit laus: tum conflatur etiam beata

vita quam si velis perfectiorem adipisci,pares mici adhibendi sunt: quos & Terentianus Simo probare visus est. Si ex optimo viuendi genere laudem inuenias,& amicos pares. Nam si beata vita iucundissima vita est,quid potest in humanis rebus amicitia esse iucundius? Res imprimis necessaria est,vt auctor ostēdit probatissimus Aristoteles,siquidem nemo eligat viuere,si amicis careat, vel si cuncta alia possidere bona videretur. Quid dulcius ait eximius Orator, quàm habere quicum loqui vt tecum audeas. Hunc certè amicum intelligere debemus,Nihil est quod mutua amicorum voluntate ac beneuolentia coniunctus, vel dici, vel cogitari possit. Vt si amicum interpretari velis, possis, alterum ipsum non absurdè interpretari. Fit enim in amicitia id quod Pythagoras sentiebat,vnus ex pluribus.Itaq; Aurelius Augustinus de Nebrido amico ita aliquando locutus est.Benè quidem de amico suo dixit: Dimidium animæ suæ. Nam ego sensi animam illius vnam fuisse animam in duobus corporibus:Hæc Augustinus. Cicero quoque per epistolam Cęsarem Imperatorē alloquitur his verbis: Vide quàm mihi persuaserim te

me esse alterum: Sed & cùm in Tusculanis disputationibus de beata vita dissereret, fructū amitiarum non reticuit, in quo doctis positum sit, cùm consilium omnis vitæ consentiens, & penè conspirans: tum summa iucunditas quotidiano cultu atq; victu. Quamobrem præcipiebat Polybius, non prius est foro abeundum nobis, quàm quēpiam ex adeuntibus amicum comparassemus, pares autem amicos oportere esse nemo dubitauerit, quem non lateat Ciceronis Lælius. Illud etiam Plinij exploratum habuerit, ad connectendas amicitias, vel tenacissimum vinculum esse morum similitudinem: Verùm amicitiæ tam latus campus est, vt in eo semper diffusius, & oratio, & stilus exultet. Iam ad frugilitatem veniendū, eam prę sertim quæ fœdissimam ventris repellit ingluuiem, sequitur enim conuictus facilis, sine arte mensa. Fuit quoddam tempus, cùm nondū vel opinionum vanitate, vel prauitate morū natura hominis infecta esset, in quo solis glandibus atq; oleribus homines vescebantur. Nuces & poma, ac reliqui telluris fructus esui erant, nondū gulæ irritamētis excogitatis, nondum lautarum epularum cognitis delitijs. Quique

nostra tempestate monachorũ quos græci vocant ac cœnobitarum victus est, is pene erat priscis sæculis omnium gentium, atq; hominum communis. Est autem cœna iucundissima, non quam reges & tyranni labore potius quàm splendore parant, non quæ habet magnificentiam, ac sumptum epularum : non ea deniq;, cui fercula septem adhibentur: sed quam natura nondum deprauata, quam sustentandæ vite postulat ac requirit necessitas. Nec verò sapientes aut Artaxerxis regis, aut Siculi Dionysij conuiuium, nec Archelai aut Thessali scopæ lautissimum apparatum: sed tenuitatem victus: sed frugitissimum apparatum, sed tenuitatem victus, sed frugi Pythagoreorum cœnulam, & sine arte mensam probant. Ita laudatur Plinius, qui ad simplicem atq; incautam mensam amicos inuitaret. Laudatur Zenocrates, qui in Academia etiam Alexandri legatis, tantum solum, quod ijs satis esset, apposuit. Laudatur M. Curius, qui in ligneis vasculis rapas comesse esse solitus. Laudatur omnium maxime Diogenes Cynicus, qui in præsentem horam à quolibet posceret atq; acciperet cibum, Himerobios etiam vulgò appellatus est.

Laude dignus cẽsetur quisquis cum Melibœo contentus dicat:

Sunt nobis mitia poma:
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Non potest beata vita absq; voluptate esse. At voluptarius Epicurus holeribus & pomis dicit esse viuendum. Nemo teste etiam insectatore eius Cicerone: de tenui victu plura dixit. Epularum & victus luxuria mentem hebetat, labefactat, & immatura afficit senectute, varia excitat morborum genera, flagitij & libidinis irritamenta subministrat. Quod si sine cerere, & libero friget, pulmento certè ac temeto concalescit Venus. Mos erat veterum (vt ait Plinius) cibum interdiu & leuem, & facilem sumere. Quorum erat pulpamentum aliud nullum, quàm quod Scythæ Anacharsidis fames. Et quidem pridem statuerat Lycurgus in propatulo omnes ac publice conuiuari, quod & veteres omnes seruare sunt soliti. Persæ Zenophontis libris celebrantur qui haberent cibum quidem panem, obsonium autem cardonum. Sed Nasturtium idcircò ad panem, vt ipse arbitror adhibebant, quòd eius præcipua vis sit ac summa vtilitas, venerem inhibet, vt

tradūt, qui herbarū vires persecuti sunt, animū exacuit, potū inęquabilē detrahit. Quondam parce oēs viuebant ac moderatè, nec luxuriæ, aut crapulę indulgebāt, delitias contemnebāt, quæ vltro ex terra atq; arborib⁹ gignerentur, ea sibi præstantissima existimabant, quibus & gustus lenirēt asperitatē & bonā valetudinem tuerētur. Ausim dicere plerasq; oēs periculosas ęgrotationes intemperantia concitari, atq; ex vētris ingluuie nasci. Illud in sermone omnium versatur, plures crapulam interfecisse, quàm gladium. Fœlix nimium vetusta & prisca gens mortalium, quàm quoties anim⁹ contemplatur summis semper mactat honoribus. Solita est enim publicè conuiuari, epularum varietatem, ciborum lautitiam deuitare. Itaq; labentem ad intemperantiam populum Romanum mordacissimus Satyricus repræhendit, quis fercula septem Secreto cœnauit auus. Plurimum expetēda victus tenuitas est, quàm & corporis incolumitas conseruatur & morborum omnium obruitur seminarium. Sæpe quos nulla medicinæ ars ac diligentia curare potuit, simplex mensa, & ipsius victus castigatio liberauit. Quæ vis alia, nisi potus ac cibi

par-

parcitas,podagrę duritiã vnquã mollit? Quę vis alia articularis morbi dolorem sedauit? Multi aũt cum his ægrotationib⁹ laborarent (vt perhibet qui nunquã mentit⁹ est testis locu ples Hieronymus) ad pauperes cibos redacti conualuerunt. Cumq́; in tres partes Medicina distributa sit, illa nimirũ quæ victu medetur, patet latius, sanat frequentius. Medicamenta verò ac Chirurgici opera multos quotidie fal lit. Verùm nota hæc sunt, vt vagari lõgius non sit necesse. Vide igitur quid faciat conuictus fa cilis, sine arte mensa, quod & declarat Hiero-nymus, qui ait: Holerum & pomorũ ac legumi nũ, & facilior apparat⁹ est, & arte impendijsq; coquorum non eget. Atq; hæc de facili victu, qui & ipse vitã efficit beatiorẽ. Nox nõ ebria, sed soluta curis. Constat duplicem præcipuè appellari hominis quietem, quarum vtraq; ne cessaria est, & ad salutẽ animalis à natura data, primam cibi ac potus, de qua etiam vates fa-cundissimus: Postquã prima quies epulis, men sęq́; remotæ. Cùm tacet secundam mẽsam in-telligi oportet. Secũda verò quies somni est ac nocturnæ requietis, de qua apud Ciceronem, Lælius cum Scipionis de repub. sermonem re-

ferret; Eius inquit disputationis fuit extremũ ferè de immortalitate animorum, quæ se in quiete viso ex Aphricano audisse dicebat. Nã & Virgilius conuiuij quietem, & Lælius somni quietem appellauit. His namque duobus quietis generibus etiam exceptos hospites reficere solemus. Forma igitur allata qui es est, & qualem esse oporteat, satis superq; declaratum. Quid est enim conuictus facilis sine arte? Mensa nunc altera est deinceps patefaciẽda. Sequitur & enim nox non ebria, sed soluta curis. Fieri non potest vt vel homo, vel quoduis animal in actione, in labore semper, in exercitatione versetur, ad quas res profectò nati sumus. Necessaria est (vt ait Aristoteles) intermissio operis ac relaxatio animorum, sed somni in primis, qui & requiem affert animantibus, & ad eorum salutem plurimum confert. Sed nox non frustra dicitur, vt diurnus somnus protinus exigeretur. Testis est Auicenna, dormire interdiu malum esse: vnde humectantes ægrotationes, vnde reumatismi, vnde pallor, splenis accretio, laxationes neruorum, topor, insulsitas desiderij, tumores, febres, vnde alia permulta, & valitudinis detrimenta oriuntur,

untur, & varia morborum genera. Benè est itaq; nox posita: deinde non ebria dicitur: vt ebrietas ac temulentia tolleretur qua quid potest homine libero esse indignius? Pestis sæuissima ebrietas est, animorum simul, & corporum labes, quæ primum rationis hominem impotem facit, & multorum malorum fomitem subministrat. Et in sobrietate quidem virtutum concordia, in temulentia verò sita ruina est. Non temerè vinum a vi appellatum dicit Varro, quòd eius tanta potestas sit, vt hominis naturam in beluam transferat, & mentem rationemq; subuertat. Quid tam amicũ, quid tam gratum veteri & callidissimo hosti (vt ait diuinus Chrysostomus) quàm ebrietas, quàm lasciuia, malorum omnium ac facinorum radix est? Quæ duo videlicet teterrima flagitia ne fusius propagarẽtur. Valerius Flaccus, & Portius Cato, Censores, Bacchanalia sustulerũt nocturnum sacrum, & ebrietatis a scelerum omnium seminarium, vt grauissimus auctor scribit Liuius. Nihil tam virilem dignitatem deformat, nihil tam deturpat hominis grauitatem, quàm ebrietas atq; insolentior vini licẽtia. Fertur Dionysius senior, cùm

in cæteros malefactores grauiter animaduerteret, parſiſſe tamen eis, qui veſtes ſurripuiſſent, quò Siracuſani à commeſſationibus atq; ebrietatibus temperarent. Scitè igitur Martialis ei, qui beatiorem ſibi vitam affectat, cenſet noctem quiete degendam, vitandam ebrietatem. Nox, inquit, non ebria, ſed ſoluta curis. Quid curis ſoluta nox eſt, niſi ab ſollicitudine vel quærendæ pecuniæ, vel appetendæ gloriæ, vel deniq; explendæ Veneris longiſsimè abhorrens? Harum rerũ appetentes, in vtrauis aure dormire ocioſi non poſſunt: horum feſſos nunquam ſopor irrigat artus, nunquã arctior ſomnus complectitur, hærent infixæ pectore cupiditatum ac libidinum curæ, inſident ſollicitantes angores: Nec placidam membris dat cura quietem. Quando auarus, ambitioſus, petulans, placidiſsimam illam quietem deguſtauerunt? Et auarus cupiditati ſemper intentus non ſolum non dormitat, ſed nec cõniuet quidem, ac dum inſatiabilem & inexhauſtam ſitim explere cogitat, etiam fraudat naturę ſomnum, vt Saluſtianum illud verum ſit: Auaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit, ea quaſi venenis malis imbuta corpus

pus, animumq́; virilem effœminat. Semper infinita & insatiabilis est, neq; copia, neq; inopia minuitur. Et Plutarchus Cheronensis in libro, quam inscripsit Peripolypragmosines magnis viribus nos deterret ab auaritia, & superuacua quadam permixtaq́; (vt interpretatur Gellius) ac minimè necessaria eiuscemodi plurimarum rerum, & cognitione & petitione, quæ mentem ipsam vehementer excruciat. Neq; enim curiosior illa Polypragmosine hominem vnquam sinit quieto atq; ocioso esse animo, sed turbulentis semper tum cogitationibus, tum laboribus iactat. Quid leuium amorum, quid obscœnæ libidinis, sectator, nõne dies noctesq́; angitur? Nonne modò dextrum, modò læuum versat ac fatigat latus? Miser atq; infœlix amator, incertus animi, quid captet consilij ignorat, quò se vertat nescit, nũc spe erigitur, nunc metu frangitur, assidua semper sollicitudine cruciatur. Leuitatẽ verò affectans gloriæ, vt popularem aucupetur aurã, & interdiu laborat, & noctu cogitat,

Atq; animum huc celerem nunc diuidit illuc:
In partesq́; rapit varias perq́; omnia versat.

Eius igitur beatior fuerit vita, de quo meritò dici posit; Nox non ebria, sed soluta curis: is

quie-

quiete noctem agit, & arctissimo somno ac sopore vincitur. Non tristis thorus, attamen pudicus. Tristis thorus profectò est is, qui vitam solitariam viuit, & eorum caret consuetudine, quibuscum familiares sermones, & dulcia conferat alloquia. Et Pythagoras quidem quanquam contemplandis rebus intendebat, cohortem tamen discipulorum sibi delegit quibuscum viueret, quos institueret, quorum conuictu & cõsuetudine lætaretur, cumq; his perpetuam atq; inseparabilem societatem coire solitus est, & quoddam veluti cœnobium constituere. Neq; enim potest quicquam homini suaue esse, ac iucundum vel rebus omnibus circunstantibus, nisi consortem & participem habeat. Sociale namq; homo est animal & conciliationis longè omnium cupientissimum. Suo autem ingenio hominis ac similis sui, & societate & consuetudine delectatur. Alioqui aut Deus quispiam sit contemptis humanis rebus, & iam ipsi Deo solitudine & contemplatione iungatur, aut certè bestia, si conspectum ac cœtum fugitans hominum vitam agrestem, & immanem ferarum viuat. Quippè natura nihil solitarium amat, sed ad societatem hominem genuit.

genuit. At illud verum est, fructum voluptatum omnium eripere solitudinem. Verùm prima societas in connubio est, vt in primis vxoris ipsius quærenda iugatio sit. Quam si quis ex sententia nactus est, sciat paratum sibi non vitæ supplicium, quod pleriq; ioco vsurpant, sed perpetuum præsidium ac tutissimum perfugium. Siquidem fecit Deus hominem, & simile sibi adiumentum condidit mulierem. Itaq; & propter vxoris flagrantissimam charitatem relinquit quiuis vel parentes, & ita illi hæret, vt & duo in carne vna sint, & fiat ex duobus vnus. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid percipitur voluptatis, nihil est vxore melius, nihil iucundius, nihil amabilius. Ea tibi liberos gignit, quibus institutis potest ferè nil optabilius cogitari. Procreatam sobolem nutricatur, intus dominans supellectilem totam studio diligentiaq; tuetur, seruat domi quod foris tibi paratum est, victum omnem, ac reliquum vitæ cultum ministrat, siue mala valitudine laboras, seu vllis aduersis rebus premeris, sola semper præsto est, fidissima coniunx. Seipsam negligit, vt te solum expleat, id cogitat, id conatur, id spectat,

vt

vt quàm maximè tuis commodis voluptatibusq; inseruiat. Quid enim boni vxori præter virum, aut charũ, aut dulce est? Solent mulieres ita diligere suos viros, vt etiam viuere nolint, si illi mortui sint. Nam & in India vastissima Barbarorum regione, mulieres ne mortuis viris superstites sint, pyra malint ardere quã viuere. Quid ad hunc amoris cumulũ addi potest? Mihi non Terentianus Mitio fœlix esse, qui quòd fortunatum isti putãt vxorem nunquam habuit, sed is multò videtur omniũ fortunatissimus, cui & vxor est, & proba obtigit & pudica, viri diligentissima, verecunda, modesta, sobria, accincta, alacris, iurgiorũ fugitans, viri voluntatẽ vitę sibi legẽ putans. Huius profectò erit thorus, certè non tristis, sed celeber ac lætissimus, vt dicat quiuis fœlices thalamos nactus, multò etiam veriùs quàm ille apud Propertium:

O me fœlicem, ô nox mihi candida, & ô tu
Lectule delitijs facte beate meis.

Viri namq; delitiæ est vxor, vt iure Cynthiam quampiam non quidem amicam, sed vxorem hisce maritus versibus alloquatur.

Tu mihi sola places, placeam tibi Cynthia solus,
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.

Non sit igitur tristis thorus, attamen pudicus. Non inscitè pudicus dicitur, quod ad limen beatitudinis, neq; illegitimus congressus, neque immoderatus coniunctionis appetitus aspiret. Quid enim à bellua hominem separat, nisi ratio, nisi virtus, nisi lex ac moderatio vitę. Magna est connubij, id est, legitimi matrimonij laus, quo monemur, non quamuis mulierē passim, ac solutè suscipere, sed quam sponsaliorum iura constituant, quā à parentibus, cognatisq́; solemni ritu stipulamur in matrimoniū nos ducturos, quæ, inquam, connubij lege atq; institutione iungatur. Quam quisq; igitur eo pacto assecutus sit, eam vxorē & charissimam consortem habeat vitæ, aliam si vel attigerit, vel etiam concupierit, rationis atq; humanitatis iura violauerit. Hinc in Politicis pręclarè Aristoteles. Coitus, inquit, omnis alterius quàm coniugis penitus sit interdictus. Quid de moderatione dicam. Meminisse virum oportet, modum vbique esse seruandum, atque vxorem se habere, non scortum: Liberis danda opera est, non ex implenda libido, nec breui voluptati, sed perpetuæ saluti consulendum. Coniugationem autem maris &

foemi-

fœminæ, si rem ipsam consideremus, sola efficit procreandæ sobolis ratio, aliâs sordida sit, ac luculenta permixtio. Quocirca & ijs ipsis, qui coniugij vinculo sociati sunt, sapientes viri fines constituere, quatenus procreandæ soboli operam dari conueniat: quo cùm ventum sit sinant valere ac nesciant venerem. Nihil est immoderato concubitu, aut fœdius, aut perniciosius, qui frequens etiam corpus dissoluit (vt Medici ac Physici tradunt) Estq; (vt ait clarus Hippocrates) teterrimi pars comitialis morbi, corpori, & lethiferam imbecillitatem, & immaturam afferens senectutem. Atqui omnes qui crebrius voluptatis atq; libidinis explendæ gratia, carnis & veneris fœditati laxas habenas dederint ij ad naturã belluarum quã proximè accedunt, sed & beatiorem nequeũt vitam adipisci, quàm quærimus. Vrunt vndique ardentes libidinum faces, quæ miseros respirare non sinunt. Benè atq; luculentè quisquis in hunc modum cecinit.

Ardet in affectu Venus, anxia sordet in actu.
Efficit atq; pudet, præsto patratur opus:
Post factum fecisse pudet, citò præterit illud
Quod iuuat, æternum, quod cruciabit, erit.

Con-

Coniugij igitur societas non acerbam vitam, sed iucundissimam efficit: Sed eorũ scimus esse longè iucundiorem, qui veram pudicitiam affectantes, non matrimoniorum vinculis, non vllis sæculi compedibus vinciuntur, sed supra hominem vitam nacti perpetuam vitæ integritatem seruauerunt, atq; eorum sibi duntaxat cõciliationem, ac societatẽ sciuere, qui omnibus humanis contemptis illecebris, in rerum cognitionem ac veritatem adipiscendam operam omnem ac studium contulerunt, quorũ nec tristis est thorus, & tamen verè serioque pudicus. Quales Indorum Gymnosophistas, plerosque Græcorum philosophos, Iudæorum Essenos, Aegyptiorum Sacerdotes fuisse tradunt, qui cùm multis rebus aliis, tum maximè vxoribus abstinuerũt, quales multò veriùs cernimus ipsi, etiam nostra hac tempestate Christianæ & Catholicæ religionis cœnobitas, qui exuti quodammodo humanitatis fragilitatem angelorum vitam imitantur in terris. Hinc namque cælibatum nuptiis præferentes melius quàm Socrates mẽtem seiungunt à sensibus, altissimoque animi excessu rapti veriùs quàm Pseudophilosophi moriuntur, hi rectè dicunt Philosophiam quæ non fugata, non adumbrata, sed vera ac solida Philosophia est, meditationem esse mortis. Horum certè hominum qui vix pauci toto orbe reperiũtur incredibilis quæ-

dam voluptas est, maiorq; quàm quæ breui oratione perstringi possit. Quippe eiuscemodi hominum tantò est, quam cæterorum vita beatior, quantò hic adsunt propius ad veram beatitudinem. Verùm de his aliâs plura. Hæc attigimus ne matrimoniorum expers vita qualis nostræ sacerdotum religionis esse debet, putaretur infœlix. Omninò autem iis omnibus, qui beatius volunt viuere, tristis vitandus est thorus, pudicus optandus. Additur somnus, qui faciat breues tenebras. Somnus is breues inquam, qui facit tenebras non iniuria laudatur. Iubebat Pythagoras vt venereis in primis, iræ, somni, gulæ abstineremus, quibus rebus virtus maximè perturbatur, qua sublata ad quamuis beatitudinē omnes planè aditus intercludūtur. Hæc vtique mala quum regnant, exulat virtus: virtute autem remota nullus relinquitur beatitudini locus. Aristoteles summa auctoritate Philosophus, cùm fœlicitatem hominis explicaret, non est eam ausus, nisi in actione atque opere constituere, quòd dormitantium nullum discrimen sit, nullo fœlicis hominis ac miseri differentia. Quòd si somnū spectes, nihil homini homo præstabit, stulto intelligens nihil intererit. Hebetia plerunque ac tarda ingenia solent esse eorum qui plurimo cibo nimioq; somno vtuntur, nec solū impuberes pueri, quod M. Varro in lōga historia prodidisse fertur;

tur: sed qualibet etiam ætate homines id ipsum incurrunt mali. Illud Poëticæ leuitatis est, quod traditur domitor somnus malorum, requies animi, pars humanæ melior vitæ. Aut enim res fuũt nobis ex sententia & eorum fructum capere nequimus somno consopiti, aut aduersis vrgemur, nec iis aut liberare ipsi nos, aut leuare possumus, nisi diligentem ac peruigilem curam adhibuerimus ita fit vt pars humanæ vitæ non melior sit somnus, sed deterior. Itaque & sero cubitum discedentes, & ad primam sæpe auroram somno experrecti frugi hominum fungemur officio. Illud Pythagoræ nobis imitandum est, quod & aureis idem ipse versibus præcepit.

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν,
Πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

Quos versiculos & Latinè non inconcinnè nostrorum quidam interpretãtur, Virgilius in Epigrammat. sic vertit:

Non prius in dulcem declines lumina somnum,
Omnia quàm longæ reputaueris acta diei.
Quæ prætergressus, quid gestum in tẽpore, quid non?
Cur isti facto decus abfuit, cur ratio illi?

Noli autem somnum mollibus oculis excipere, priusquam diurnorum operum ter vnum quodque percurras. Quò accessi? Quid peregi? Quid mihi oportunum non peractũ est? Surgere

verò antè lucem iubet in Oeconomicis nobilissimus Philosophus, quod antelucanum tempus, atque opera, & ad curam rei familiaris, & ad bonam valetudinem, ac demum ad Philosophiæ studia plurimum conferat. Quod natura quoque ipsa nos admonet, quæ nocturnos vigiles (vt Physici tradunt) excitandis ad opera mortalibus rumpendoque somno gallos genuit. Naturæ legibus obtemperandum est, quæ hominem nō ad somnum & quietem, sed ad operam atque exercitationem nasci voluit: nec propter quietem operam, sed propter operam quietem instituit, vt videlicet remissione laboris potentiùs ad exercitium operis vires intenderentur. Claris ac magno ingenio viris, non minus lucubrationes, quàm meridiationes profuerunt, vt meritò summe is laudādus sit, qui facit breues tenebras, & is putandus beatus, qui vel in secunda ac tertia vigilia frugi sese hominem præstiterit. Quòd qui secus factitauerit, dignus sit, qui perpetuam noctem dormiat. Illud quoque sapienter beatiori adiectum est. Quòd sis esse velis, nihilque malis. Salutaris & sapiente viro digna vox, quæ iubet quam quisq; fortunam, quem vitæ statum quisq; sit nactus, eo quenque debere esse contentum. Nihil est enim stultius quàm alienam sortem, qualis tandem sit, & appetere semper, & existimare meliorem. Iure Flaccus noster hanc hominum,

minum, & admiratur dementiam, & deplorat vitæ miſeriam, inquiens:

Qui fit Mæcenas, vt nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors abiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes?

Vulgaris ſanè conſuetudo, ſuaque imperitæ multitudinis leuitas. Perpulchrum ſcitumq; eſt ſemper eo cõtentum eſſe quod adeſt, nihil præterea concupiſcere, nihil quærere amplius; nimirum ſapiens, & ſi tantillum adeptus eſt, ſatis ſe tamen conſecutum putat, nunquam ſui pœnitet ſapientia munitum, virtuteq; ſeptum hominẽ. Etenim in his rebus veræ diuitiæ poſitæ ſunt, cæterarum verò rerum omnium inexhauſta ſitis eſt, & cupiditas inſatiabilis, quas ij maximè deſiderant, qui earũ maximè abundant copia. Quòd ſi quiſque id eſſe velit: ita enim ditiſsimus habendus ſit, ita opulentiſsimi cuiuſque copias, non æquabit ſolum, ſed etiam antecellet. Satis eſſe putare quod eſt, nihil appetere, nihil requirere, ea demum & ſapienti cõſentanea & iucundiſsima eſt vita, quàm facillimè aſſequetur quiſquis poſthabitis incertis caducisque rebus, ſolam virtutem amplexetur, cuius & noſtra poſſeſsio eſt, & nullis fortunæ caſibus ſubiacens. Socratẽ apud Platonem Polus conſulit, an Archelaum regẽ opulentiſsimum, qui Macedoniæ dominaretur, fœlicẽ eſſe putaret, neſcire reſpõdit ſeſe, quòd neq;

quam doctus, neque quam bonus esset, intellexisset. Non enim fortunarum gloria, nõ regni amplitudo, non vlla auri aut argenti vis fœlicem hominem & beatum facit, sed sapientia & probitas, quas res Reges si non habent certè fœlices non sunt habendi: Inopes si habent, etiam perbeati existimandi. Cortina Apollinis solum Aglum beatum iudicauit, qui in angustissimo Arcadiæ angulo pauperis agelli contentus finibus, paruo tugurio conclusus, nunquam paterni soli terminos fertur egressus. Huius igitur paupertas, Archelai præstabat fortunis, atque antecellebat gloriam. Quos cupiditas incendit, quos premit auaritia, iis profectò omnia desunt, nec minus quæ habent, quàm quæ non habent. Contra sapienti omnia suppetunt, & nihil cùm sit, nihil deest tamen. Fortunis si caret, tranquillitate non caret, cupiens esse quod sit. Demũ additur quod perpulchrè de beatiore vita sermonem claudit. Summum nec metuas diem nec optes. His verbis nil certè aliud quam summa quædam ostenditur moderatio, cuius proprium est, nec lætari vehementius prosperis fortunæ successibus, nec propter vllos aduersos casus tristitia atque ægritudine deprimi. Quis enim extremũ vitæ diem tam exoptat, quam qui calamitosam ac miseram fortunam desiderat morte finiri? At ille rursum mortem plurimum extimescit, qui florẽs opibus

& fortunis iisdem se rebus metuit orbatum iri morientem. Aegri animi, & reflantem fortunam immoderatè ferentis verbum est:

Mors hominum fœlix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe vocata venit.

Stultè quoque Massilienses, qui temperatum cicuta venenum publicè instituissent iis exhibendum, qui apud suum ipsorum senatum expetẽdæ mortis causam attulissent. Nã siue prospero (vt aiunt) statu vtimur, seu turbulentis infortuniorũ iactamur procellis, nullam satis idoneã vel metuendæ vel optandæ mortis rationem, vllo modo potest cæca præbere fortuna. Nec eius consuetudinis, aut Græcos auctores, aut eorum imitatores Gallos probare debemus. Quis autem vir sapiens existimari possit, qui ex incertæ rei mobilitate pendens suæ tum mortis, tum vitæ rationem ad fortunæ referat temeritatem? Stultus adolescentulus, & inani lætitia gestiens ille Terentianus Cherea, non tam amore quàm mente & ratione captus est, qui diceret, Proh Iuppiter, nunc est profectò tempus interfici, cùm perpeti me possum, ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua! Melius apud eundem Poëtam Geta in Phormione, qui cùm ex eo quæreretur de se quid futurum esset. Nescio Hercle, inquit, vnum hoc scio, quod fors feret, feremus æquo animo. Nec ille deterius

aut minus grauiter, qui continuo id esse viri officium comprobauit: Ac præclarè, sciteque sapiens præcipit Poëta.

Nemo confidat nimirum secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.

Qui sapientem præstare se, & iucundissimam vitam degere instituerit, is vtramuis fortunam & secũdam, & aduersam moderatè ferat, summum nec metuens diem nec optans. Mortem pertimescere inscitiæ est, optare leuitatis. Nec est enim vllum malum mors (vt sapientes viri rectissimè probant.) Atque haud scio an magnum sit bonum potius. Certè cum his præclarè agitur morientibus, quorum viuentium innocentia cognita sit, atque illuxerit probitas. Frustrà autem optamus, quod vel inuitis nobis aliquando euenturum est. Cunctis mortalibus breuis imminet occasus, vtinam tam cognita immortalitas sit atque omnibus indubitata, quàm est certus interitus. Longius aut propius mors sua quenque manet: ait Propertius. Multos accepi, nou & ipse nonnullos, qui tametsi vehementer vitæ terminos expetere viderentur, aduentantem tamen mortem & dolerent plurimum & accusarent. Quæ hæc obsecro leuitas? quæ insania est? Quãtò enim satius diuinis parere legibus, & ad illius se arbitrium accommodare, cuius potestate & mortem esse, & vitam cognouimus? Is quum finit

nit læti viuamus, quum vocat alacres demigremus. Sentiamus & nos hoc pacto cum Thalete Milesio, nullum inter mortem ac vitam esse discrimen, summum nec metuamus nec optemus diem. Fortuna nec efferamur, si secunda arriserit, nec eadem aduersa perstrepente frangamur, aduersus dolorem omnem, ac mortis metum inuictum semper animum gerentes. Illud enim magni & excelsi animi est, tum in prosperis rebus moderationem, tum in aduersis seruare prudentiam, quibus præditus qui fuerit, non poterit non esse beatus, ac de summo die, nec erit enim vel metu anxius, vel desiderio sollicitus. Et quidem his omnibus ex rebus illa, quàm auidissimè omnes expetunt, comparatur vitæ tranquillitas. Nam si virtutem sectati erimus, & omnem sedauerimus animi perturbationem, simus proculdubio adepti verum illud bonum, quod solum & honestum est, & iucunditatis plenissimum, securitatem & pacem. Quando ex virtutis exercitatione, & vacuitate ab angoribus conflatur, ac perficitur beata vita, quàm vt assequamur, omnem industriam atque operam adhibere debemus. Itaque laboremus efficiamusq; vt quæ singula exposuimus, eadem vniuersa complectamur, vt posśimus (quantum fieri posśit) & iucundè & beatè viuere.

FINIS.

Errata, quæ per Operarum incuriam irrepse-runt, ante Lectionem restituenda.

TOMI PRIMI.

Folio.4.facie 1.versu.22.pro carpere lege capere.10.2.25. lege cærulei 13.2.14.lege furentem.15.2.24. Palladis 18.2.17. Quom 19.1.13.fingere. Ibidem versu 27. Cæcropio. 20. 1.2. exili.22.1.17.& tandem.Ibidem facie 2. versu 10.necat.28.1. 19.Olympo.29.2.20.Adriacos.30.2.6.Seruitium 34.2.18. Laquearia 36.1.7. Itala 39.2. 19. Pernices. 41. 1. versibus 20.21. 22.Quot.42.2.27. Sic pater. 54. 1. 9. ferent. Ibidem facie secunda in initio Epistolæ lege Oedipus. Ibidem infra lege nodum hunc. fol.55. facie 2. in Epistola Badij lege vir ille ve disertissimus.Paulò infra pro Norit lege Nouit. & linea penultima lege anxie cauit 60. 1. 12. lege pro tonius Tonius. Ibidem versu 17.lege cubito. Ibidem facie 2. versu 27.lege mos est.61.2.21.leues 70.2.26. Atrides 71.1.22. dama 72.2.7. mulctralia 73.1. 19. Indiga.76.2.3. molesto 80.2.8. improbitas 82.1.12.si sint.83.1.25.Heu quot. Ibidem facie 2.versu 1. pe:e 85.1.25. Abietibus. Ibid.facie 2. versu 8.Indigenæ 88.1. 20.hospita 88.1.27.saltus 91.1.17.dictu est. Ibid.facie 2.versu 25.Fagineum 100.1.26.arenosę 104.2.7.Pollytropum 105.2.1. exilit 106.1.5.immigrare 107.1.3.aula. 110.2.6. Fagina 112.2. 3.Stapete. Ibid. versu 17.pro Marti lege Marci, & pro soncto lege sancto 114.1.1.bisdenos 115.2.23.Trasymenaque. 116.2. 16.Obuolitans 118.1.27. humilemque. Ibid. facie 2.versu 5. confessa 119.2.9,incola 121.2.5.conregnabis 122.2.5. multos 123.1.17.fueris 126.2.11. Sic qui 127.2.26. Euolat. 128.1.6.sopiret.129.2.15.liquid 130.1.20.partes 131.1.2.excidit 132.2.4. scelus 133.2.5.residet mox 139.2.25. claris 141.1.13. Sedebat.

144.1.

144.1.1.melioris.Ibid.facie 2.versu 17.lembus 146.2.16.lege. Quid mutûm,id est mutorum 154.2.14.Perge.Ibidem versu 21.pro Quique lege Quinque. Ibid. versu 23. lege quartam 156.2.26.hominum 158.2.6. Tinnula. Ibid. versu 16.fulgure 159.1.19.pro in lege ni 160. 2.28. nixu 161. 2. 7. Arturi 164. 2. 16.inermem 167. 1. 20. audentes 168. 1. 7. Hispania 169. 2. 7. Antennæque 172.8.pro Temporat,lege Temperat.

TOMI SECVNDI ERRATA.

Folie 7.facie 2.versu 6.pro Quoduis, lege Quamuis.Ibi. versu 21.pro nili lege Nili 8.1.14.partosque triumphos 12.2. 5.omnes.Ibid.versu 27.pios 14. 1.25.lege hic mea viscera. 15.2.16.Venus vlla 17.1.1.Genitrix 20.1.16.infit. Ibid.versu 20.Triuiæ & sequenti versu Dianæ 21.1.8.remetiar. Ibidem versu 12.lege nurus. Ibid. versu 21. lege labor 27.2.9.subitæ 30.2.4. iunxerunt 36.2.5.bifrontem claudebant 42.1. 27. Bethlemica 50.1.13.modo: & infra pro tura lege thura.52.1. 16.terraque 58.1.21.cogitationes. Ibid. facie 2. linea 20.lege condemnãdus 59.1.5.Quod.Ibid.lin.17.pro quid,lege quod 62.1.1.aggressi.Ibid.facie 2. versu 22. inspirare 63. 1. 21.auro 68.1.19.feram 70.1.14.damæ 76.2.23.mercatur,folio 77.facie 1.versus iste desideratur tertio loco:

Sic genus & patriam nosti, nomenq; paternum. Ibidem facie 2.versu 10.Feles 78.2.lege ad Idumæos 84. 2. 1. Mœnia cum. Ibid. versu 2. lege Romana 96.2.7. tumulo 104.2.28. limbo 110.2.13.meditata 114.2.21.Quintius 115.2.5.Verùm tantum.Ibid.facie 2.versu 5. quo tua 120.1.9. finit 134.2.23. Fingere & 135.1.8.Neptunicolasque 137.1.12. Natam 139.2. 28.Tum fœdos: & versu subsequenti Consul iens 140.1.23. Ac Cyprum 144.2.2. Quaq; fide 146. 1. 4. iuuenem.146.2.14. quot in æthere 147.2.18. bonus 148. 1. 26. Excita in 148.2.5. Dictaque 149.1.15.Ad nudum 154.1. 19. assecla tibi 157.1.19.

lege

lege non est 161.1.17. fama & paulo infra pro obsoluerant lege obsoleuerant 161.2.3. primatibus. Ibid. versu 6. linquentes 162.2.1. nondum 64.1.5. Stoa 171.2.2. cassius 172.1.5, Zoroastidas 175.2.9. Messania. Ibid. versu 11. pro tuuntur lege tuentur 176.2.20. in astra 177.1.21. lacrymas animis. Ibidem facie 2. versu 9. lege ignari & versu 21. iuuentam 180. 1.13. destinet 181.1.21. Pamphyliæ 192.1.23. factus 194.2.13. Concidit. Ibid. versu 23. applaudere 195.2.19. vulgi. Ibid. versu 21. liquens 196.2.28. iterumque. Folio 202. facie 1. desiderantur octo versus qui post decimum reponi debent, nempe post versum Alba magis, &c.

Insequitur: rapidis squalent sub Solibus ora:
Qualia Marmaridûm: quales habet India vultus,
Et Persæ, atque Arabes, & combusti Garamantes,
Heic memorant latis ambitam mœnibus vrbem
Latius extendi: Mogam dixere priores
Ante Latinorum imperium: voluentibus annis
Clarius accepit Romano à Cæsare nomen
Cæsareamque nouo dixerunt nomine gentes.

Hæc ea quæ quondam &c. Folio 208. facie 2. versu 10. lege vociferans 209.1.8. Cuderat. 211.1.1. maiore 243.2.8. vidit 257.2.3. cingit. Ibid. versu 4. lege peruinca, & versu 28. lege violare 260.1.12. admonuere. Ibid. versu 24. Viuis in Elysio 264.1.16. fert. 272.2.2. lege. DE QVATVOR ANNI TEMPORIBVS. 293.1.19. rediuiuus 295.1.8 remeare, Ibid. versu 21. pro ort, lege orta est 297.1.18. monuere 305.2, 28. humana 306.1.9. vapulat 307. facie 1. lege DE QVATVOR TEMPORIBVS. 310.2.11. videbat 313.1.26, Floreat. Folio. 314. facie 2. versum vltimum & sequentem sic legito.

Appellare Cepham voluit, quasi nomina Graio:

A sermone

A sermone trahant (sicut sonus indicat ortum. Sed ego cum Baptista iudico ab Hebraico Cephas, id est rupes seu petra potius, quam à Græco Cephale, id est caput originem sumendam esse. Folio 324.2.20. flammante 331. 1. 20. peteret 333.2.14. lege, Et Pendentis aquæ. Ibidem versu 25. lege patrum 334.1.5. à Numine. Ibidem versu 14. lege:

Ipse pudicitiam coluit (muliebria passus,

Bella tamen) iuuenis. Fol. 337.1.22. mactarũt 344. facie 2. Versu primo de S. Cypriano pro non est, lege, non es. Infrà versu 3. lege exposcit 353.2.20. limina 364.1. lege. IN DIE FIDELIVM OMNIVM ANIMARVM. 375.1.16. ieiuna 376.2.8. silendum 378.1.16. lege Mille viris iuga mille boum. Ibid. facie 2. versu 7. hominem 383.1.13. excita. Folio 384. facie 2. versum 27. ita lege.

Fert lamenta dies: Nam (res in audita) Magorum.

TOMI TERTII ERRATA.

Fol. 5. facie 1. versu 18. lege Patricius 8. 1. 14. abolenda 12. 1. 15. at tormenta 15. 2. 22. Extirpare 18. 2. 11. nemorosa 23. 2. 15. arcu. 27. 2. 20. illustrant 39. 1. 9. sortita. 40. 1. 12. contactu 41. 1. 4. ortus 52. 2. 4. oborto 85. 1. 1. ouans 89. 1. 10. auertisse 90. 1. 21. damæ 97. 1. 12. scuta 104. 2. 1. ministrũ 105. 1. 14. temporis 111. 1. 20. lucensis 122. 2. 5. eminus. Ibid. versu 26. Ingegeniis 123. 2. 17. magnæ 124. 2. 2. Pauci 128. 1. 23. pietate 133. 1. 15. viueret. Ibid. versu 20. molimina 158. 1. 19. obscurare 161. 1. 15. damas 164. 2. 1. consita 178. 2. 5. belligeros 179. 2. 11. Morpheus. Ibid. versu 13. sublimia 195. 1. 3. recubent 203. 1. 4. ripæ 206. 2. 5. Sidona 218. 1. 19. dolor 224. 2. 15. piscosa. 225. 1. 23. Plurimus 239. 2. 9. Antipodes 240. 1. 21. fuluo 241. 1. 4. Nerei 250. 2. 27. canis 252. 2. 9. munera 253. 1. 11. Arua. Ibid. facie 2. versu 19. Adiunget 256. 2. 2. vomeris 260. 1. 4. dormire 283. 2. 6.

283.2.6.regis 284.1.5.Celtas 301.2.28.habet.

TOMI QVARTI ERRATA.

Errata priorum librorum Tomi Quarti. In Epistola Dedicatoria ad St. Gilbadium. Pagina 15. linea 8. adde totam hanc periodum post contuetur: In quo illud maximè considerandum est, quòd superior percipiendi vis quasi desuper aspectans sine inferioribus aliquid amplecti potest, sed inferiores sine superiore nihil comprehēdere possunt. Sicut &c. Pagina 3. lin. 2. lege, tanta beatitas, esset enim beatitas, non est &c. Pag. 11. linea 10. lege, sunt enim quæ sentiant &c. pag. 22. linea. 28. pro muginis lege inguinis, pagina 59. lege κτημοσύνης, pag. 61. lege finxit. Ibidem lin. 14. pro quos lege quod, pag. 82. pro diræ, lege dare, pag. 84. lin. 15. faciant. Ibid. lege solet, pag. 106. lege inchoatio, pag. 112. lege Et duo frena meus, pag. 114. Atq; vetus Thebæ centū iacet, pag. 122. lin. 5. conscripsi, pag. 143. Reprehendebāt, pag. 110. lin. 26. latius, pag. 216. lin. 7. optat. Ibid. lin. 16. suspicere.

Libro de Patientia, folio 9. facie 1. linea 13. pro Accepit lege Accipit. Ibidem linea 20. lege diuinius. Ibidem facie 2. lin. 20. Cacochymos, & paulo infra pro spumales lege Spirituales 10. 1. 11. imb b tam 11. 1. 10. pro Ealæ lege malæ 14. 1. 13. cranij. Ibid. facie 2. lin. 5. iudicantur. Ibid. lin. 20. pro magnis lege magnes 15. 1. 13. eorsum 20. 2. 2. Pæni 22. 1. 2. hominis. Ibid. lin. 19. pro huminis lege hominis. 23. 2. 11. annuli 28. 1. 11. verterunt. Ibid. lin. 20. post putrefactum (adde) est 29. 1. 10. Alosim. Ibid. facie 2. lin. 19. Cereris 32. 1. 3. eis. Ibid. lin. 9. firmamenti 41. 2. 5. dicitur 56. 1. 4. prasina 59. 2. 12. dele non 61. 1. 5. metaphoram. Folio 62. facie 1. lin. 1. tota periodus sic legenda est: Animo igitur omnia intuenti, vt diuino, nihil; plurima prospicienti, vt angelico, pauca; pauca cognoscenti, vt nostro, multa casu & fortuna contingunt. Ibid. lin. 21. lege

effossionem

effossionem 72.1.16.Paiazitem 73.2. 17. proferentur 75.2.23. Iacobum 82. 2.7. Quid his 83. 1. 19. collocat, profecto sanctior est 88.1.13.porticuum 89.1.5.deflere. Ibid.lin.14. enarrarit.Fol.96. facie 2.linea.1. adde hæc : Enteroceli sunt cum descisso inferioris ventris libro,intestina descendunt. Taceo &c.99.2.20.lingua 101.2.11.alius 102.1.20. κακῶν, Ibid. facie 2,lin.9.testas 106.2.3.in spiritibus est 107. 1. 8. Tyanei se inedia 110.2.19.fortior 111.2.13. viueremus 116. 1. 20. quasdam 129.2.11. hominis 130. 1.4. quæ duplici 131.2.7. occuparunt 134.1.11.necesse.Ibid. lin. 14. ominibus 138. 1. 13. consessu. Ibid.lin.9.scitè 142.2.lege;Dauus sum, non Oedipus.143.1. 7.fuctu 147.2.1.laqueo 148. 1.6. casu 153.1.3. nomenclatione 154.1.18.qua 157.1.17.demitti 157.2.3.Nec.Fol.158.1.20.post scaptensula apud Græcos;adde, & in Auerno apud Campanos,& in Asphalto apud Iudæos. Terra enim &c.159.2.12. qui diu 160.1.11.ardor 163.1.7.fines 165.1.4. iudicium 172.1. 15.sacrarū 175.1.16.floret. Ibid. lin.19. manna 176.2.1. Bona libro de vita beata. Fol.178. in initio lege Ocioso 181.2.10. Quid est 182.1.18.interpretetur. Ibid.facie 2.linea. 11. aliud 183.2.5.qui quidem 185.1.12.deuiant 188.1.2. titillatio 192.2. 5.Pentathlum 195.1.13.dixisti. Ibidem facie 2.lin.16. lege à Græco poëta Simonide translatum 197. 1.7. precabatur & pro Auerte oculos tuos,lege meos 198. 1. 10. domina 199.1. 23.Quonam 200.1.22. citius 202. 1. 5. aliisque 203. 2.21.exercendæ sutrinæ 204.1.2.esset ne.205.2.7. facundia 216.2.10. lutulente.Ibidem lin.21.hic puerorum. Facile. Ibid. linea 25. adamemus 217.1.16.torpor 218.2.6.amici 219. 1. 3. amicitiarum.Ibidem lin.7.non prius esse, & paulo infra pro frugilitatem lege frugalitatem 220.1.5. Et voluptuarius 220, 2, 20. qua & 221.2.23. torpor 225.2. 3. lutulenta.

FINIS.

Hi quatuor Tomi operum Baptistæ Mantuani, nihil continent, sacræ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ religioni contrarium, & digni sunt qui imprimantur, vendantur, & legantur, quod attestor.

D. Henricus Zebertus à Dunghen Canonicus Antuerpiens. S. T. D.



Ct. [illegible]
Apol. Lat
Ms. [illegible]